
94.
Oswald Weigel
Antiquariat & Auctions-Institut
Leipzig, Königsstr. 1.

P
B 45.3



Recd. …ec. 1894

Exempl. 2 Rd. 8 ß.
Bandet 16 ß.

S:a 2 Rd. 24 ß.

MATERIA MEDICA

E

REGNO VEGETABILI.



MATERIA MEDICA
E
REGNO VEGETABILI,
SISTENS
SIMPLICIA OFFICINALIA,
PARITER ATQUE
CULINARIA.

SECUNDUM SYSTEMA SEXUALE,
EX AUTOPSIA & EXPERIENTIA,
FIDELITER DIGESSIT

PETRUS JONAS BERGIUS,
M. D. Hiſt. Nat. & Pharm. Profeſſor Stockh., R. Colleg. Med. Aſſeſſor, Acad. & Societ. ſcient. Imper. Petropol., Imp. N. Cur., R. Londin., Stockh., Upſal., Philadelph., Haarlem., Nidroſ., Helvet., Zell., Roterod., Zeeland., Berolin. Nat. Cur., & Lund. Membrum, ut & Monſpel. Correſp.

TOMUS I.

Cum privilegio S. R. M:tis Sveciæ, & Elect. Saxon.

STOCKHOLMIÆ, Typis PETRI HESSELBERG. 1778.

Jacob Akerman

Amicis Optimis,

D:no OLAO ACREL, Equ.
Chirurgo illuſtri.

D:no BENEDICTO BERGIO,
Oeconomo illuſtri.

D:no TORBERNO BERGMAN, Equ.
Chemico illuſtri.

D:no CAR. GUST. EKEBERG, Equ.
Navigatori illuſtri.

D:no ALEX. BERNH. KÖLPIN,
Medico practico illuſtri.

D:no ERICO LAXMAN,
Mineralogo illuſtri.

D:no ADOLPHO MURRAY,
Anatomico illuſtri.

D:no PETRO SIMONI PALLAS,
Zoologo illuſtri.

D:no EDVARDO SANDIFORT,
Phyſiologo illuſtri.

D:no CAROLO WILH. SCHEELE,
Pharmacopœo illuſtri.

D:no DANIELI C. SOLANDER,
Hiſtorico naturali illuſtri.

D:no CAROLO PET. THUNBERG,
Botanico illuſtri.

D:no PETRO WARGENTIN, Equ.
Aſtronomo illuſtri

D:no JOH. CAROLO WILCKE,
Phyſico illuſtri.

Hoc Materiæ Medicæ illuſtratæ tentamen, in teſſeram obſervantiæ & amoris, D. D. D.

PETRUS JONAS BERGIUS.

*
*   *

Simplicium medicamentorum, & facultatum, quæ in eis insunt, cognitio ita necessaria est, ut sine ea nemo rite medicari queat.

ORIBASIUS.

†
†   †

Fatendum est, longe feliciorem & Physicorum & Medicorum futuram conditionem, si, non contenti lectione variorum auctorum, non traditionibus, continua successione a veteribus ad nos traductis, sæpe optimis, sæpe falsis, pro veris tamen habitis, &, ut novus liber fiat, invicem exscriptis, non denique subtilibus disceptationibus & ratiunculis, anatomen institueremus & perficeremus chimicam, verum a falso secernentes, & rationem cum experientia jungentes, quid fundamentum habeat in re, quid minus, disquireremus.

G. W. WEDELIUS.

Præfatio.

NON amplius ſupereſt arbor aliqua vitæ, qualem initio creatam ſacræ litteræ docent. Attamen, propitii Numinis beneficio, exiſtunt ſtirpes, quibus, recte diſpenſatis, vitam ſæpe tueri datur a plerisque ipſi contrariis infirmitatibus ac morbis. Certe jucundum eſt recordari, naturam, in tanta tamque late vagante malorum iliade, eximia nobis blandimenta, atque ea multa & varia, genuiſſe. Credo equidem, non adeo pauca in regno vegetabili medicamina adhuc latere, longioris forte ævi diligentia ac felicitate in lucem extrahenda; interea temporis eorum, quæ dudum majorum periculis detecta ſunt, magna ſatis eſt numeroſitas. Sed parum aut nihil boni vel maximus rerum ſalutarium numerus efficeret apud quemquam infirmum, ſi medico, impetum morbi repreſſuro, iſtæ res incompertæ eſſent inque incerto poſitæ. Etiamſi enim cauſſas & indolem morbi ſatis ſcite

calleret, juxtaque minus ignoraret, qualis naturæ medicamentum hic vel ille ejusdem ſtatus indicaret ac poſceret, titubare tamen neceſſe ei foret, ubi nihil de ipſius medicamenti ingenio viribusque ex accurata phænomenorum ſerie haberet liquidi vel explorati. Itaque relinquitur, ſimplicia medicamina intimius noſſe cujusque practici intereſſe, ut quod maxime, adeoque ſcientiam Materiæ medicæ, prout vulgo appellamus, ſingulari cura atque animi contentione addiſci oportere.

Fuere quidem, per bina præcipue recentiora ſecula, oppido multi, qui non tantum hancce theſin probarunt, ſed, longius etiam ipſi progreſſi, intentius in eandem curam incubuerunt. Neque vero ita injurius ſum, ut negem, permultum a tot doctorum virorum laboribus in ſcientiam noſtram revera redundaſſe emolumenti. Interim tamen non diffitendum arbitror, multum etiam ad noſtra usque tempora manſiſſe defectum.

Non

Non quidem eſt dubium, quod neceſſaria de virtutibus ſimplicium certitudo vix aliunde melius peti poſſit, quam e crebris doctorum practicorum obſervationibus; verum poſtquam in tantum excrevit obſervatorum numerus, ut jam quaſi quodam imbre obſervationum obruti ſimus, vix otium nobis erit eas omnes nobis comparandi, multo minus perlegendi, & in uſus noſtros convertendi. Quotusquisque autem foret, qui multum temporis in easdem perlegendas inſumere vellet, poſteaquam jam pridem deprehenſum eſt, tot veris inibi contentis intermixta eſſe falſa & ex vano allata, ut vix ab invicem diſcerni queant? Multi Materiæ medicæ ſcriptores fuere, qui inanibus commentis & conjecturis ſcientiam hanc deturparunt, ad arbitrium, e præjudiciis ortum, fingendo qualitates, quas naturæ poſtea obtruſerunt. Compilarunt anteriora ſcripta pars dijudicando propriaque obſervata inſerendo; multi, inclinatis ad credendum animis, anteceſſorum aſſerta, quantumvis dubiæ fidei, immo nonnunquam

ab-

abſona, adoptarunt & tranſcripſerunt, adeo ut non raro jam, in recentioribus quoque ſcriptis, offendere liceat cramben multoties recoctam, errores longa ſerie transplantatos.

Quantum vero hujusmodi obſtacula luminibus junioris cujusque medicinæ cultoris obſtruant & officiant, quantumque progreſſum ejus in ſcientia ipſi tam neceſſaria interpellent, fugere profecto poteſt neminem. Adeo enim non in proclivi eſt, ſingula, in magna ſententiarum varietate, recte ponderare, in diverſum abeuntia inter ſe conciliare, veraque a falſis diſcernere, ut potius identidem hærere & vacillare neceſſe ſit.

Itaque plures una mecum optarunt, prodiret aliquis ſcientia botanices pariter ac longiori experientia medica excultus, qui Materiam medicam ſcrupuloſius tractaret, ita quidem, ut hinc idoneas ſimplicium quorumvis traderet adumbrationes, inde eorundem proprietates, ſenſuum externorum ope & experimentis chemico - pharmaceuticis, ſingula modis pluribus verſando, inveſtigaret

ret & particulatim lustraret, tum denique, proscriptis vanis semidoctorum conjecturis somniisque, atque vagis & suspectis ignavorum scriptorum traditionibus abesse jussis, candide aperiret, quid de virtutibus eorum varioque usu haberet comperti.

EQUIDEM satis superque intellexi, hæcce omnia, si rite absoluta sisterentur, non perfunctorii operis, sed admodum operosæ disquisitionis, materiam fore, adeoque eo minus cum meis viribus meoque statu congruere, quod ego maximis occupationibus, amplam potissimum praxin medicam spectantibus, in dies ac pæne horas soleam distineri. Nihilominus assidua animum vellicavit cupido experiundi, annon, in gratiam auditorum meorum, aliquid saltem frugiferi hoc in stadio præstare valerem, quamobrem, ne quid in re ardua intentatum relinquerem, neque nimium exiliter de viribus propriis judicarem, provinciam hanc suscepi, tædiumque & molestias cum eadem conjunctas constantia devoravi; quia ita semper censeo, satius esse facere,

re, quod non pessime faciam, quam non facere, quod non optime possim.

Exit jam in publicum tela, non qualem pertexere eam volui, sed qualem, per rerum mearum rationes, inter crebra jugiter avocamenta, potis fui, nullo impensius commendabilis merito, quam intemerato studio veri.

Dicere nil attinet id, quod cujuslibet oculorum obtutum fugere non poterit, me in botanicis rebus vestigiis institisse ill. Linnei, præceptoris quondam dilecti, & proinde committere non potuisse, ut aut in nominibus ambiguitas fallaciave existeret, aut in descriptionibus hiatus. In hoc quidem vereor, ne aliquam culpam contraxerim, quod quascunque, vel minutissimas, notas præterire religioni habuerim; sed conquiesco animo, ubi non sine caussa fore confido, ut bona lectorum pars istam meam diligentiam opportunam judicatura sit, perpensa præsertim ubertate illa utilitatis, quam nos hodieque caperemus ex proavorum & atavorum laboribus, si parem ii quoque in re-

bus

bus designandis admisissent scrupulositatem, nec in contemplatione naturæ quidquam habuissent supervacuum. Neque vero sic fastidire quisquam facile poterit aut in levi habere miram illam accurationem, quæ mihi fuit in singulis simplicibus, pariter ac eorundem infusis & extractis, pharmaceutice explanandis, &, qua usquam visu, olfactu, gustuque licuit, penitius cognoscendis.

Esse forsitan poterunt, qui minus congruenter factum existiment, quod, res ad officinas pharmacopœorum pertinentes tractando, mere etiam alimentarias, & quæ alias culinis propriæ censentur, interposuerim; sed sciant hi, velim, persvasum mihi esse, has res minime oportuisse relinqui intactas, quippe quod basin efficiunt, qua maximam partem nititur valetudo, cujusque proprietatum intimior cognitio sæpe necessaria est, ubi de diæta, vel infirmorum, vel ex morbo convalescentium, quæstio sit.

Quod ad medica attinet, quæ plerisque articulis subjuncta cernuntur, id in primis agere volui, ut afferrentur exempla quædam,

vir-

virtutem hujus vel illius ſimplicis, & quantum in eo contra hunc vel illum morbum ſperari poſſit præſidii, luculentius illuſtratura; quorum quidem ejusmodi mihi a primo animadvertenda & notanda fuere, quæ propria quinque luſtrorum praxis medicinæ ſuggeſſit, tum etiam quæ e ſcriptis proborum virorum, potiſſimum recentiorum, depromſi; qui, ſi quid fortaſſe hallucinati ſint, ipſi ſuam cauſſam tutentur.

Ceterum quandoquidem movere quemquam poterit, quod, in vario ſimplicium uſu deſignando, parcius forte, quam a me expectari potuiſſet, morborum nomina adduxerim, quinimmo ſpatium ſparſim vacuum reliquerim, monendum habeo, me non alia nomina memorare voluiſſe, quam quæ certo ſcivi locum ipſis aſſignatum tueri poſſe; in qua quidem re perinde ſollicitam adhibui cautionem, atque alias ſemper uſus ſum, ut ne quid præter veritatem inſereretur, ratus, præſtare potius nihil auditoribus meis de uſu ſimplicis cujusdam officinalis impertiri, quam multa crepera & inexplorata. Qui meliora certioraque edoctus ſit, poterit lacunas in libro

bro obvias facili negotio ſarcire. Neque mihi ipſe grave ducam, veritates inobſervatas, quarum experientiam inter exercendum praxin clinicam ulterius nactus fuero, per temporum intervalla ac ſpiramenta annotare, inque plurium uſus vertere.

Interea, quoniam ſæpe magnopere expedit uberius noviſſe præcipua & maxime memorabilia eorum, quæ de officinalium efficacitate diſperſe ſcripſerunt auctores ſexcenti, immo mille, quæ vero arctiores illi, quos mihi poſueram, limites nonniſi ſtrictim carptimque attingere permiſerunt, peropportunum mihi eſt, quod habeam, ad quem iſtius rei curioſos recte ablegare poſſim, celeb. nempe virum Jo. Andr. Murray, qui ſuo *Apparatu medicaminum &c.*, non minus ingenium exquiſitum quam judicium maturum arguente, palmam promeruit nomenque famæ aſſeruit.

Ad poſtremum Lectorem benignum obteſtor, ut quemadmodum ego nihil odio, nihilque ſtudio dedi, ita ille æquum ſe cenſorem præbere velit, nec totum opus metiri

ex

ex una alterave dictione minus comta vel polita, quæ alicubi calamo festinanti excidere potuerit. Ipse affatim scio, mihi communem in omnibus plausum non competere, quemadmodum nec eundem captare unquam cogitavi; id duntaxat in quæstu habebo, siquando constiterit, me in plerisque operam non collocasse pœnitendam, sed opportunam ac fructuosam.

FELICI-

FELICITER !!!

CLASSIS I.

MONANDRIA.

ORDO

MONOGYNIA.

1. AMOMUM Zingiber. LINN. *Spec. plant. 1. Mater. med. 1.*

Inschi. RHEED. *Malab. 11. p. 23. t. 12.*

Zingiber majus. RUMPH. *Amboin. 5. p. 156. t. 66. f. 1.*

Gingember. NIEUHOV. *Legat. Bat. 2. p. 83. t. 83.*

Zingiber foemina. LOBEL. *Hist. 169.*

Pharm. & Culinis. ZINGIBERIS Radix.

Locus. Apportatur ex India utraque, ubi colitur quod usui inserviet. *Perenne.*

FORMA. recent. Radix tuberosa, albido-cinerascens, extus subrugosa, digitato-ramosa, vestita pelliculis tenerioribus, oblique repens; *parencymate* carnoso, lutescente, transversaliter secto æquali, annulo centrali amplo. *Sicc.* Frusta radicis circiter bipollicaria, ramosa, subdichotoma, utrinque compressa, nodoso-moniliformia, læviuscula, pallide cinerea: nodis ovatis. *Parencyma* albidum, subresinosum; transversaliter sectum æquale, variegatum maculis lutescentibus; ad nodos fragile: fractura filamentosa.

PROPRIETAS. Recent. Odor fragrans; *Sapor* fervidus, acris, aromaticus; *masticata*

comminuitur, fervet in lingua & faucibus, inhæret. *Sicc. Odor* fragrans; *Sapor* acris, pungens, fervidus, aromaticus, lingvæ inhærens. Radix ſiccata recente paullo fortior.

VIRTUS: percalefaciens, incidens, ſtomachica, ſtimulans purgantibus.

USUS: culinaris. Anorexia, Colica flatulenta, Tuſſis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum radicis ſiccatæ pallide citrinum, turbidiuſculum, odore zingiberino, ſapore fervido; Vitriolo martis colore non mutatur; turbidum vero fit & præcipitatur. E radice recente deſtillationis ope eliciunt Indi *Oleum* limpidum, transparens, rubrum, aquæ innatans, odorem & ſaporem radicis ſervans. RHEEDE. Oleum vero Zingiberis, quod in noſtris occurrit officinis, eſt rubrum, odore zingiberino, in oleum Terebinthinæ ſimul incidente, ſapore calido, amaricante, in aqua ſubſidens.

OBS. 2. Annoſæ radices communiter colliguntur ad ſiccandum, quod peragitur illas ſolis calori per 14 dies exponendo; tum cineribus vel calce conſperguntur, ne tineis exedantur.

OBS. 3. Radix recens *condita*, ex Indiis allata, præſtantiſſima eſt; illud vero Conditum, quod in Europa e ſiccatis radicibus paratur, vix punctum fert. Conditur Zingiber in India orientali, docente RUMPHIO, eo modo, ut radices maximæ & pingviſſimæ effodiantur, a pelliculis depurgentur, ligneis pungantur ſubulis, atque recente aqua per octiduum macerentur, aqua illa bis per diem mutata, usque dum omnis acrimonia penitus fuerit extracta. Tum coquantur in Syrupo, ex Saccharo albo canto confecto, primum in tenuiore, qui effundendus, deinde in ſpis-

ſpiſſiore Syrupo, dum Saccharum indureſcat, quo facto transportationem per mare bene fert.

2. AMOMUM Cardamomum. LINN. *Sp. pl.* 2. *Mat. med.* 2.

Elettari. RHEED. *Malab.* 11. *p.* 9. *t.* 5.

Pharm. & *Culinis CARDAMOMI MINORIS* fructus.

Locus. India orientalis. *Perenne.*

FORMA. *Capſula* turbinato - ſubrotunda, ungvicularis, vel oblonga, ſubpollicaris, triquetra, obtuſa (ſæpe cum acumine), undique ſtriata, pallida, trilocularis, diſſepimentis membranaceis. *Semina* plurima, compacta, angulata, ſubtetragona, utrinque truncata, rugoſa, rufeſcentia. *Parencyma* album, ſubmucilaginoſum.

PROPRIETAS. *Odor* gratus, aromaticus. *Sapor* aromaticus, ſubcamphoratus, dein ſubnitroſus. *Maſticata* comminuuntur ſemina, corticali parte inter dentes ſubcrepula.

VIRTUS: excitans, calefaciens, ſtomachica, diaphoretica, ſubantiſpaſmodica.

USUS: culinaris. Langvor ventriculi, Colica flatulenta.

OBS. *Tinctura* aquoſa & *Extractum* ſpirituoſum fragrantia & aromatica ſunt. *Oleum* ſtillatitium flavum, odore Cardamomi, in oleum Terebinthinæ ſimul incidente, ſapore amaricante, in aqua ſupernatans.

3. AMOMUM Grana Paradiſi. LINN. *Sp. pl.* 2. *Mat. med.* 3.

Elettari. RHEED. *Malab.* 11. *p.* 9. *t.* 6.

Maniguette. DES MARCHAIS *Voyag. tom.* 1. *p.* 151. *

Pharm. *PARADISI* grana.
Locus. Madagaſcar, Ceylona, Gvinea. *Perenne.*
FORMA. *Semina* brunnea, turbinata, angulata, truncata, rugoſa, lucidiuſcula, magnitudine ſeminis Raphani, *parencymate* niveo, ſubſarinoſo.
PROPRIETAS. *Odor* aromaticus. *Sapor* aromaticus, calidus, pungens, inhærens: *maſticata* hæc grana comminuuntur, pungunt in lingva & faucibus, cum calore, Piperis inſtar.
VIRTUS: excalefaciens, ſtimulans.
USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum limpidum, ſubaqueo colore, odore aromatico, ſapore acerrimo, Sinapios inſtar; Vitriolo martis non mutatum. *Oleum* ſtillatitium fragrans, ſapore miti. *Extractum* aquoſum pungens, ſpirituoſum vero acerrimum.

OBS. 2. Sunt qui febres intermittentes granis Paradiſi curant, idque, ut ſæpius vidi, felici cum exitu. Diſſvaderem tamen uſum ſeminum tam calidorum, quamdiu ſecuriora proſtant.

4. AMOMUM ſcapo nudo, ſpica laxa truncata.
Kua. RHEED. *Malab. 11. p. 13. t. 7.*
Tommon itam. RUMPH. *Amb. 5. p. 169.**
Zedoaria officinarum. PETIV. *Gazoph. t. 23. f. 1.*
Zedoaria ſeu Indorum Tamogcanſi. CAMELL. *Luz. 23.* *
Pharm. *ZEDOARIÆ* Radix.
Locus. India orientalis. *Perenne.*
FORMA. *Radix recens* cinerea, tuberoſo-carnoſa, compreſſa, *parencymate* cæruleſcenti-albicante. *Sicc.* cinerea, cylindrica, craſſitie di-

gi-

giti minoris, ſubtoruloſa. In officinis ſæpe occurrit transverſaliter ſecta, unde truſta orbiculata.

PROPRIET. Sicc. Odor graviuſculus, ſubzingiberinus. *Sapor* aromaticus, fere Rosmarini, amaricans, calidus. *Recent. Odor* & *ſapor* longe debiliores. Odor vix ullus, niſi conteratur. Sapor ſubamarus, leviter aromaticus cum acrimonia. CAMELLI.

USUS. Ventriculi ſaburra acida.

OBS. 1. Zedoaria longa & rotunda ex eadem deſumuntur planta.

OBS. 2. Infuſum aquoſum luteſcenti-rubicundum, odore fragrante, inter Zingiber & Camphoram medio, ſapore radicis. Vitriolo martis color non mutatur; ſed coagulatio & præcipitatio exoritur. Radix recens deſtillata Camphoram dat, aquæ ſtillatitiæ innatantem. HERMANNUS.

OBS. 3. Plantam habui ex Cochinchina, figuræ Rheedeanæ convenientem, lectam a Cl. JOANNE DE LOUREYRO, & comparatam ſub itinere Chinenſi, a cl. CAR. G. EKEBERG, Centurione & navis Gubernatore, de ſcientia botanices bene merito.

OBS. 4. De Zedoaria bene ſcripſit SAM. G. MANITIUS (*). Recenſet iſte 4 ætates Zedoariæ, & ſuccinctam dat deſcriptionem totius plantæ, tandemque uſum deſcribit.

5. CURCUMA longa. LINN. *Sp. pl.* 3. *Mat. med.* 5.
Curcuma. RUMPH. *Amb.* 5. *p.* 162. *t.* 67. BLACKW. *Herb. t.* 396.
Manjella - kua. RHEED. *Mal.* 11. *p.* 21. *t.* 11.

 Cur-

(*) *De ætatibus Zedoariæ relatio.* Dresdæ. 1691.

Curcuma radice longa, ZANON. *Hist. p. 86. t. 59.* HERMAN. *Lugd. Bat. 208. t. 209.*

Pharm. *CURCUMÆ* Radix.

Locus. Ex India orientali apportatur, ubi in hortis colitur pro usu culinari. *Perennis.*

FORMA. *Radix recens* tuberosa, digitata: ramis teretiusculis, annulatis, carnosis, subnodosis; fibris radicantibus inter ramos, Tubera proferentibus; *Parencymate* croceo, carnoso. *Siccatæ* radicis binæ varietates in pharmacopoliis occurrunt, longa scilicet & rotunda, quæ commixtæ sunt. Utraque dura, lutea, annulis parallelis cincta; *longa* cylindrica, digitalis; *rotunda* ovata, utrinque acutiuscula, pollicaris, sæpe magnitudine Pyri fructus; *Parencymate* luteo-rubicundo, facie gummosa, splendente; transversaliter secto centro medullari orbiculato, disco æquali.

PROPRIETAS. *Odor* ungventaceus. *Sapor* subamaricans, subcalidiusculus, debiliter aromaticus. *Masticata* radix comminuitur, emollitur, fere solvitur, salivam croceo colore tingens.

VIRTUS: aperiens, diuretica: urina lutea.

USUS. Icterus. In India *recens* culinaris, omni cibo admiscetur.

OBS. Extrahitur menstruo aquoso & spirituoso; Tinctura aquosa longe saturatius crocea, quam spirituosa. *Infusum* aquosum odore & sapore radicis; Vitriolo martis coagulatur & præcipitatur, colore non mutato. *Extractum* aquosum obtinuit CARTHEUSER amaricans, salsum, unam quartam ponderis radicis partem; spirituosum vero acre, aromaticum, nauseosum, unam quintam partem.

6. MA-

6. MARANTA Galanga. LINN. *Sp. pl.* 3. *Mat. med.* 6.
Galanga major & minor, Lancquas. RUMPH. *Amb.* 5. *p.* 143. *t.* 63.
Pharm. *GALANGÆ* Radix.
Locus. India orientalis; colitur in hortis Indicis. *Perennis.*

FORMA. Sicc. Radix teres, ramoſa, craſſitie digiti vel ultra, rufeſcens, annulis parallelis elevatis undique cincta; *Parencymate* cinereo-rufeſcente, ſolido. *Recens* radix carnoſo-nodoſa, firma, ſolidiuſcula, fractu contumax, purpuraſcens, annulata.

PROPRIETAS. Sicc. Odor aromaticus, minus gratus. *Sapor* ſubacris, leviter aromaticus, dein fervidiuſculus, inhærens. *Recens* radix acrior, *odore* aromatico, nares vellicante inſtar Sinapios. *Sapor* penetrans, fervidus, mordens in lingva.

VIRTUS: calefaciens, incidens, ſtomachica; *recent.* ſternutatoria.

USUS: Anorexia.

OBS. 1. *Infuſ.* aquoſum limpidiuſculum, odore & ſapore radicis; Vitriolo martis vix fuſceſcit. *Extractum* radicis ſpirituoſum fervidum eſt & pungens.

OBS. 2. In India orientali colitur hæc planta pro uſu culinari, ad cibum condiendum. Sunt etiam apud Europæos quosdam qui Radicem Galangæ Zingiberi præferunt, ut minus calidam magisque ſapidam.

7. COSTUS arabicus. LINN. *Sp. pl.* 2. *Mat. med.* 4. MERIAN. *Surin. p.* 36. *t.* 36.

Tſiana - kua. RHEED. *Malab. 11. p. 15. t. 8.*
Coſtus amarus & dulcis. BLACKW. *Herb. t. 394.*
Pharm. COSTI ARABICI Radix.
Locus. India utraque, Malabaria, Surinamum. *Perennis.*
FORMA. Sicc. Radix ſubcylindrica, cinerea, craſſitie pollicis vel ultra, duriuſcula, *parencymate* cinereo, pallidiore.
PROPRIETAS. Odor gratus, ſubviolaceus. *Sapor ſiccat.* amaricans, leviter aromaticus; *recens* radix dulcis.
VIRTUS: ſtomachica.
USUS.
OBS. 1. Coſtus officinarum dulcis & amarus ex eadem planta deſumuntur, & nonniſi ætate differunt; quo vetuſtior, eo magis amaricans. Sed in plurimis pharmacopoliis Cortex Winteranus perperam pro hocce ſubſtituitur.
OBS 2. Ex hac radice ſumta urinam odore violaceo infici, plurimi ſtatuunt.

8. SALICORNIA herbacea. LINN. *Sp. pl. 5. Mat. med. 8.* PALLAS *Reiſe, 1. p. 479.* * t. 1. f. 1.*
Salicornia annua. BASTER. *Subſec. 2. p. 105.* * *t. 10. f. 1. - 4.* OEDER. *Icon. t. 303.*
Salicornia ramis clavatis, ſquamis articulorum adpreſſis. MOEHRING. *Philoſ. transact. vol. 41. p. 211.* *
Salicornia. DODON. *Pempt. 82.*
Culinis SALICORNIÆ Herba virens, condita.
Locus. Europa, in littoribus marinis. *Annua.*
FORMA. Radix fibroſa. *Caulis* ſpithamæus vel ultra, herbaceus, teres, articulatus, erectus, ſca-

ſcabridus, ramoſus, diffuſus. *Rami* alternatim oppoſiti, ad genicula articulati: articulis turbinato-cylindricis. *Folia* nulla. *Spicæ* plures ex articulorum apicibus, cylindricæ.

PROPRIETAS. *Sapor* ſalſus, ſubmordax. *Odor* nullus.

VIRTUS: *rec.* antiſcorbutica; *conditæ* appetitum excitans.

USUS. Scorbutus.

OBS. 1. Editur frequentiſſime in Zelandia, menſibus æſtivis, ut ſaluberrimum & gratum antiſcorbuticum, tota nimirum planta cocta, caulibus lignoſis exuta, Lactucæ inſtar, atque oleo, aceto & pipere conditur. JOB BASTER. Aceto condita per hyemem facile ſervatur, & ex Europa auſtrali, eo modo condita, ad nos advehitur.

OBS. 2. Salicornia Soudam dat, perinde atque plurimæ plantæ marinæ uſtulatæ; ſed Salicorniæ Souda minus bona eſt, quorſum accedit, quod difficulter lege artis in alcali convertitur, prout obſervarunt Viri clariſſimi. Salicorniæ recentis libras 2 methodo Tacheniana cremavit cl. H. D. GAUBIUS; dedit cinerum unc. 7 ß, qui elixiviati nullum indicium alcali præbuerunt, ſed muriam culinarem, quantitate unc. 4 & drachm. 6. Cineres elixiviati, igne valido calcinati, in vitrum non abierunt, ſed aqua pura diluti, & in acido vitrioli ſoluti, dederunt liquorem auſterum, evaporatione in gelatinam luteam, diaphanam deſinentem; poſtea vero, addita aqua Calcis, nova ſolutione & evaporatione, verum alumen exhibentem (*). Salicornia locis a mari & exhalationibus maritimis remotis culta, poſteaque l. a. cremata, nullum indicium alcali mineralis dat. MAZÉAS. (**).

(*) BASTER *Opuſc. ſubſeciv. t. 2. p. 112. - 114.*

(**) *Memoires de mathem. & phyſ. de Paris, v. 5. p. 362.*

CLASSIS II.

DIANDRIA.

ORDO

MONOGYNIA.

9. JASMINUM officinale. LINN. *Sp. pl. 9. Mat. med. 9.*

Jaſminum vulgatius flore albo. DUHAM. *Arb. 1. p. 309. t. 122.*

Jaſminum. DODON. *Pempt. 405.* BLACKW. *Herb. t. 13.*

Gelſeminum vulgatius Jaſminum. LOBEL. *Icon. 2. p. 105.*

Pharm. JASMINI Flores recentes. Oleum.

Locus. Ex India in Europam migravit, ubi copioſius colitur. *Frutex.*

FORMA. rec. Flores axillares, in ſummitate ramorum. *Corymbus* terminalis, ſeſſilis, ſimpliciſſimus, circiter quinqueflorus. *Pedunculi* oppoſiti, uniflori, vix pubeſcentes. CALYX. *Perianthium* monophyllum, minutum, pubeſcens, tubo brevi, pentagono, truncato, ſoluto in lacinias 5, ſubulatas, erectas, tubo duplo longiores. *COROLLA* nivea, glabra, hypocrateriformis. *Tubus* cylindricus, albidus, ſtriatus, calyce duplo longior, ſuperne ſubincraſſatus, utrinque compreſſiuſculus. *Limbus* quinquepartitus: laciniis ovato-oblongis, acutis, ſubæqualibus, patentibus. *STAMIN. Filam.* 2, breviuſcula, tu-

tubo inſerta. *Antheræ* lineares, luteæ, hinc planæ, inde convexæ, intra tubum corollæ incluſæ. *PISTILL.* *Germen* ſuperum, virideſcens, truncatum, retuſum, utrinque compreſſiuſculum. *Stylus* breviuſculus. *Stigmata* 2, linearia, obtuſiuſcula, erecta, ſtaminibus breviora.

PROPRIETAS. flor. *rec.* *Odor* ſvaveolens. *Sapor* ſubamaricans.

VIRTUS: emolliens.

USUS: externus.

OBS. Oleum Jaſmini ſequenti modo paratur. In vaſe idoneo ſtrata fiunt alterna floribus Jaſmini recentibus & lana bombycina, oleo nucis Behen bene imprægnata & madida, quo facto probe obturatur vas. Poſt ſingulum deinde nycthemeron novi immittuntur flores, prioribus rejectis, atque hoc continua agitur ſerie, usque dum lana bombycina ſatis fragrans evaſerit; tum vero illa prelo rite exprimitur, atque ſic oleum expreſſum fragrans obtinetur, quod, ne evaporet, in vitrum injicitur perbene obturandum. Flores Jaſmini deſtillati aquam vel ſpiritum fragrantem non dant; ſed ſi oleum Jaſmini cum ſpiritu vini in lagena vitrea bene conquaſſetur, migrat principium odoriferum ex oleo in ſpiritum, facile tamen avolat, etiamſi in vitro obturato ſervetur. DUHAMEL. (*)

10. OLEA europæa. LINN. *Sp. pl. 11.* *M. med. 10.*
Olea. DUHAM. *Arb. 2. p. 57. t. 14.* BLACKW. *Herb. t. 199.* LOBEL. *Hiſt. 566.* DOD. *Pempt. 809.*
Pharm. & Culinis *OLIVÆ* Fructus conditus. Oleum expreſſum. Sapo.

Lo-

(*) *Traité des Arbres, tom. 1. p. 310.*

Locus. Europa auſtralis, locis apricis. *Arbor.*

FORMA. *Drupa* exquiſite ovalis, utrinque obtuſo-rotundata, magnitudine glandis Quercus, glabra, virideſcens. *Nux* ovali-oblonga, rugoſa, utrinque acutiuſcula, ſulcis longitudinalibus & rugis ſcabrida, cineraſcens. *Nucleus* albus, compreſſus, obvelatus tunica virideſcenti, venis albis reticulata, intra teſtam craſſam oſſeam.

PROPRIET. *Fructus* recens immaturus valde acerbus, ſalſugine vero conditus aſſvetis ſapidus. *Oleum* expreſſum blandum, album vel ſubflavum, *odore* vix ullo, *ſapore* miti. Hoc oleum, ellychnio immiſſo, accenditur, flagrat: flamma luminoſa, vix fumante, vix fuliginoſa, parum vel nihil nidoroſa. In balneo arenæ, infra punctum ebullitionis aquæ, evaporatione non diſſipatur, neque diminuitur. Digeſſi oleum olivarum in hoc balneo per quindecim dies, absque notabili deperditione. Sub digeſtione, quamdiu incaluit, valide expanſum fuit, atque in tubo vitreo alte ſatis ſe elevavit; refrigeratum vero denuo in priſtinum collabuit. Si autem validiori igni exponatur, ut leviter ebulliat, vapores aquoſos emittit, unde paullulum ſpiſſeſcit, atque tunc facile aduritur. Deſtillationi ſubjectum, calore ſupra gradum ebullitionis aquæ, aduritur; ſtillat ſub initio vaporem aqueum acidumque, dein mere oleoſum, empyreumaticum, acrem, remanente pauxillo capitis mortui. Si vero ante deſtillationem a pulvere Laterum calido abſorptum fuerit, & tum deſtilletur, foetidiſſimum evadit. More aliorum oleorum expreſſorum non ſolvitur Oleum olivarum in ſpiritu vini,

niſi

nisi antea destillationem subierit; nec cum aqua miscetur, nisi mediante vitello ovi, vel gummi arabico, vel etiam ope alcali in saponem mutatum. Ex agitatione cum acidis vegetabilibus coit: mixtura spissa, subsaponacea; ab acidis mineralibus fortius afficitur, præcipue Nitri concentrati, idque sæpe cum specie accensionis. Caloris ope hoc oleum, pariter ac pleraque olea expressa, solvit Plumbum, sive fuerit in forma calcis, sive regulina. Ætate rancescit, atque acre fit respectu gradus rancoris. Citius rancescit, si in loco calido servetur, vel in balneo digeratur. Oleum olivarum, si genuinum, frigoris impatiens est, atque id cogitur ad gradum circiter duodecimum supra punctum congelationis in Thermometro Svecico; hinc quoque diutius se conservat absque rancore; illud vero oleum olivarum, quod non cogitur nisi circa punctum congelationis aquæ, rancidum est.

VIRTUS: Olei leniens, relaxans, lubricans, obtundens. *Olivar.* appetitum excitans.

USUS. Olei: Nephritis, Enteritis, Pleuritis, Tussis, Colica pictonum & lochialis, Acria ingesta, Morsus Viperæ, Tormina, Strictura intestinorum; *Externe* Ascites.

OBS. 1. *Fructus* olivæ, cum condientur, virides adhuc & immaturi macerandi in aqua simplici, ut amaritiem deponant. Hæc aqua singulis alternis diebus mutanda, quantum opus fuerit. Tum salsugini forti immittendi per plures menses. Postremo in salsuginem debiliorem conjiciendi. Nonnulli plantas seu semina aromatica addunt, ut palato magis arrideant olivæ.

OBS. 2. *Oleum* olivarum, ut optimum ſit, recens e fructibus, affatim maturis & ſolicite decerptis, atque a pedunculis foliisque probe purgatis, exprimendum eſt. Id, quod ſub prima vel ſecunda expreſſione obtinetur, bonum eſt alimentare & officinale, poſtquam bene defæcatum fuit. Si vero olivæ non fuerint rite maturæ, ſive ruditer ex arbore abraſæ, & ante expreſſionem diutius ſervatæ, ut fermentationem quandam ſubierint, deterius obtinetur oleum, uſibus aliis oeconomicis ſolummodo aptum. Idem etiam valet de oleo tertiæ vel quartæ expreſſionis, ope aquæ bullientis elicito.

OBS. 3. *Oleum lateritium* maxime empyreumaticum eſt, foetidiſſimum, penetrans, nervinum, antiſpaſmodicum, in convulſionibus utile, doſi paucarum guttarum.

OBS. 4. *Sapo* eſt maſſa ſolidiuſcula, conſiſtentia ſebi hircini, albida, ſectilis, inter digitos tractata mollis, ſubplaſtica, ſublubrica, odore vix ingrato, ſapore pingvi, ſalſo. Ignis flammæ Sapo admotus, liqueſcit, ſtillat guttis decidentibus, ſæpe vero in bullas ſe expandentibus, quæ, remota flamma, ſubito rigeſcunt, perſiſtunt. In vaſe aperto ſuper ignem tumet, liqueſcente oleo, aduritur, nigreſcit, alcali non mutato; non flagrat, niſi bene excalefactus & admota flamma; tunc flagrat, & conſumitur, remanente carbone nigro, inquinante; ſed in igne clauſo liqueſcit, funditur, pellicula induitur, quæ in bullam elevatur, aduritur, fuſceſcit. Saponis fruſtulum, in aquam demiſſum, ſuperficie undique perlubricum fit. Solvitur mora in aqua ſimplici: ſolutione limpidiuſcula, opaleſcente. Tardius ſolvitur in aqua frigida, ubi primum emolleſcit & albeſcit; in aqua calida ſub digeſtione ſubdiaphanus fit, ſolutioque

que citius peragitur, & vertitur in faciem Gelatinæ, quæ vero limpida evadit, si cum aqua nivis parata fuerit. Solutio saponis, si ope virgæ quatitur, spumescit, & in bullas, sæpe grandes, exsurgit; mora non decomponitur, neque ebullitione supra ignem. Si frustum Saponis cum penicillo fricetur, insperso pauxillo aquæ, spumescit: spuma nivea, quæ, saturata, cremori lactis simillima fit. Spuma hæc siccata spongiosa evadit. Sapo spumescit optime cum aqua fluviatili, nivali, pluviatili; sed cum aqua fontana sæpe tenax fit & in fila ductilis. Si Alumen vel aliud Sal cum basi terrestri aquæ adjicitur, non spumescit; Salia autem media perfecta bene fert, e. gr. muriam fontium, tartarum vitriolatum &c. salva facultate spumescendi & vi detergente. Cum Resinis tritus Sapo, illas cum aqua commiscet: mixtura tamen bene non persistente; paullo melius persistit mixtura ex oleis, sapone & aqua. Solvitur Sapo etiam in Spiritu s. alcohole vini; citius vero, si cum alcali spiritus fuerit exacutus: solutione perfecta, limpida; sed si aqua huic solutioni addatur, mox lactescit & præcipitatur. Si sapo additione alcali fixi suprasaturetur, in aqua pariter solubilis fit: solutione subopalescente; quæ quiete cremore superinduitur; quod tamen non fit, si alcali volatili suprasaturetur. Si sapo ex Borace, loco alcali, præparatur, Boracis pars una, ex observatione Cl. SPIELMANN, olei expressi partes duas vertit in Saponem verum, pulcherrimum, in aqua facile solubilem, & Borax non decomponitur, quod mireris, quandoquidem sal sedativum per se nullam cum oleo commixtionem admittit. Sapo *componitur* ex oleo olivarum & alcali fixo, calce viva exacuto. In usus medicos præstat Saponem frigide parare, ne oleum sub decoctione rancore afficiatur. Sub hoc processu oleum cum alcali intime jungitur, adeo

adeo ut per ſe non ſecedat, ut ſupra monitum, neque decoctione protracta in aqua pura; inſpiſſatur enim in gelatinæ liquidæ faciem, & refrigeratione ſpiſſeſcit. Ex nexu hoc alcalino nihil ferme alteratur oleum; etenim ſi acidis decomponitur ſapo, oleum in integrum reſtituitur, in ſpiritu vini poſtea ſolubile. Formula pro conficiendo Sapone officinali, frigide parato, hæc erit: Rc. Calcis viv. p. 1 ß, Soudæ hiſp. p. 2. decoquantur in aquæ puræ ſ. q., in aheno ferreo, usquedum omne alcali ſolutum fuerit. Lixivium frigefactum coletur per chartam emporeticam, & ſuper ignem concentretur, ut menſura unciæ 1 aquæ puræ, hoc lixivio repleta, ponderet unc. 1. & drachm. 3. Rc. hujus lixivii concentr. part. 1, & olei olivar. opt. part. 2, miſceantur in vaſe fictili vitreato, ac ope ſpathulæ agitentur, dum ſpiſſeſcat hæc mixtio & colorem aſſumat album, quod brevi fit. Deinde combinatio perfectior ſenſim peragitur, ſi per duas vel tres hebdomades linquatur. Hacce encheireſi obtinetur Sapo ſolidus, albus & bonus. Ille ſapo, qui calide paratur, artificibus inſervit, & alia methodo conficiendus; ſcilicet Rc. lixivii ſupradicti, ſed minus concentrati, h. e. ut ovum recens ſuſtineat, q. v. Hujus pars una debilitetur cum affuſa aqua pura, cui admiſceatur olei olivarum anatica pars. Mixtio illa ſupra ignem moderatum collocetur, ſub valida agitatione ope ſpathulæ, ut unio faciliteur; quo facto reſiduum lixivii addatur, ſub continuata coctione igne moderato, usquedum ſapo perfectiſſimus evaſerit. In hunc finem, experiundum, ſi notas requiſitas bonas habeat, ſcil. ſi alcali & oleum juſtæ ſint proportionis. Genuinus ſapo debet eſſe ſolidus, albus cum refriguit, in aëre libero nec deliqueſcere nec emolliri, & in aqua pura penitus ſolvi, ne guttula olei ſupernatet. Ex obſervatione

GEOF-

Geoffroy, Saponis unciæ 2, ſi mediante acido decomponentur, conſtabunt ex olei unc. 1, drachm. 3 & ſcrup. 2; aquæ drachm. 2 & gr. 4, vel paullo ultra, pro ſiccitate ſaponis, & alcali mineralis cryſtalliſati drachm. 2 & ſcrup. 2. Sapo *decomponitur* omnibus acidis, etiam debiliſſimis, atque ſalibus omnibus imperfectis, ſive baſis ſit calcarea, argillacea, ſive metallica. Ill. Duhamel ſtatuit, quod color ille marmoreus, quem ſapo ſæpe oſtendit, ab auripigmento, lixivio ſaponario admixto, quod ſaponi ſuperadditur, dependeat. *Virtus* medica Saponis eſt detergens, mundificans, aperiens; hinc *uſus* ejus in obſtructione viſcerum, ictero, arthritide, podagra, calculo. Sapo ſolubilis, lubricans, mitis ex alcali cauſtico pingvedine involuto, absque noxæ metu ſumi poteſt. Vidi, nobilem Senem ſeptuagenarium, Saponis unc. ß, cum amaris maritati, & aquæ Calcis libr. 2, addito pauxillo lactis, per integros 10 annos quotidie contra calculum ſumſiſſe, idque magno cum levamine. Per totum hoc tempus cibum bene appetiit, macilentus non factus, qui potius pingveſcuit, hilaris & vegetus.

11. VERONICA officinalis. Linn. *Sp. pl. 14. Mater. med. 11.* Oeder. *Icon. t. 248.*
Veronica. Camer. *Epit. 461.*
Veronica mas. Blackw. *Herb. t. 143.*
Pharm. VERONICÆ Herba.
Locus. Europa, locis ſterilibus. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix filiformis, geniculata, repens: fibris fibrilloſis a geniculis deſcendentibus. *Caulis* ſpithamæus, procumbens, filiformis, teres, ſimplex, pubeſcens, geniculatus. *Folia* ad genicula oppoſita, ſubſeſſilia, pubeſcentia, ſerrata, pollicaria, dilute viridia, concaviuſcula, patentia; inferiora cuneiformia; ſuperiora ovali-

 ob-

oblonga, obtusa, paullo majora, remotiora. *Racemi* solitarii sive gemini, in summitate laterales, axillares e foliis, pedunculati, erecti, nudi, pubescentes, floribus sparsis, brevius pedicellatis. *Bracteæ* ad flores, solitariæ, lineares, obtusæ, pubescentes, longitudine vix calycis, erectæ. *CALYX. Perianth.* monophyllum, pubescens: pilis capitulatis; quadripartitum: laciniis ovali-linearibus, obtusis, æqualibus. *COROLLA* rotata. *Tubus* brevis, albus, calyce paullo brevior; *Limbus* erecto-patens, dilute violaceus, striis saturatioribus pictus, quadripartitus: laciniis ovatis, obtusis, inæqualibus; tribus majoribus, subæqualibus; unica duplo angustiore. *STAM. Filam.* 2, subulata, violacea, tubo inserta, erecta, corolla paullo longiora. *Antheræ* cordatæ, obtusæ, incumbentes. *PISTILL. Germen* ovatum, obtusum, compressum, pubescens, utrinque sulcatum, basi cinctum margine glabro. *Stylus* subulatus, erectus, longitudine filamentorum illisque concolor. *Stigma* truncatum, cærulescens.

PROPR. Rec. Odor debilis. *Sapor* amaricans. *Sicc.* odor nullus. Sapor amaricans, subadstringens.

VIRTUS: vulneraria.

USUS.

OBS. 1. *Infusum* aquosum saturatissime paratum, obscure rubrum s. purpurascens, odore non ingrato, sapore amaro; dilutum vero rubicundum, vitriolo martis subito nigrescit. Infus. satur. guttæ 10, instillatæ in aquæ unc. ß, addito vitriolo martis, colorem fusco-viridescentem fecerunt.

OBS. 2. J. Francus (*) Veronicam ut benedictam, herbarum reginam, præstantissimum naturæ donum, vul-

(*) *Veronica Theézans, id est, collatio Veronicæ cum Thee Chinitico.* Lips. 1700. 12:mo.

vulneris auxilium deprædicat, & 40 casibus utilitatem ejus comprobat in plurimis morbis, præcipue in vulneribus, phthisi, scabie. De *Infusi veronicæ efficacia herbæ Theæ præferenda* disseruerunt Præs. FR. HOFFMANNUS & resp. C. W. SATTLER, Halæ 1694.

12. VERONICA Beccabunga. LINN. *Sp. pl. 16. Mat. med. 12.* KNIPH. *Botan. orig. cent. 9.*
Anagallis aquatica. DODON. *Pemptad. 582.* BLACKW. *Herb. t. 48.*
Pharm. BECCABUNGÆ Herba virens.
Locus. Europa, locis scaturiginosis. *Perennis.*
FORMA. rec. Radix cylindrica, viridis, glabra, geniculata, longius repens: fibris ad genicula verticillatis, aggregatis, albis, fibrillosis, descendentibus; caules & surculos caulescentes ad genicula promens. *Caulis* repens, cylindricus, teres, glaber, succulentus, spithamæus vel ultra, simplex vel subramosus: *ramis* oppositis, brevibus. *Folia* opposita, subcarnosa, breviter petiolata, ovato-oblonga, obtusa, serrata, dilute viridia, utrinque glabra, punctata, pollicaria vel ultra, patentia. *Petioli* breves, concavi, basi amplexicauli connati. *Racemi* oppositi, laterales, longitudine internodii, axillares e foliis, pedunculati, glabri, erecti, foliosi: foliolis s. *bracteis* linearibus, utrinque attenuatis, ad pedunculos solitariis, longitudine fere calycis. *Flores* longius pedicellati. *CALYX. Perianth.* quinquepartitum, glabrum: foliolis lineari-ovalibus, obtusiusculis, subæqualibus, erectis. *COROLLA* dilute cærulea, rotata; *Tubo* brevissimo, intus piloso; *Limbo* quadripartito: laciniis ovatis, obtusis, subæqualibus, basi striatis, longitudine calycis, erecto-patentibus. *STAM. Filam.* 2, subulata, inferne alba, superne violacea, tubo corollæ inserta,

corolla paullo breviora. *Antheræ* ſagittatæ, erectæ, rufeſcentes. *PISTILL. Germen* ovatum, obtuſum, didymum, punctatum, baſi marginatum. *Stylus* ſubulatus, ſuperne incraſſatus, dilute violaceus, longitudine calycis. *Stigma* capitulatum, albidum.

PROPR. rec. Odor contuſorum foliorum debilis. *Sapor* amaricans, ſtypticus, acriuſculus. *Maſticata* folia tenera, ſapore Naſturtii obſcure imbuta, adſtrictionem ſtypticam in ore relinquentia, ſatis diu inhærentem. Caules maſticati foliis congruunt.

VIRTUS: antiſcorbutica.

USUS. Scorbutus, Stomacace.

OBS. *Infuſum* herbæ recentis Theam quodammodo refert, odore ſubnaſturtino, ſapore amaricanti-ſtyptico; Vitriolo martis nigreſcit.

13. ROSMARINUS officinalis. LINN. *Sp. pl.* 33. *Mat. med.* 16. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 1.
Roſmarinus latiore folio. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 229. *t.* 54.
Rosmarinum coronarium. DODON. *Pempt.* 272.
Rosmarinus. BLACKW. *Herb. t.* 159.

Pharm. ROSMARINI Herba. Oleum ſtill. *ANTHOS* flores.

Locus. Europæ auſtralis & Orientis colles, Japonia. *Frutex.*

FORMA. rec. Caulis fruticoſus, bi-vel tripedalis, vel ultra, cortice cinereo, rimoſo, ramoſus. *Rami* oppoſiti, erecti; teneriores tetragoni, pubeſcentes. *Folia* oppoſita breviter petiolata, linearia, obtuſa, pollicaria, ſupra dilute viridia, rugoſa, ſcabra, luciduſcula, ſubtus pariter rugoſa, albido-tomentoſa, patentia, internodiis longiora. *Corymbuli*

flo-

florum in ramulis terminales, breves, ſimplices, vix foliis longiores, erecti, minutim tomentoſi, nudiuſculi. *Bracteæ* ovatæ, acutiuſculæ, concavæ, ad pedicellos ſolitariæ, extus tomentoſæ, intus glabræ, pedicellis breviores. *CAL. Perianth.* breviter tubulatum, tomentoſum, bilabiatum: labiis ſubæqualibus, emarginatis; ſuperiore paullo breviore. *COROLLA* monopetala, dilute violacea. *Tubus* longitudine calycis, poſtice gibbus. *Limbus* ringens; labium ſuperius oblongum, bifidum, erectum, margine utrinque revoluto; inferius trifidum, patens: laciniis lateralibus ovatis, obtuſis, margine revolutis; intermedia duplo majore, pateriformi, concava, obtuſo-rotundata, margine minutiſſime crenulato. *STAM. Filamenta* 2, ſubulata, fauci corollæ inſerta, adſcendentia, longitudine corollæ; ſingula poſtice notata denticulo recurvo. *Antheræ* lineares, incumbentes. *PISTILL. Germen* quadripartitum, viride, obtuſum. *Stylus* ſubulatus, violaceus, corolla longior, recurvatus. *Stigma* acutum, bifidum: mucrone ſuperiore breviore.

PROPRIETAS. recent. Odor fragrans, gratus, cephalicus. *Sapor* odori conformis, aromaticus, calidus.

VIRTUS: reſolvens, nervina, corroborans, emmenagoga.

USUS. Chloroſis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum herbæ recentis luteſcens evadit; *Odore* fragrante valido; *Sapore* aromatico; Vitriolo martis fuſco-nigreſcit. *Oleum* ſtill. limpidum inſtar aquæ, odore Rosmarini, ſapore conſimili; quod in officinis occurrit, in oleum Terebinthinæ plerumque incidit.

OBS. 2. Oves Monſpelienſes ab eſu Rosmarini ſapidas carnes ſortiuntur. GABR. P. SALLÉ (*).

14. SALVIA officinalis. LINN. *Sp. pl. 34. Mat. med. 13.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 2. & 11.*
Salvia major. DODON. *Pempt. 288.* LOBEL. *Hiſt. 299.*
Salvia minor. BLACKW. *Herb. t. 71.*
Pharm. SALVIÆ Herba. Oleum ſtill.
Locus. Europa auſtralis. Colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix fibroſa. *Caulis* erectus, pedalis, tetragonus, villoſus, ramoſus. *Rami* oppoſiti, erecti, axillares e foliis. *Folia* oppoſita, petiolata, ovali-oblonga, obtuſa, pollicaria, utrinque minutim villoſa, ſupra rugoſa: rugis convexiuſculis; ſubtus reticulatim lacunuloſa, margine crenulata, patentia; ſumma brevius petiolata, ſæpe ſeſſilia. *Petioli* teretes, villoſi, ſupra canaliculati, foliis breviores. *Racemus* terminalis, pedunculatus, ſimplex, ſæpe compoſitus lateralibus minoribus; erectus, nudus, minutim villoſus; floribus patentiſſimis, brevius pedunculatis, verticillatis: verticillis octofloris. *Bracteæ* duæ, oppoſitæ, ad baſin racemi, ſeſſiles, ovato-oblongæ, concavæ, acutæ, baſi membranaceæ, glabriuſculæ, ſuperne ſubrugoſæ, patentiſſimæ. *CAL. Perianth.* monophyllum, turbinato-campanulatum, purpuraſcens, latere inferiore pallidum, undique ſtriato-angulatum, pubeſcenti-viſcidum, bilabiatum: *labio ſuperiore* truncato, tridentato: dentibus mucronatis, recurvis; intermedio minimo; *inferiore* bifido, acuto, mucro-

(*) *Materies medica in regno vegetabili*, Monſpel. 1768. 4:to p. 14.

cronato. *COROLLA* monopetala, cærulea, ringens, minutim pubeſcens, calyce duplo longior; *Tubo* inferne albo, ſenſim ſuperne ampliato, ſtriato. *Faux* ventricoſa; *Limbus* ringens, bilabiatus: labio ſuperiore erecto, fornicato, emarginato; inferiore trifido: laciniis rotundatis, reflexis; intermedia majore, obcordata. *STAM.* *Filamenta* 2, ſubulata, alba, apice inſtructa pedicello transverſim affixo, erecto, incurvato, utraque extremitate antherifera. *Antheræ* 4, purpureæ; quarum 2 ſuperiores lineares, in labio ſuperiore reconditæ; 2 inferiores ſubovatæ, compreſſæ, conniventes, ſubconcretæ. *PIST.* *Germen* quadrifidum, virideſcens, obtuſum, baſi perichætio inſtructum purpuraſcente. *Stylus* filiformis, pallide violaceus, corolla longior, incurvus, juxta antheras ſuperiores. *Stigmata* 2, acuta, erecta; altero duplo minore.

PROPRIET. rec. Odor fragrans, validus, graviuſculus. *Sapor* amaricans, calidus, aromaticus. *Sicc.* conſimilis.

VIRTUS: reſolvens, corroborans, ſtomachica.

USUS. Laxitas viſcerum, Debilitas poſt morbos, Leucorrhoea, Relaxatio uvulæ.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum Herbæ rubicundum, odore fragrante, ſapore conſimili; Vitriolo martis nigreſcit; hujus infuſi guttæ 50, inſtillatæ in aquæ puræ unc. ß, colorem fuſco-viridem ſortitæ ſunt. *Oleum* ſtillat. luteſcens, odore Salviæ, ſapore Salviæ forti, amaricante.

OBS. 2. De Salvia ſcripſit CHR. FR. PAULLINI (*). Liber, 414 paginis conſtans, nullius fere uſus eſt. Continet maximam partem formulas corraſas. Quæ immiſcuit

 pro-

(*) *Sacra herba ſ. Nobilis Salvia.* Auguſt. Vindel. 1688. 8:vo.

propria obſervata practica, nihil demonſtrant, cum demonſtrandum farragine ſepultum ſit remediorum. Ceterum Salviam in omnibus fere morbis commendat.

15. SALVIA Horminum. LINN. *Sp. pl.* 34. *Mat. med.* 14. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 11.

Horminum. DODON. *Pemptad.* 292. LOBEL. *Hiſt.* 300.

Pharm. *HORMINI* Semina.

Locus Italia. *Perennis.*

FORMA. *Semina* ovata, obtuſa, obſolete ſubtrigona, glabra.

PROPRIET. *Odor* fragrans. *Sapor* ſubamaricans; *maſticata* mucilaginoſa.

VIRTUS: obtundens.

USUS. Ophthalmia.

OBS. 1. Semina, in aqua pura infuſa ſ. leviter cocta, *mucilaginem* dant, luteſcentem; ſed ſi ſeminum drachma 1 in aquæ fervidæ unc. 3 infundatur, dat *infuſum* aqueo-ſubluteſcens, odore vix ullo, ſapore debili, vix dulceſcente, parum mucilaginoſo.

OBS 2. Plures ſpecies Salviæ mucilaginem præbent, ut Salvia Diſermas, Verbenaca &c.

16. GRATIOLA officinalis. LINN. *Sp. pl.* 24. *Mater. med.* 18. OEDER. *Icon. t.* 363. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 5.

Gratiola. BLACKW. *herb. t.* 411. DODON. *Pempt.* 358. ZANNICH. *Venez. t.* 295.

Gratiola & gratia Dei. LOBEL. *Hiſt.* 238.

Pharm. *GRATIOLÆ* Herba.

Locus. Europa auſtralis, Germania, Brabantia, locis humidis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, alba, geniculata, oblique horizontalis, inſtructa fibris filifor-

mi-

mibus, deſcendentibus. *Caulis* ſpithamæus, erectus, glaber, ſubramoſus, teres, geniculatus; internodiis alternatim oppoſite canaliculatis. *Folia* ad genicula, alternatim oppoſita, internodiis longiora, ſeſſilia, lanceolata, obtuſa, glabra, margine ſuperne utrinque ſerrata, inferiora minora, integerrima, ovali-oblonga, apice revoluta; ſuperiora ſenſim majora, carinata. *Pedunculi* axillares, filiformes, oppoſiti, glabri, longitudine circiter foliorum, uniflori, nudi. *Bracteæ* 2, lanceolatæ, acutæ, ad baſin calycis oppoſitæ, illiusque longitudine. *CAL. Perianth.* quinquepartitum: laciniis lineari-lanceolatis, acutis, erectis, æqualibus. *COROLLA* monopetala; *Tubus* virideſcens, craſſus, calyce duplo longior, undique ſtriatus, ſuperne tetragonus, intus pubeſcens; *Limbus* albus, quadripartitus: laciniis obovatis; tribus inferioribus ſubæqualibus, erectis; ſuprema emarginata, reflexa. *STAM. Filam.* 4, tubo inſerta, eoque breviora; quorum 2 ſuperiora ſubulata, fertilia; 2 vero inferiora ſetacea, emaciata. *Antheræ* 4, quarum 2 ſuperiores albæ, pateriformes, ſubrotundæ, antice ſquama alba tectæ, poſtice ſubcaudatæ; 2 inferiores effœtæ, minutæ, obſoletæ. *PISTILL. Germen* ſuperum, pyramidale, virideſcens, ſuturis 4, longitudinalibus. *Stylus* cylindricus, longitudine ſtaminum. *Stigma* cernuum, ovato-roſtratum, ſupra depreſſum.

PROPRIET. recent. Odor nullus. *Sapor* intenſius amarus, ingratus, inhærens. *Sicc.* conſimilis.

VIRTUS: emetica, purgans, hydragoga, anthelminthica. *Doſis* gran. 15 - 20 - 30.

USUS. Hydrops.

OBS. 1. *Infusum* aquosum rubrum, odore debili, subnauseoso, sapore amaro, inhærente; Vitriolo martis nigro-fuscescit, & paullulum turbatur. *Extractum* aquosum bonum, validum; Succus vero inspissatus mitius purgat.

OBS. 2. Siccatione vim suam purgantem & emeticam non deponit Gratiola; hinc parum mitescit. Equos mire emaciat planta foeno immixta (*). Incepi herbam Gratiolæ in praxin medicam referre. Pulvis ejus dosi scrup. 1, bis una die sumtus, sæpius alvum duxit, cum nausea & vomituritione; quæ purgatio in posterum diem continuavit. Sæpius illam præscripsi refracta dosi, idque cum successu. Concinnavi pulveres ex herb. Gratiolæ gr. 10 & Rad. Gentianæ gr. 5, quos quovis bihorio exhibui in febribus biliosis repullulantibus, atque in quartanis autumnalibus. Tres pulveres plerumque duxerunt alvum apud adultos, & interdum vomitum simul excitarunt. Planta tam efficax non profecto deberet a Medicis negligi.

ORDO
TRIGYNIA.

17. PIPER nigrum. LINN. *Sp. pl. 40. Mat. med. 19* BLACKW. *Herb. t. 348.* CLUS. *Exot. 19. 183*
Malago-codi. RHEED. *Malab. 7. p. 23. t. 12.*
Piper rotundum nigrum. PLUKEN. *Almag. 297. t. 437. f. 1.*
Piper nigrum. CAMELL. *Phil. transact. v. 24. p. 1773.* * DE JAGER *relat. de Pipere in* VALENTINI *Ind. liter. p. 480. t. 5.*

Pharm.

(*) GLEDITSCHS *vermischte Abhandl. t. 3. p. 376.*

Pharm. & Culinis PIPER nigrum, album.

Locus. India orientalis, ubi colitur & plantatur ramis diſſectis. *Frutex.*

FORMA. Sicc. Semina ſemimatura, ſphærica, nigricantia, rugoſa, magnitudine fere ſeminis minoris Piſi; *parencymate* albido.

PROPRIETAS. Odor aromaticus, validior. *Sapor* fervidus, acris, inhærens. *Maſticata* ſemina comminuuntur, ferventque in ore & faucibus.

VIRTUS: ſtimulans, calefaciens, ſternutatoria.

USUS: Cibi condimentum. Singultus, Nauſea, Odontalgia, Prolapſus uvulæ, Pediculi.

OBS. 1. Piper *album* reapſe non differt a nigro, ſed album evadit, cum fructus, in arbore tamdiu relictus, donec ſponte deciderit, poſt macerationem in aqua marina, cute primum exuitur, & deinde ſolis æſtu exſiccatur.

OBS. 2. *Oleum ſtillatitium* luteum, odore Piperis, ſapore calidiſſimo Piperis, minus inhærente. Seminum Piperis nigri libra 1, macerata, & tum cum aqua ſimplici deſtillata, olei drachmas 2, aſt cum aqua Piperis ſtillatitia deſtillata, olei drachmas 3 dedit. Hoc oleum recens nullius coloris eſt; vetus autem luteum, fluidum. Si Piperis materia ſapora cum aqua per decoctionem extrahenda ſit, longa coctione opus eſt, largaque menſura aquæ affundenda, ſcil. aquæ libræ 550 ad Piperis libram unam. Hoc decoctum inſpiſſatum Pipere ipſo longe fortius fit, piperis ſapore concentrato, quod guſtatum lingvæ per plures horas inhæret. H. D. GAUBIUS (*).

OBS. 3. In calidis regionibus, intra Tropicos Indiæ utriusque & Africæ, Pipere, ut condimento cibi, fe-

(*) *Adverſar. varii argum. Libr. 1. p. 55. ſeq.*

fere abuti videntur incolæ. Sed calidum clima videtur calida condimenta acriaque postulare, ad corpus sudore diffluens roborandum, atque etiam ventriculum firmandum, qui alias eousque langveret, ut febribus intermittentibus facillime locum faceret. Par ratio Capsici usus in Peruvia aliisque Americæ calidioris regionibus.

OBS. 4. Gallinis omnibus amicum Piper; Pediculis vero deleterium.

18. PIPER longum. LINN. *Sp. pl. 41. Mat. med. 20.* CLUS. *Exot. 20. 183.* RUMPH. *Amboin. 5. p. 333. t. 116. f. 1.* BLACKW. *Herb. t. 356.*

Tipplelee. BROWN. *Philos. transact. vol. 23. p. 1063.*

Pharm. PIPER longum.

Locus. India orientalis, Amboina. *Frutex.*

FORMA. Amentum fructiferum, integrum, semimaturum, pollicare vel ultra, cylindricum, obtusum, seminibus undique tuberculatum.

PROPRIET. rec. acerrimus (RUMPH.). *Sicc.* & uti apud nos obvenit, odore & sapore debilior præcedenti.

VIRTUS: præcedentis.

USUS. antecedente rarior.

OBS. Piper longum, in nostris officinis occurrens, communiter situ debilitatum est.

19. PIPER caudatum. *Pharm. svec. p. 17.*

Cubeba. LINN. *Mat. med. 526.* CLUS. *Exot. 184.*

Cubebæ officinarum. CAMELL. *Phil. transact. vol. 24. p. 1773.* *

Pharm. CUBEBÆ Fructus.

Locus. Java.

FOR-

FORMA. Baccæ ſubrotundæ, magnitudine ſeminis minoris Piſi, fuſcæ, pedunculatæ, venis elevatis undique reticulatæ, vix acutiuſculæ; *parencymate* ex nucleo albido, ſuboleoſo.

PROPRIETAS. Odor fragrans. *Sapor* aromaticus, acris, fervidus (ſed Pipere nigro debilior). *Maſticatæ* comminuuntur, calent in ore & faucibus, ſalivamque alliciunt. Nucleus corticali parte longe acrior.

VIRTUS: ſtimulans, calefaciens, ſtomachica.

USUS. Vertigo.

OBS. *Infuſum* aquoſum rubicundum, turbidiuſculum, odore fragrante, ſapore Cubebæ; Vitriolo martis præcipitatur, colore non mutato. *Oleum* ſtillatitium luteo-rubicundum, odore Cubebæ, ſapore calido, odori conformi. E Cubebar. libr. 12 ß, olei ſtill. unc. 2 & drachmam 1 adeptus eſt cl. BAUMÉ; qui etiam obſervat circa hoc oleum, illud colore leviter virideſcente fuiſſe, fere absque odore, non tamen tenue, uti cetera olea ſtillatitia, ſed conſiſtentia fere olei amygdalarum dulcium. *Extractum* ſpirituoſum acre. Cubebæ fructus, pulverandus, ſub contuſione nares valde irritat.

CLAS-

CLASSIS III.

TRIANDRIA.

ORDO

MONOGYNIA.

20. VALERIANA officinalis. LINN. *Sp. pl.* 45. *Mat. med* 21. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 5. OEDER. *Icon. t.* 570.

Valeriana ſylveſtris. GARID. *Aix. p.* 478. *t.* 96. ZANNICH. *Venez. t.* 153. DODON. *Pempt.* 346. BLACKW. *Herb. t.* 271.

Pharm. VALERIANÆ SYLVESTRIS Radix.

Locus. Europa, in pratis depreſſis & humidis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix alba, trunco cylindrico, cincta geniculis annulatis, ſubciliatis, gemmiferis, apice ſoluta in fibras filiformes, teretes, deſcendentes, albas. *Stolones* ſub terra repentes, ex apice radicis intra fibras exeuntes, albi, filiformi-teretes, geniculati: geniculis inſtructis ſquamis ovatis, acutis, ſolitariis. *Parencyma* trunci radicis ſubcarnoſum, album; transverſaliter ſectum centro medullari ampliſſimo, margine undulato.

PROPRIETAS recentis radic. *Odor* fragrans, graveolens, foetidus. *Sapor* ſubdulceſcenti-amaricans, gravis. *Siccatæ* rad. odor & ſapor fere intenſiores. *Maſticata* radix comminuitur.

VIRTUS: antiſpasmodica, diaphoretica, emmenagoga, diuretica, anthelminthica.

USUS.

USUS. Epilepſia, Convulſiones, Hyſteria, Hemicrania, Viſus hebetudo.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum ſaturatiſſimum rubrum, odore fragrante, ſapore radicis; Vitriolo martis nigrum. *Extractum* aquoſum graveolens, ſubamaricans. Ex Radicis Valer. ſicc. libris 6 obtinentur circiter Extr. aquoſi libræ 2 & unc. 5. *Aqua ſtillatitia* ſatis fragrans; *oleum ſtillat.* nullum. Sub contuſione radicis in pulverem naſi fibræ irritantur.

OBS. 2. Plenæ ſunt obſervatorum narrationes teſtimoniorum de hujus radicis efficacia in Epilepſia. Multa revera præſtat, quando ſedes morbi eſt in nervis irritabilibus absque cauſſa fixa. In hyſteria etiam, in convulſionibus, atque ſyſtemate generis nervoſi irritabili, egregie prodeſt. In hemicrania radicem Valerianæ ut ſpecificam laudat Cl. FORDYCE (*), idemque confirmat Cl. Z. STRANDBERG (**). Radix tempore vernali debet colligi, & drachmæ binæ quotidie ſumi. In doſi non eſt quod ſimus ſcrupuloſi. Emeticam illam nunquam vidi, nec laxantem:

21. VALERIANA Phu. LINN. *Sp. pl.* 45. *Mat. med.* 22. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 5. BLACKW. *Herb.* t. 250.

Valeriana hortenſis. DODON. *Pempt.* 346.

Pharm. VALERIANÆ MAJORIS ſ. *PHU* Radix.

Locus. Alſatia. *Perennis.*

FORMA præcedentis, ſed major, trunco radicis oblongo.

PROPRIET. Præcedenti amarior, odore fœtidiore.

VIR-

(*) *De Hemicrania*, p. 417

(**) *Tal om ſeken vid chroniſka ſiukdomars botande.* p. 15.

VIRTUS præcedentis.
USUS antecedentis.

22. VALERIANA celtica. LINN. *Sp. pl. 46. Mat. med. 23.*

Valeriana foliis integerrimis, radicalibus ovatis, caulinis linearibus obtusis. HALLER. *Helv. 1. p. 91.*

Nardus celtica seu alpina. CLUS. *Pannon. 514. t. 515.*

Spica celtica fastigiato flosculorum ordine differens. CAMERAR. *Epit. 14.*

Pharm. SPICÆ CELTICÆ Radix.

Locus. Alpes variæ Helvetiæ, Stiriæ, Pyrenaicæ. *Perennis.*

FORMA. sicc. Radix cylindrica, crassitie pennæ anserinæ, undique involuta squamis membranaceis, lineari-oblongis, carinatis, glabris, laxiusculis; inferne obliqua, fibrillosa.

PROPR. Odor fragrans, fortis, graviusculus, præcedentium odore gratior. *Sapor* aromaticus, amaricans, satis gratus.

VIRTUS: antispasmodica, stomachalis; diuretica.

USUS.

OBS. 1. *Infusum* aquosum rubro-lutescens, chartam albam valide tingens; odore fragrante, sapore Croci. Ex Vitriolo martis leviter fuscescit. *Extractum* spirituosum bonum.

OBS. 2. In alpibus Stiriæ quotannis effodiuntur hæ radices, unde Tergestum apportantur, navibus exinde in Africam transmittendæ. LEOP. BIWALD (*). Quot-

(*) *Select. ex Amoenit. acad.* LINNÆI *dissert.* Græc. 1764. 4.to. p. 280.

Quotannis ex Germania in Ægyptum transportantur 60 tonnæ, quarum quævis 100 fere Imperialibus venditur mercatoribus Æthiopiæ. Usus Spicæ celticæ ingens est apud gentes interioris Africæ, Abyssiniæ & Æthiopiæ. Inservit illis ad ungventum conficiendum, quo cutem mollem servant sub fervido solis calore, splendoremque illi conciliant, in quo ornatum suum ponunt. FRID. HASSELQUIST. (*).

23. VALERIANA Locusta olitoria. LINN. *Sp. pl.* 47. SCHWENCK. *Gewäss.* 17. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 3.

Olus album. DODON. *Pempt.* 636.

Culinis: LOCUSTÆ herba virens.

Locus. Germania, Belgium, Bohemia, in agris inter frumenta. Colitur in hortis. *Annua.*

FORMA. rec. *Radix* filiformis, descendens, fibrillosa. *Caulis* erectus, teres, striatus, subpubescens: striis longitudinalibus pubescentibus; dichotomus, spithamæus. *Folia* subsucculenta, opposita, sessilia, glabra, integerrima, obtusa, inferne ciliata; inferiora obovata, erecta; superiora lineari-lanceolata, vix serrata, patentia, internodiis breviora. *Spicæ* florum terminales, sessiles, foliosæ, convexiusculæ. *Bracteæ* lineari-ovales, obtuso-rotundatæ, minutim ciliatæ. *Corollæ* subviolaceæ, quinquefidæ. *Stamina* 3.

PROPRIET. *Odor* nullus. *Sapor* debilis, austeriusculus.

VIRTUS: refrigerans.

USUS: oleraceus.

OBS. Sero autumno & primo vere inter acetaria quæritur.

(*) *It. Palæst.* 537.

24. TAMARINDUS indica. LINN. *Sp. pl. 48. Mat. med. 28.* JACQU. *amer. p. 10. t. 10. 179. f. 98.* MUNT. *Aardgew. t. 113.* BLACKW. *Herb. t. 201.*

Balam-pulli. RHEED. *Malab. 1. p. 39. t. 23.*
El Tamarindo. ACOST. *Drog. 65.*
Pulea Chedde. BROWN. *Phil. transact. vol. 22. p. 1009.* *

Pharm. *TAMARINDI* Fructus, Pulpa.
Locus. India utraque, Oriens. *Arbor.*

FORMA. *Legumen* digitale, oblongum, compreſſum, ad ſemina toruloſum, læviuſculum, extus ferrugineo-cineraſcens, nebuloſum: punctis planis, ſquamoſis, quibus undique adſperſum; bilamellatum, *Pulpa* inter lamellas ligamentoſa; ſubuniloculare, ſubtriſpermum. *Semina* magna, ſubtetragona, cortice cartilagineo, brunneo, nitido, nucleo albo; ſingula obvoluta arillo proprio tenuiore. Fructus Tamarindorum, ubi ad nos apportatur, ſemper contuſus eſt, ſeparatis lamellis leguminis, unde pulpam nigram & ſicciorem refert, ſeminibus immixtis.

PROPRIET. *Odor* ſubvinoſus. *Sapor* intenſius acidus, gratus.

VIRTUS: refrigerans, antifebrilis, laxans.

USUS. Æſtus omnis febrilis, Colluviesillioſa vel putrida, Diarrhoea bilioſa, Dyſenteria epidemica, Icterus, Calculus felleus, Aſcites.

OBS 1. Fructum Tamarindorum, in aqua pura contuſum, ebullire feci; decoctum poſtea, calide colatum & in conſiſtentiam Syrupi tenuioris inſpiſſatum, brevi demiſit *cryſtallos ſalinas*, ſeſſiles, obtuſas, acinaciformes, h. e. facie exacte laminæ cultri menſalis, dorſo incraſſato, acie antice acuta, lateribus planis, ſenſim

ſim in aciem attenuatis, apice obtuſo-rotundato; pellucidas, aggregatas, erectas, albidas, ſapore ſicciuſculo, acidulo, in aqua frigida difficilius ſolubiles. Ex Fruct. Tamarind. unc. 8, hacce encheireſi, ſalis hujus eſſential. ſcrup. 2 obtinuimus. In minore aquæ bullientis quantitate ſolvitur hoc ſal, quam Cremor Tartari. In igne ſe habet ut Tartarus vini. Cl. A. J. RETZIUS (*) experimenta cum hoc ſale inſtituit.

OBS. 2. *Infuſum* aquoſum Fr. Tamarind., deſtillationi ſubjectum, mox mihi dedit aquam limpidam, inſipidam, nullo modo cum alcali fixo effervescentem; quæ vero inſequebatur, empyreumatica erat.

OBS. 3. *Pulpa* Tamarindorum paratur maceratione Fructus Tamarindi contuſi, in vaſe idoneo, balneo arenæ, in aqua calida, ſubſequente percolatione & inſpiſſatione. Præſtaret, ſi legumina Tamarindorum integra e ſolo natali habere poſſemus; etenim, ut obſervat Cl. BAUMÉ, fructus, in India contuſus, & ab exteris ad nos allatus, ſæpe ſcatet viridi æris, quod ab ipſo præparationis modo in ſolo natali dependet, qui communiter in vaſis cupreis peragitur. Cuprum ab acido Tamarindorum ſolvi neceſſe eſt, præcipue quia mos illis eſt, fructus contuſos in ahenis cupreis, addita aqua, macerare, donec in ſpeciem paſtæ redigantur.

OBS. 4. Folia arboris recentia etiam acida ſunt.

25. CROCUS ſativus officinalis. LINN. *Sp. pl. 50. Mat. med.* 27.

Crocum montanum 1. CLUS. *Hiſt. p. 209. f. 1.*
Crocus autumnalis ſativus. DOUGLAS. *Philoſ. transact. v. 32. n. 380. p. 441. * t. 1. f. 6.*
MORIS. *Hiſt.* 2. *ſ. 4. p. 335. t. 2. f. 1.*
The true Saffron. SELIGM. *Hort. t. 36.*
Crocus ſativus. MILL. *Figur. t. 111. f. a. b.*

 Cro-

(*) *K. Vetenſk. Acad. handl. v. 37. p. 132.*

Crocus. Dod. *Pempt.* 213. Blackw. *Herb.* t.144.
Pharm. & *Culinis CROCUS.*
Locus. Planta alpina colitur in Anglia, aliisque Europæ & Orientis regionibus. *Perennis.* *Propagatur bulbis.*

FORMA. *rec.* *Stigmata* tria pollicaria, filiformi-cuneiformia, inferne attenuata, lutea, in Stylum desinentia, superne sensim incrassata, saturate rubra, apice truncata, crenata; crenis albido-lutescentibus.

PROPRIETAS. *sicc.* *Odor* fragrans, similis alcali volatili urinoso mediocriter aromatico. *Sapor* aromaticus, subamaricans. *Masticatus* tenaciusculus, emollescit, saliva rubro-lutea, saturate tincta. Tritu contumax.

VIRTUS: antispasmodica, resolvens, emmenagoga, diuretica.

USUS. Mensium suppressio, Lochia retenta, Tussis, Vomitus, Ophthalmia, Contusio.

OBS. 1. *Infusum* aquosum, frigide paratum, saturatissimum est, farina quadam supernatante, odore & sapore Croci; ætate decoloratur. Spiritui Vini instillatum, non præcipitatur. *Tinctura* e Croco parari potest cum Spiritu Vini, Cerevisia, Vino, Aceto, Aqua; sed præstat tinctura spirituosa. Tinctura Croci, cum alcohole vini parata, aquæ instillata, non lactescit, verum limpida permanet. *Extractum* Croci aquosum frequentis usus est in praxi medica. E croci opt. unc. 16 obtinentur Extr. aquosi circiter unciæ 10. Crocus *olei stillatitii* pauxillum dat, fragrantis & pungentis, circiter Olei still. scrup. 4 ex Croci unciæ 16. Lewis.

OBS. 2. Adulteratur Crocus sæpe corollis Carthami tinctorii. Mons Atlas ad Tripolin Barb. fragrantissimum fert, quem incolæ oleo adspergunt. G. Rothman.

OBS. 3.

OBS. 3. Croci usus medicus frequens est. Propinatur ut validum pellens in lochiis & mensibus suppressis, dosi gr. 5 - 10 - 20. Applicatur externe ventriculo, ad vomitum sedandum, sacculus eo impletus, irroratur idem vino albo, & contusionibus imponitur. Infusum aquosum saturatum, linteo exceptum & oculis applicatum, utile est in ophthalmia. Usus œconomicus pariter frequens est. In culinis nostris Croco sæpe tinguntur juscula panesque. Vidi hystericas quasdam a propinato Croco valde emotas. Nobilis matrona semper in tristitiam illapsa est ingentem, postquam pulveres crocatos ei propinaveram. Sericum tingunt Croco Tinctores, sed color non persistit.

OBS. 4. De Croco scripsit J. F. HERTODT (*). Figuræ sunt ex *Horto Eystettensi* mutuatæ. Dicit se in Hispania vidisse aromatarium, ex sumto nimio Croco, in risum vehementissimum solutum. Recenset experimentum a se institutum, in cane gravida, quam multo Croco pavit, & appropinquante partu dissecuit in theatro publico; narratque, non foetum solum ex croco penitus flavescentem deprehensum, sed etiam secundinas. De cultura Croci officinalis legi meretur: *An account of Saffron; the manner of its culture and saving for use, with the advantages it will be of to this kingdom; publisbed by order of the Dublin Society. Dublin 1732. 8:o.* Traditur in hoc libello tota praxis Crocum colendi, una cum proventu ex ejusdem cultura.

OBS. 5. Ætate Crocus evaporatione debilitatur; hinc quo recentior, eo præstantior. Servatur vero bene, si, ut docet cl. ROBINSON, vesicæ includatur, quæ deinde in vase stanneo, bene obturato, reponenda. Pulchra experimenta cum Croco instituit hicce ROBINSON (**).

(*) *Crocologia.* Jenæ 1671.
(**) *Le Pharmacien moderne, p. 108. seq.*

26. IRIS germanica. LINN. *Sp. pl.* 55. *Mat. med.* 24. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 3. & 6.

Iris noſtras hortenſis. BLACKW. *Herb. t.* 69.

Iris altera. DODON. *Pempt.* 242.

Pharm. IRIDIS NOSTRATIS Radix.

Locus. Germania. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix tuberoſa, horizontalis, ſubarticulata: articulis obovato-oblongis, obtuſis, transverſaliter ſulcatis, læviuſculis, cineraſcentibus, pollicaribus vel ultra, ſupra punctis obſoletis adſperſa, infra radicans fibris plurimis, ſparſis, filiformibus, albidis, deſcendentibus, fibrilloſis; apice ramoſa: articulis 3 vel 4 tuberoſis, ipſi radici conformibus, germinantibus. *Parencyma* carnoſum, firmum, album, transverſaliter ſectum centro medullari ampliſſimo, ſubrotundo vel oblongo, adſperſo punctis ferrugineis, ſparſis. *Siccata* in officinis occurrit conciſa, parencymate ſolido, pallido.

PROPR. rec. Odor ſubnauſeoſus. *Sapor* leviter amaricans, ſubſtypticus, acriuſculus. *Maſticata* comminuitur, fauces conſtringit, & acris ſentitur, faucibus inhærens. *Siccatæ Odor* gravis, ingratus; *Sapor* amarus, acerbiuſculus, ſubnauſeoſus, acris.

VIRTUS: recent. diuretica, purgans, hydragoga, ſubemetica.

USUS. recent. Hydrops, Oedema.

OBS. *Infuſum* aquoſum radic. ſicc. luteſcens, odore ingrato, ſapore amaricante, ſubnauſeoſo; vitriolo martis nigreſcit; hujus infuſi guttæ 20 cum aquæ unc. ß & vitr. martis mixtæ, colorem fuſco-virideſcentem fecerunt.

27. IRIS florentina. LINN. *Sp. pl. 55. Mat. med. 24 β* MORIS. *Hist. 2. s. 4. t. 5. f. 5.* BLACKW. *Herb. t. 414.*

Iris corollis barbatis, germinibus trigonis, foliis ensiformibus longissimis, caule foliis longiore bifloro. MILL. *Figur. p. 103. t. 154.*

Iris alba florentina. PARKINS. *Paradis. 180.*

Iris biflora lusitanica. DODON. *Pempt. 242.*

Pharm. IRIDIS FLORENTINÆ Radix.

Locus. Italia, Carniolia. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix tuberosa, oblonga, crassitie digiti vel ultra, compressiuscula, lutescenti-rubicunda, subtus fibrillosa. In officinis occurrit siccata, decorticata, undique scissa, alba, ponderosa.

PROPRIET. Recens acris, sapore acri, inhærente. *Siccata* leviter amaricans, *masticata* tandem subacris; *odore* grato, violaceo.

VIRTUS. Recentis purgans; *Siccatæ* incidens, pectoralis.

USUS. Asthma, Tussis, Tormina infantum.

OBS. 1. *Infusum* aquosum rubicundum, odore Acori Calami, sapore fere Acori, amaricante; Vitriolo martis fuscescit.

OBS. 2. Globulis e radice confectis, ad fonticulos apertos servandos, utuntur Turcæ. FORSKÅL.

28. IRIS Pseudacorus. LINN. *Sp. pl. 56. Mat. med. 25.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 3.*

Pseudoiris. DODON. *Pempt. 248.*

Acorus nostras palustris. LOBEL. *Hist. 31.*

Acorus adulterinus. BLACKW. *Herb. t. 261.*

Pharm. ACORI PALUSTRIS Radix.

Locus. Europa, in fluviis fossisque. *Perennis.* Si in hortos transportetur, solo pingvi,

 quam-

quamvis elevato, bene crescit, floret, horti ornamentum.

FORMA rec. Radix tuberosa, teres, subcylindrica, horizontalis, crassitie pollicis, submoniliformis: articulis subrotundis, inæqualibus; vix ramosa, undique obsessa rugis annularibus, & adspersa punctis excavatis s. foraminulis subrotundis; singulis proferentibus fibram filiformem, albam, sæpe elongatam; extus subferruginea, superne squamosa: squamis fuscis, emarcidis, rugis insidentibus; summo apice instructa fibris filiformibus, albis, congestis, atque fibrillis setiformibus. *Parencyma* subcarnosum, fragile, cinereo-album, transversaliter sectum disco æquali, incarnato, undique punctato: punctis subrotundis.

PROPRIET. recent. Odor paludosus. *Sapor* stypticus, ceterùm subinsipidus. *Masticata* comminuitur, fauces lingvamque constringit. *Sicc.* odor nullus; sapor substypticus, insipidus.

VIRTUS. recent. hydragoga, purgans. *Siccat.* adstringens.

USUS. recent. Hydrops.

OBS. 1. *Infusum* aquosum radic. recent. odorem nullum induit; saporem vero intense stypticum, nauseosum; Vitriolo martis subito nigrescit. Hujus infusi guttæ 3, instillatæ in aquæ puræ unc. ß, addita solutione Vitr. martis, colorem pulchrum cæruleo-violaceum; guttæ vero 6, colorem saturate cæruleum pulcherrimum præstiterunt.

OBS. 2. Scoti montani ex decocto radicis, addito marte, atramentum scriptorium parant. SIBBALDUS. (*).

29. IRIS biflora LINN. *Sp. pl.* 56. KNIPH. *Bot. or. cent.* 8.

Iris

(*) *Scot. illustr. p.* 2. *l.* 1. *p.* 32.

Iris pumila minor flore purpureo. GARID. *Aix. p. 255. t. 57.*

Iris latifolia biflora. BESLER. *Eyst. vern. 114.*

Pharm. IRIDIS VIOLACEÆ Flores.

Locus. Gallia, Lusitania, locis siccis. *Perennis.* Floret bis in anno, vere scil. & autumno.

FORMA. rec. Flores solitarii. *Spatha* diphylla, dilute viridis, majuscula, uniflora: foliolis ovato-oblongis, acutis, concavis, erectis, subæqualibus. *COROLLA* supera, saturate purpureo-violacea, monopetala. *Tubus* cylindricus, angustus, obscure viridis, longitudine calycis. *Limbus* erecto-patens, sexpartitus: laciniis cuneiformibus, obtusis, violaceis, inferne variegatis; tribus alternis linea longitudinali barbata; tribus aliis alternis glabris, ungvibus compressis. *STAM.* cærulescentia. *Filam.* 3, linearia, tubo inserta, petalis barbatis respondentia, sub stigmatibus recondita. *Antheræ* lineares, planæ. *PIST. Germen* inferum, cylindricum, utrinque truncatum, sexstriatum. *Stylus* cylindricus, tubum replens, longitudine tubi. *Stigmata* tria, maxima, petaloidea, cunei-formi-linearia, dorso concava, antice carinata, apice bifida, corolla dimidio breviora, corollæ concolora, patentia.

PROPRIETAS. recent. Odor aphrodisiacus, sc. e petalis contusis. *Sapor* debilis, odori conformis, *masticata* petala salivam violaceo colore tingunt. Petala recentia, chartæ albæ affricata, illam pulchre violaceam reddunt.

VIRTUS.

USUS.

OBS. 1. *Syrupus*, e petalis recentibus paratus, pulcherrime violaceus est, odore & sapore debili, subnauseoso. Cum spiritu vitrioli rubescit, & cum alcali

 fixo

fixo viridescit. Qui vero e petalis siccatis paratur, non violaceus, sed obscure viridescens est, & magis nauseosus.

OBS. 2. Flores hujus Iridis in pharmacopoliis nostris nondum recepti sunt. Sed quandoquidem Syrupus eleganter coloratus, variis usibus aptus, ex illis parari potest, utiles videntur.

30. CYPERUS longus. LINN. *Sp. pl. 67. Mat. med. 29.* DODON. *Pempt. 336.* BLACKW. *Herb. t. 316.*

Cyperus odoratus radice longa, s. cyperus officinarum. MORIS *Hist. 3. s. 8. t. 11. f. 13.*

Cyperus longus odoratior, habitior. LOBEL. *Icon. 1. p. 75.*

Pharm. CYPERI LONGI Radix.

Locus. Gallia, Italia, in paludibus. *Perennis.*

FORMA. Sicc. Radix sublignea, tenax, teres, ramosa, geniculata: annulis frequentibus circumeuntibus, tecta cortice rufescente, striato, glabro, sæpius in squamas soluto.

PROPRIETAS. Sicc. Odor fragrans, gratus. *Recens* debilius odorata. *Sapor* amaricans, balsamicus, inhærens faucibus.

VIRTUS: stomachica, diuretica, vulneraria.

USUS.

31. CYPERUS rotundus. LINN. *Sp. pl. 67. Mat. med. 30.*

Cyperus rotundus orientalis major. RAUW. *Rais. p. 235. t. 31.* MORIS. *Hist. 3. s. 8. p. 236. t. 11. f. 2.*

Cyperus Hodveg. ALPIN. *Ægypt. p. 44. t. 44.*

Cyperus rotundus odoratus vulgatior. PARKINS. *Theatr. p. 145. t. 146.*

Tra-

Trasi cum flore. LOBEL. *Hist. p. 41.*

Pharm. *CYPERI ROTUNDI* Radix.

Locus. Japonia, Syria, Ægyptus, in paludibus, lacubus, in flumine Nilo. *Perennis.*

FORMA. siccat. Bulbi s. tubera ovata, magnitudine vix ovi columbini, cortice rufescente, glabriusculo, undique cincta annulis frequentibus circumeuntibus, concatenata, sæpe libera; *parencymate* solidiusculo, albido, friabili.

PROPRIET. Odor fragrans, gratus. *Sapor* amaricans, resinoso-balsamicus. *Recens* radix debiliorem habet saporem.

VIRTUS: præcedentis.

USUS.

ORDO
DIGYNIA.

32. SACCHARUM officinarum. LINN. *Sp. pl.* 79. *Mat. med.* 33.

Arundo saccharifera. RUMPH. *Amboin.* 5 *p.* 186. *t.* 74. *f.* 1. HUGHES *Barbad. p.* 244. *t.* 23. *f.* 1. ANONYM. *Hist. nat. du Cacao & du Sucre, p.* 150. *t.* 2. SLOAN. *Jam.* 1. *p.* 108. *t.* 66.

Harundo saccharina indica. LOBEL. *Icon.* 49.

Pharm. & Culinis SACCHARUM album, cantum. Syrupus.

Locus. India utraque, Æthiopia, ubi colitur solo pingvi & depresso. *Perenne.*

FORMA. Saccharum albissimum, solidum, durum, subfriabile, atomis micantibus, vix diaphanum. *Cantum* crystallisatum album vel rubrum: crystallis columna tetraëdra, lateribus planis, duobus oppositis latioribus, utraque extremitate cuneatis, obtusiusculis.

PROPR. Sal essentiale dulcissimum, sapidissimum,

ſimum, ſolubile. Solvitur in aqua, difficilius in vino, difficillime in ſpiritu vini, niſi per calorem ignis, vel mediante aquæ pauxillo. In igne funditur: fuſione limpida, ſubluteſcente, ſub refrigeratione in fila ductili, refrigerata vero ſolideſcente, ſubdeliqueſcente. In igne clauſo, pariter ac in vaſe ferreo ſupra ignem, funditur, ſpumeſcit cum bullis ſponte delinquentibus, fumo copioſo, fuſco, grato; tandem in carbonem vertitur nigricantem, ſpongioſum, ſplendentem, friabilem, non inquinantem, ſub refrigeratione ſubdiſſilientem, calcinatione ſubſequente parum alcali reddentem. Ignis flammæ admotum accenditur, ſpumeſcit, flagrat cum ſtrepitu: flamma cærulea, fere ſapphirina, fumo grato, relictis carbonibus. Saccharum, in aqua ſolutum, lege artis fermenteſcit: fermentatione ſpirituoſa, vinoſa vel acida. Saccharum, uti reliqua ſalia eſſentialia, quiete & mora tarde cryſtalliſatur; unde ſyrupi ſaccharini temporis tractu & quiete cryſtallos ad fundum deponunt. Sed calore ſacchari cryſtalliſatio acceleratur. Ergo cum Saccharum ad cryſtalliſationem perducendum erit, idem in aqua decoquatur, usque dum decoctum, in aëra projectum, veluti fila araneoſa referat; tum vaſis cupreis ſubcylindricis, lævisſimis, filis transverſalibus pertuſis, calidiſſime immittatur, & in hypocauſto perquam calido reponatur per nonnullos dies, ſub quibus cryſtalli, ſumma ſub quiete, filis innaſcuntur, quæ denique ſiccandæ.

VIRTUS: ſaponacea, edulcorans, relaxans, pectoralis, vulneraria, antiſeptica, nutriens.

USUS: culinaris. Raucedo, Tuſſis, Pannus.

OBS. 1. Succus expreſſus e culmis recentibus, mamu-

turis, coquatur repetitis vicibus in vafis idoneis, communiter cupreis, fenfim minoribus, cum aqua calcis & lixivio alcalino, ut clarificetur, h. e., ut partes fucci vifcofæ in fpumam fupernatantem fecedant, continuata evaporatione, donec inter refrigerandum fponte concrefcat. Hoc concretum, fpecies cryftallifationis confufæ, a concomitante liquido feparandum, *Caftonade* dicitur, quod adhuc impurum eft a particulis multis mucilaginofis & melligineis, unde molle & rubicundum eft. Itaque ulterius purificandum, quod *depurare* (*raffiner*) vocant: fcilicet denuo folvendum in aqua pura, atque deinde coquendum pari modo atque prima vice, addito albumine ovorum vel fangvine bubulo, quo ulterius purificetur & clarificetur. Saccharum fic coctum tandem in vafa fictilia, obverfe conica, leniter uftulata, immittatur, fuperimpofita terra argillacea, aquis humectata, qua efficitur, ut humidum hoc per faccharum defcendat, & per apicem coni perforatum, deorfum fpectantem, exeat, fecumque trahat omne quod melligineum fit. Sed ut ad fummam perfectionem redigatur faccharum, pluribus purificationibus, h. e. decoctionibus & defpumationibus, opus eft, donec in Saccharum albiffimum abierit.

OBS. 2. *Acidum facchari effentiale*, ex obfervatione cel. TORB. BERGMAN (*), obtinetur, fi facchar. albiff. pulverati unc. 1 folvatur in acidi Nitri fortis unc. 3, in retorta tubulata; tum adaptetur excipulum aptum, & folutio leniter coquatur. Utprimum liquor badium adipifcitur colorem, iterum affundantur acidi nitri unc. 3, ebullitioque eousque continuanda, dum acidum fumans & color memoratus penitus difparuerint. Tandem in amplius effundatur vas. Sic fub refrigeratione deponuntur cryftalli albæ, graciles, tetraëdræ, acidiffimæ, pondere drachm. 1 ß & gr. 19. Lixivium reftans

(*) *Differt. de Acido Sacchari.* Upf. 1776. 4:to.

restans cum acidi nitri unc. 2 iterum coctum, donec rarescant vapores rubri, post refrigerationem exhibet crystallorum salinarum drachm. ß & grana 12. Quod postea remanet, lixivium glutinosum est, & vix crystallisibile; sed si acidi nitri unc. 2 successive instillentur, & postea evaporatio ad siccum instituatur, obtinetur massa salina, fusca, glutinosa, deliquescens, quæ exsiccata ponderi respondet drachmæ ß. Hæ omnes crystalli postea probe depurandæ, iterata solutione & crystallisatione. Sic obtinetur acidum essentiale sacchari, sacchari albissimi unam tertiam partem efficiens, adeo ut, ad hujus salis unc. 1 producendam, requirantur Sacchari albissimi unciæ 3, & acidi Nitri fortis unc. 30. Hoc sal essentiale in regno vegetabili latius se extendit, & invenitur in melle inque omnibus fructibus atque radicibus dulcibus, e quibus saccharum extrahi potest. Acidissimum est hoc sal, adeo ut dentes, si masticetur, sensibiles faciat. Scrupulus 1 hujus salis, in aquæ cong. 1 solutus, sensibilem aquæ impertit aciditatem. Solvitur in aqua bulliente anatica parte, sub refrigeratione vero aquæ crystallisatur ad vitri parietes. Solvitur etiam in Spiritu vini ebullitione, sed duplam partem requirit spiritus vini, respectu habito ponderis, & refrigeratione subsidunt crystalli squamosæ, irregulares, svaveolentes. Usus hujus salis insignis est ad explorandam aquam quamcunque; nam si tantilla portio hujus salis in aqua solvitur, hæc mox opalescit, si calx ipsi inest, & postea præcipitatur. Generatur enim Selenites saccharatus, in aqua indissolubilis. Sic ex omnibus reagentibus nihil invenies expeditius ad calcis in aqua præsentiam indicandam, quam acidum sacchari. Pulcherrima cum hoc sale instituit experimenta laudatus BERGMAN (*).

OBS.

(*) *Loc. citato.*

OBS. 3. Saccharum in Culinis uſitatiſſimum eſt. Omni fere cibo immiſcetur ad conciliandum ſaporem. Ut edulcorans & ſaponaceum, ſalubre eſt. Dux DE BEAUFORT ſacchari libr. 1 per 40 annos quotidie ſumſit, & ætatem ſeptuaginta annorum attigit. Poſt mortem viſcera inventa ſana, dentesque incorrupti (*).

OBS. 4. Tota familia Graminum Saccharo, ut ſale eſſentiali, ſcatet; nullibi autem tam copioſe occurrit, quam in Arundine ſaccharifera. Principium ſaccharinum in regno vegetabili revera latiſſime diffuſum eſt; etenim deprehenditur in omnibus arboribus, quæ tempore vernali lympham ſtillant, in plurimis radicibus carnoſis, ut Beta, Rapa, Siſaro, Paſtinaca &c.; immò etiam in plerisque fructibus maturis, ſive dulcibus ſeu acidis, adeſt, quod demonſtratur cryſtalliſatione ſucci, extractione cum alcohole Vini, fermentatione ſpirituoſa, vi nutriente.

33. FESTUCA fluitans LINN. *Sp.* 111. *It. ſcan.* 348. SCHREB. *Gram.* 37. *t.* 3.

Gramen loliaceum fluitans, ſpica longiſſima diviſa. MORIS. *Hiſt.* 3. *p.* 183. *ſ.* 8. *t.* 3. *f.* 16.

Gramen mannæ eſculentum Prutenicum. LOESEL. *Pruſſ. p.* 108. *t.* 108.

Culinis MANNÆ grana.

Locus. Europa, in foſſis & lacunis.

FORMA. Grana excorticata, parva, albidoluteſcentia.

PROPR. farinacea.

VIRTUS: nutriens.

USUS culinaris.

OBS. 1. Modus colligendi & purificandi ſemina traditus eſt a LOESELIO & LINNÆO l. c.

OBS. 2. Furfures equos vermibus liberant. LOESELIUS.

(*) *Anecdotes de Medecine, tom.* 2 *p.* 35.

34. SECALE cereale. LINN. *Sp. pl. 124.* SCHWENCK. *Gewaſſ. 23.*

Rogga ſive Secale. DODON. *Pempt. 490. Frument. 50.*

Secale. LOBEL. *Icon. 28.* BLACKW. *Herb. t. 424.*

Culinis SECALIS Semina, Farina, Panis.

Locus. Creta. Seritur in agris, in regionibus borealibus. *Bienne.*

FORMA. Semina cineraſcentia, conica, lineas 2 longa, acuta, glabra, dorſo convexa, antice longitudinaliter ſulcata, baſi obtuſa, verſus apicem notata cicatrice ovata, carinata. *Parencyma* album, farinaceum. *Farina pura* e parencymate pulverato, ſeparatis omnibus furfuribus, alba, ſubinſipida; *mixta* vero cineraſcens, e corticali parte ſimul contrita.

PROPRIETAS: farinacea, viſcoſa.

VIRTUS: nutriens, inviſcans, conglutinans.

USUS: diæteticus.

OBS. 1. *Viſcoſum* Secalis conglutinans, infuſione calida vel unica ebullitione perficitur; protracta vero coctione, adeo non deſtruitur conglutinans, ut potius permaneat.

OBS. 2. *Panis* ſecalinus primarius cibus gentium ſeptentrionalium, ſapidus, nutriens, facilis ſtomacho, dulcis vel acidus. *Dulcis* paratur e farina, tartaro cerevisiæ & pauxillo aquæ, fermentatione ſpirituoſa abrupta, & denique ſubſequente coctione in furno; *Acidus* vero præparatur mediante fermento e paſta acida; hic refrigerans eſt, minus nutriens, diætæ animali convenientiſſimus.

OBS. 3. Semina Secalis, l. a. cum aqua contuſa, Emulſionem non dant, ſed abeunt in gluten viſcoſum.

OBS. 4. Maſſam, e farina ſecalina & tartaro cerevisiæ recenter paratam, colloque affixam, cito curaſ-

ſe

ſe anginam & aſperitatem faucium ſæpiſſime vidi. Sub fermentatione enata propellitur aër fixus, qui forſan reſolvit.

OBS. 5. Secalis ſemina *Amylum* dant farinaceum, albidum, ſubcineraſcens, inter digitos vix crepulum, odore & ſapore ſeminum crudorum. Hoc, cum aqua coctum, abit in gelatinam cineraſcentem, opacam, bene conglutinantem. Ex ſecalis unc. 3 obtinuit cl. SCHEELE (*) amyli unc. 1 ß.

OBS. 6. *Secale cornutum* eſt morbida excreſcentia ſpicæ ſecalinæ, nigra, incurvata, parencymate farinaceo, livido; rancida, combuſtibilis, inebrians. Valde idem noxios edit effectus, utpote ebrietatem, vertiginem, ſtuporem, laſſitudinem, convulſiones, gangrænam. Cl. SALERNE (**) cum Secali cornuto experimenta in animalibus vivis inſtituit, ſat curioſa, unde patet, hoc Secale venenum eſſe lentum, gangrænam tandem efficiens peſſimam.

OBS. 7. Cl. SAGE (***) experimenta inſtituit cum ſeminibus ſecalis, unde didicit, quod farina ſecalina ſubſtantiam glutinoſam, viſcoſam & vix elaſticam, pariter ac amylum, dat. Ex una libra farinæ ſecalinæ deſtillatione elicuit acidi unc. 6, olei ponderoſi unc. 1 & drachm. 2, alcali volatilis gr. 48, carbonis unc. 4, drachmas 2 & gr. 48.

35. TRITICUM hybernum. LINN. *Sp. pl. 126. Mat. med. 36.*
Triticum. DODON. *Pempt. 480. Frument. 20.*
Siligo ſpica mutica. LOBEL. *Icon. 25.*
Pharm. & culinis TRITICI Semina, Amylum, Pulvis cyprius, Panis.

D *OBS.*

(*) In *Litteris* ad me datis.
(**) *Memoir. de mathem. & phyſ. T. 2. p. 155. ſeq.*
(***) *Analyſe des Blés, p. 57 - 59.*

Locus. Seritur ubique in agris. *Bienne.*

FORMA. *Semina* flavescentia, ovato-gibba, utrinque obtusa, lineas 2 longa, glabra, dorso convexa, versus apicem notata cicatrice ovata, prominula, antice longitudinaliter sulcata, basi tomentosa; *parencymate* albo, farinaceo. *Farina* nivea, sublutescens, ponderosa. *Amylum* albissimum, friabile, inquinans, tactu molliusculum, inter digitos fricatum crepulum. *Pulvis cyprius* est amylum in pollinem redactum.

PROPR. farinacea, subinsipida, glutinosa.

VIRTUS: nutriens, fortior antecedente. *Amyli:* exsiccans, obtundens.

USUS: diæteticus. *Amyli:* Diarrhoea.

OBS. 1. Triticum, ex observationibus cl. BECCARI, MODEL, KESSELMEYER, SPIELMANN, BAUMÉ, ROUELLE, SAGE & PARMENTIER, præbet *substantiam glutinosam*, sc. materiam siccam, diaphanam, fragilem, inter velamentum corticale & farinosam seminis compagem sitam, animalis prosapiei, corruptibilem, putrescentem. Hæc substantia glutinosa facile separatur a farina, si formetur pasta e farina Tritici & aqua, quæ inter manus probe malaxetur, & postea nova affusione aquæ lavetur, usque dum omne amylum prorsus sit elotum. Tunc restat substantia glutinosa, albicans, sublutescens, insipida, elastica, tenax, glutinosa, odore farinæ. Si cito siccetur, compacta fit, semidiaphana, odore carnis assatæ, atque sub exsiccatione intumescit. Sed si lente exsiccetur, facillime putrescit: foetore cadaveroso. Solvitur in acidis vegetabilibus, e. gr. cremore tartari, aceto vini: solutione lactescente, spumescente instar saponis soluti; & reducitur in priorem statum, tinctura cum alcali præcipitata; intacta vero manet ab acidis mineralibus, salibus alcalinis fixis & volatilibus, spiritu vini, æthere, oleis. Carbonibus candentibus, supra spa-

ſpathulam, intumeſcit, nigreſcit, foetet: odore cornu aduſti. Aquæ ſimplici immiſſa, fundum petit, nec ſolvitur, niſi loco tepido diutius cum aqua digeſta, ubi putreſcit, foetore caſei antiqui. Si deſtilletur, alcali volatile & oleum empyreumaticum provenit. Quando fermentationem ſubit, vel in aqua coquitur, poſt tres vel quatuor ebullitiones tenacitatem perdit, non reducibilem. E farinæ Tritici unc. 16 ſubſtantiæ glutinoſæ drachm. 2 extraxit cl. SAGE. Hæc ſubſtantia glutinoſa non ſolum in Tritico, ubi primum a BECCARI obſervata fuit, invenitur, ſed, ut recte monet ROUELLE, in omnibus plantis adeſt, & a fæculis ſucci plantæ cujusvis expreſſi ſegregari poteſt, larga primum lotione cum aqua frigida, & deinde repetita affuſione ſpiritus vini, ſubſequente digeſtione loco tepido, quoadusque omne colorans penitus ſit elotum. Tunc obtinetur ſubſtantia glutinoſa, albido-cinerea, ſiccatione fuſceſcens, quæ, ut calculat ROUELLE, tres quartas partes conſtituit fæculæ ſucci adhibitæ. Hæc ſubſtantia glutinoſa, ſi deſtilletur, alcali volatile præbet, etiam in forma concreta, una cum oleo ſupernatante. Hinc facile demonſtrari poteſt ortus partis caſeoſæ in lacte animalium, frumento ſive plantis enutritorum; namque ſolvitur apud hæcce animalia ſubſtantia glutinoſa vegetabilium, & in lac tranſit immutata. Alcali itaque volatile æque bene ad regnum vegetabile, ac ad animale, pertinet. Hoc alcali volatile vegetabile, ſub fermentatione plantarum putrida, evolvitur, & facili encheireſi obtinetur, ut etiam obſervavit HUXHAM (*), ſi nimirum plantæ recentes, cujuscunque demum generis, quantumvis acidiſſimæ, in acervum cumulentur, & ita relinquantur, dum ſponte incaleſcant & fermentationem putridam ſubeant; ſi ſub illo decurſu deſtillatio-

 ni

(*) *Oper. phyſ. med. T. 3. diſſert. de angina maligna, p. 124.*

ni ſubjiciantur, alcali volatile provenit, animalium alcali ſimillimum.

OBS. 2. *Amylum* eſt magiſterium ſeminum Tritici, fermentatione ſive maceratione protracta in aqua ſimplici elaboratum, & in aqua pura deinde bene lotum, tandemque ſiccatum. Ex obſervatione cl. SCHEELE, ſemin. Tritici unc. 3 dant amyli unc. 1 & drachm. 3, albisſimi, puriſſimi, in fæculas concreſcentis, friabilis, facillimi pulveratu, inter digitos crepuli, inodori, inſipidi. Sed cl. SAGE (*) ex farinæ Tritici unc. 16 amyli unc. 11 & drachmas 2 eduxit. Amylum non ſolvitur quiete in aqua frigida vel tepida, nec in ſpiritu vini, vel acidis; coctione ſola, vel ſub jugi conquaſſatione, aqua bulliente ſuperaffuſa, vertitur in *gelatinam* mollem, limpidiuſculam, bene glutinantem. Cum aqua frigida ſive tepida absque coctione conquasſatum amylum abit in pulmentum lactei coloris, ſed non gelatineſcit. Gelatina amyli frigefacta cum aqua frigida non commiſcetur, nec quidem in balneo macerata mixtura, ſed fundum petit, & ſi agitatur mox ſubſidit, aqua ſupernatante non glutinante. Amyli gelatina exſiccata alba evadit, diaphana ut vitrum, ſuperficie ſplendente, fragiliuſcula. Candelæ flammæ admota, flagrat: flamma vivida, & pergit flagrare remota candela, tandemque conſumitur. Sub conflagratione decrepitat, ſcintillas edit. Sub digeſtione in aqua emollitur. Amylum crudum, maſticatum, ſolvitur in ore: ſaliva lactea. Hoc amylum, cum tartaro cereviſiæ & aqua in paſtam redactum & l. a. tractatum, non fermenteſcit; quare nec in panem elaborari poteſt. Sub coctione in furno fermentum ad fundum paſtæ ſubſidit, ubi indureſcit, ipſaque paſta exſiccatur in maſſam albiſſimam, friabilem, ſiccam, amylaceam, rimoſam, conflatam e columnulis

(*) *Analyſe des Blés*, p. 6.

mnulis aggregatis, parallelis, ſcabriuſculis. Materia amylacea in regno vegetabili late ſe extendit; namque amylum dant plurima *ſemina*, præcipue ex familia Graminum & Leguminoſarum; *radices* pæne omnes *tuberoſæ* plantarum, ut Solani tuberoſi, Convolvuli Batatas, Spireæ Filipendulæ, Lathyri tuberoſi, &c.; *carnoſæ* plures, ut Sii Siſari, Bryoniæ, Ari &c.; quidam *bulbi*, ut Gladioli, Colchici &c. Amylum in culinis non incognitum eſt pro cibo. Sic parant Ruſſi ſuum *Kiſel*, quod revera ſapidum eſt. Recipiatur farinæ Tritici libra una alterave, quæ immittenda vaſi cuidam idoneo. Huic adjiciatur furfuris tritici manip. 1, tartari cereviſiæ q. ſ. & aquæ ſimplicis q. ſ. Stent loco tepidiuſculo, & fermentent per 14 dies; unde liquor ſupernatans acidus evadit, qui poſtea decantetur & abjiciatur. Reſiduum eſt amylum, quod cum aqua frigida bene lavari debet. Hujus amyli q. v. coquatur cum lacte bubulo, quoad refrigeratione ſpisſeſcat, quo facto in modulis formari debet hæc puls, poſteaque edi poteſt cum cremore lactis, vel cum vino & aqua ſaccharoque. Ex vulgari amylo parantur placentæ &c.

OBS. 3. De Frumenti morbis bene ſcripſit cl. TILLET (*). Cl. CLAS BIERKANDER (**) pulchras obſervationes communicavit de *uſtilagine*.

OBS. 4. E capite mortuo, poſt deſtillationem Tritici, igne vehementiſſimo, absque ulla alia additione, *Phoſphorum* pulcherrimum elicuit MARGGRAF.

OBS. 5. Europæa noſtra frumenta, in Braſilia ſata, non proveniunt, ut obſervavit A. THEVET (***).

(*) *Diſſertat. ſur la cauſe qui corrompt & noircit les grains de bled &c.* Bourd. 1755. 4:to.
(**) *K. Vetenſk. Acad Handl. v 36. p 317.*
(***) *Singularités de la France antarct. fol. 110. b.*

OBS. 6. Semina Tritici matura, cruda comesta, insalubria sunt. L. B. VAN SWIETEN (*) observavit, pueros quosdam, qui triticum maturum avidius comederant, cunctos male se habuisse, & infarcto ac tumido abdomine diu languisse, tandemque binos eorum periisse hydropicos, reliquis purgantium ope servatis, quibus putrida saburra expulsa fuit. Ejusmodi quid ipse GALENUS adolescens expertus, postquam, aliorum ciborum inopia, triticum coctum, sale conditum, esuriens avide ingessisset, nam mox pondus sensit in ventriculo, postero die sequebantur omnis cibi fastidium, molesti flatus, capitis dolor, & caligatio oculorum, alvo interea suppressa (**).

OBS. 7. Cl. SAGE (***) farinæ Tritici libr. 1 destillavit, & eduxit acidi unc. 8, olei unc. 1 ß, alcali volat. drachm. 1; residuum erat unc. 4, drachm. 2 & gr. 12.

36. TRITICUM repens. LINN. *Sp. pl. 128. Mat. med. 37.*

Gramen loliaceum radice repente. ZANNICH. *Venez. t. 197.*

Gramen caninum repens vulgatius. MORIS. *Hist. 3. s. 8. t. 1. f. 8.*

Pharm. *GRAMINIS* Radix.

Locus. Europa, vulgatissimum in locis cultis. *Perenne.*

FORMA. Radix recens filiformis, teres, simpliciuscula, subramosa, glabra, lævis, repens, longissima, centro perforato, geniculata: geniculis distantibus, vaginatis, emittentibus fibrillas capillares, ramosas.

PROPRIET. recentis & siccat. Sapor debiliter dulcescens. *Odor*, ubi in thecis pharmacopolii

(*) *Comment. in* BOERH *aphor. T. 4. p. 108.*
(** *De Alimentor facult. lib. 1. c. 7.*
(***) *l. c. p. 54.*

lii concisa servatur, exacte idem ac ex acervo frumenti.

VIRTUS: aperiens, temperans, mundificans.

USUS. Obstructio hepatis.

OBS. 1. Principio suo dulci & saccharato valde mite evadit decoctum, & saporem acquirit ut infusum maltæ tenuius.

OBS. 2. *Extractum* aquosum instar mellaginis, nigro-fuscum, odore & sapore fere infusi maltæ, subsalsum.

37. HORDEUM vulgare. LINN. *Sp. pl. 125. Mat. med. 35.*

Hordeum polystichon vernum. MORIS. *Hist. 3. s. 8. t. 6. f. 3.*

Hordeum. BLACKW. *Herbal, t. 423.* DODON. *Pempt. 492. Frument. 54.* LOBEL. *Icon. 28.*

Pharm. & Culinis HORDEI Semina, excorticata, perlata. Malta, Cerevisia, Acetum, Spiritus.

Locus. Seritur in agris. *Annuum.*

FORMA. Semina ovali-oblonga, utrinque attenuata, glabra, pallide citrina, semiungvicularia, undique obsolete angulata, antice sulcata, apice terminata arista lineari, retrorsum scabra, sæpius diffracta; *parencymate* albo, farinaceo.

PROPRIET. farinacea, mucilaginosa.

VIRTUS: nutriens (minor quam præcedentium frumentorum), temperans.

USUS: diæteticus, Potus ægrorum.

OBS. 1. Jusculum vel *ptisana* hordeata, ex Hordeo mundato s. perlato parata, saporis gratia acidulata, primarium potum febrilem, & insimul leniter nutrientem, efficit. Hordeum, a furfuribus mundatum,

decoctum dat opacum, dulceſcens, ſubgelatinoſum, glutinans, poſt refrigerationem incarnatum, conſtans parte amylacea extracta. Si vero integrum Hordeum coquitur, velamentum corticale, aquæ non permeabile, ſeparationem amyli vix permittit; unde limpidius fit decoctum, rubicundum & vix conglutinans. Decoctum Hordei tardius aceſcit, quam decocta e granis Avenæ vel Secalis. Grana ſecalina, aquæ immiſſa, aquam valde acidulatam reddunt (*).

OBS. 2. *Malta* paratur ex hordeo, principio id aqua frigida madefaciendo, dum tumeant ſemina, tum accumulando, dum tepeſcant & germinent, poſtea ſubito ſiccando. Hordeum hacce encheireſi admodum dulceſcit.

OBS. 3. *Decoctum maltæ* ſaturatum dulce eſt, glutinoſum, pectori amicum & in tuſſi inveterata bonum; fermentatum, adjecto Lupulo, abit in Cereviſiam: potum vinoſum, inebriantem, diureticum; qui, ſimulac recens lac coagulavit, *Poſſetum* format; fermentationi vero acidæ ſubjectus, in *Acetum* exit. *Spiritus* autem ex malta ſ. hordeo, expedite fermentato, generatur. Volui explorare, quantum ſpiritus ardentis cereviſia contineret. Itaque deſtillare feci cereviſiæ Stockholmenſis cong. 1, & accepi unc. 2 ß ſpiritus, qui reſpondebat gradui 5:to Probatoris Spiritus vini, (cujus grad. 1 indicat aquam, grad. 10 vero alcohol vini). *Infuſum* maltæ, ut remedium revera bonum in Scorbuto, propoſuit cl. MACBRIDE, quod confirmatum vidit cl. JOH. REINH. FORSTER (**), ſub itinere ſuo maritimo in oceanum auſtralem. Paratur infuſione maltæ libr. 2 in aquæ bullientis libr. 6; mixta bene agitentur, & per nonnullas horas tecta reponantur, tum colentur. Hujus infuſi libr. 2, 3 vel 4 quotidie ſcorbuto laboranti-bus

(*) Cfr. v. SWIETEN *Comment. in* BOERH. *Aphor.* *T.* 1. *p.* 126.

(**) In litteris ad ill. VON LINNÉ; cfr. diſſ. cl. ERN. D. SALOMON *de Scorbuto*, Upſ. 1775. *p.* 22.

bus propinari debent. Purgat alvum, humores edulcorat, & sic sanat. Idem FORSTER refert, nautas, misere scorbuto afflictos, ex hoc infuso brevi convaluisse, absque ullo alio remedio. Ipsa ulcera siphilitica, & abscessum cum ulceribus sinuosis, curavit cl. BENJ. RUSH (*) solo infuso maltæ. Tribus vel quatuor cochlearibus maltæ superaffudit aquæ bullientis libr. 1, & colaturæ addidit cochleare unum alterumve vini & sacchari q. s. atque hujus infusi libras nonnullas quotidie biberunt ægri.

OBS. 4. Ex hordei farina, cum Tartaro Cerevisiæ fermentata, & in furno cocta, provenit *Panis* perfectus, pani secalino paullo albidior, qui quidem recens satis sapidus, antiquior vero siccus & insipidus fit. In septentrionalibus regionibus pauperum plurimi, in annonæ præsertim caritate, hocce pane utuntur. Sed ut sapidus evadat, requiritur, ut pastæ fermentatio brevissima sit, statim atque inceperit abrumpenda.

OBS. 5. Hordeum *amylum* dat farinaceum, albidocinerascens, inter digitos vix crepulum, sapore Hordei crudi. Cum aqua coctum, fit gelatina cinerascens, opaca, bene conglutinans. Ex semin. Hordei unc. 3 amyli unc. 1 & drachm. 6 obtinuit SCHEELE.

OBS. 6. Uncias 4 farinæ Hordei destillavit SAGE (*), e quibus eduxit acidi unc. 1 & drachm. 6; olei ponderosi drachm. 3; olei levioris gr. 14; alcali volatilis gr. 10; remanente carbone unc. 1 & drachm. 2.

OBS. 7. Principium saccharinum in seminibus Hordei imprimis eminet. Evolvitur sub germinatione seminum; sic Malta hordeacea dulcissima. Hordeum proxime sequitur Triticum. Malta vero, e Secalis & Avenæ seminibus parata, dulcedine prioribus cedit.

(*) *Medical observat. and inquir. vol. 4. p. 367. seq.*

(**) *l. c. p. 64.*

38. AVENA ſativa. LINN. *Sp. pl. 118. Mat. med. 38.*
Avena veſca. LOBEL. *Icon. 31. Hiſt. 19.*
Avena. DODON. *Pempt. 502.* BLACKW. *Herb. t. 422.*
Pharm. & *Culinis AVENÆ* Semina, Grana.
Locus. Seritur in agris. *Annua.*

FORMA. Semina cylindrica, ungvicularia, tecta cortice nigro vel albo, lævi, hinc ſulcato, inde angulato; *nucleo* libero, villoſo, pallide cinereo, apice barbato; *parencymate* niveo, farinoſo.

PROPR. farinacea, mucilaginoſa, inſipida, vix dulceſcens.

VIRTUS: nutriens (minor quam præcedentis), refrigerans, obtundens.

USUS: diæteticus, Potus febrilis.

OBS. 1. *Ptiſana* avenacea e ſeminibus, ut & *Juſculum* e granis avenæ, magni ſunt uſus in morbis pectoris, ſputo cruento, febribus, arthritide. *Decoctum* e granis avenæ ſublactei eſt coloris, dulceſcens; refrigeratum mucilaginoſum, ſpiſſiuſculum, debiliſſime glutinans. Decoctum vero ſeminum integrorum avenæ limpidiuſculum, vix mucilaginoſum, tenue, non glutinans.

OBS. 2. Avena *Cereviſiam* dat limpidam, refrigerantem.

OBS. 3. *Amylum* dant ſemina avenæ cineraſcens, farinaceum, odore debili avenæ coctæ, ſapore debili avenæ, inter digitos non crepulum. Ex hujus coctione cum aqua exſurgit gelatina opaca, cinerea, bene conglutinans. Avenæ unciæ 3 amyli unc. 1 ß dant, ut obſervat SCHEELE.

OBS. 4. Ex deſtillatione, quam inſtituit SAGE (*), patet, quod farinæ avenaceæ unciæ 4 dederint acidi unc. 1, drachm. 5 & gr. 10; olei levioris drachm. 5; alcali volat. gr. 10; remanente carbone unc. 1 & gr. 66.

CLAS-

(*) *l. c. p. 68.*

CLASSIS IV.

TETRANDRIA.

ORDO

MONOGYNIA.

39. SCABIOSA Succiſa. LINN. *Sp. pl. 142. Mat. med. 41.*

Succiſa ſ. morſus diaboli. CAMERAR. *Epit. 397.*

Pharm. MORSUS DIABOLI Radix, Herba.

Locus. Europa, in paſcuis humidiuſculis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix fibroſa: fibris plurimis filiformibus, verticillatis, deſcendentibus, lævibus; trunco radicis cylindrico, præmorſo, intra fibras deſcendente; illisque breviore; *Parencymate* albo. *Caulis* ſpithamæus vel ultra, vix pedalis, ſimplex, erectus, teres, pubeſcens, ſcabridus. *Folia radicalia* petiolata, ovata ſ. ovali-oblonga, acutiuſcula, integerrima, utrinque pubeſcentia: pilis raris, baſi tuberculatis; ſupra viridia, ſubtus glauca; *caulina* oppoſita, pauca, linearia, anguſta, remota. *Petioli* lineares, concavi, baſi vaginati. *Capitulum* florum terminale, ſolitarium, ſæpe ternum, pedunculatum, ſubrotundum. *CALYX* communis polyphyllus: foliolis lanceolatis, acutis, ſubpubeſcentibus, ciliatis. *COROLLA* compoſita, cærulea, uniformis; *propria* infundibuliformis; tubo obverſe conico; limbo erecto, quadrifido: laciniis ovatis, obtuſo-rotundatis; tribus æqualibus, exteriore majore.

STAM.

STAM. Filam. 4, setacea, corolla longiora, erecta, intra incisuras corollæ inserta. *Anth.* oblongæ. *PISTILL. Germen* inferum, turbinatum, hirsutum, quadriaristatum: aristis subulatis, fuscis, patentibus. *Stylus* cylindricus, staminibus brevior, cæruleus. *Stigma* truncatum, concavum, exsertum, cæruleum.

PROPR. radic. Odor debilis; *Sapor* amaricans. *Herbæ odor* nullus; *sapor* herbaceus, amaricans.

VIRTUS: adstringens.

USUS: Angina tonsillaris.

OBS. *Infusum* aquosum radicis ad Theam colore accedit, amaricans, non ingratum; vitriolo martis subito nigrescit.

40. SCABIOSA arvensis. LINN. *Sp. pl. 143. Mat. med. 40.*

Scabiosa vulgaris major. DODON. *Pempt. 122.*

Morsus diaboli & Succisa. BLACKW. *Herb. t. 142.*

Scabiosa. LUDW. *Ectyp. p. 10. t. 21.*

Pharm. SCABIOSÆ Herba.

Locus. Europa, in pratis, solo glareoso. *Perennis.*

FORMA. Caulis pedalis vel ultra, teres, simplex, scaber, superne nudus, pubescens, inferne nigro-punctatus, hispidus: pilis albidis. *Folia* opposita, hispida, acuta; inferiora integra, ovali-oblonga, spathulato-petiolata, remote serrata; superiora sessilia, amplexicaulia, pinnatifida: laciniis linearibus, oppositis, subserratis; intermedia duplo majore, lanceolata, utrinque attenuata, in medio serrata. *Flores* terminales, longius pedunculati, solitarii. *CALYX* communis polyphyllus, imbricatus: foliolis ovatis, acutis, pube-

bescentibus, ciliatis, plano-patentibus; interioribus paullo minoribus. *COROLLA* composita hemisphærica, dilute violacea, radiata; *propria radii* tubulata, longitudine calycis, intus villosa, quadrifida: laciniis erectis, oblongis, obtusis, inæqualibus; exteriore paullo majore; duabus lateralibus, oppositis, æqualibus; intima duplo minore; *disci* minor, ore quadrifido; obtuso, inæquali. *STAM. Filamenta* 4, setacea, tubo corollæ inferne adnata, longitudine corollæ. *Antheræ* exstantes, lineares, incumbentes, corollæ concolores. *PISTILL. Germen* inferum, tetragonum, villoso-hispidum, coronatum *pappo* campanulato, villoso-setaceo, cinereo. *Stylus* cylindricus, superne incrassatus, corolla longior, erectus. *Stigma* exsertum, clavatum, emarginatum. *Receptaculum* barbatum: pilis germinibus brevioribus.

PROPRIET. Odor nullus; *Sapor* herbaceus, amaricans.

VIRTUS: adstringens.

USUS.

OBS. *Infusum* herbæ aquosum rubro-purpurascens, odore debili, sapore acerbiusculo, amaricante; vitriolo martis subito nigrescit.

41. ASPERULA odorata. LINN. *Sp. pl. 150. Mat. med. 45.* MILL. *Fig. t. 55.* BLACKW. *Herb. t. 60.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1.* OEDER *Icon. t. 562.*

Asperula odorata flore albo. DODON. *Pempt. 352.*

Asperula aut Aspergula nostras. LOBEL. *Icon. 801. Hist. 464.*

Pharm. MATRISYLVÆ Herba.

Locus. Europa, in sylvis umbrosis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis herbaceus, erectus, simplicissimus, tetragonus, quadrisulcatus, glaber, spi-

ſpithamæus, ſuperne viridis, inferne purpuraſcens. *Folia* verticillata, glabra, ciliata, carina ſcabrida, patentia; inferiora minora, ſena, obovata; media majora, ſeptena, obverſe lanceolata, obtuſa cum acumine; ſuprema octona, paullo minora. *Corymbus* terminalis, pedunculatus, nudus, erectus. *CAL. margo* ſuperus minimus, obſolete quadridentatus. *COR.* alba, infundibuliformis; tubus breviuſculus; limbus quadripartitus, tubo longior: laciniis lanceolatis, obtuſis, patentibus. *STAM. Filam.* 4, alba, brevia, tubo inſerta. *Antheræ* oblongæ, utrinque obtuſæ, erectæ, in fauce ſitæ. *PISTILL. Germen* inferum, ſubrotundum, obſolete didymum. *Styli* 2, albi, breviuſculi. *Stigmata* globoſa.

PROPRIET. recent. Odor vix ullus; planta decerpta, cum marceſcit, odorata evadit, odore grato, ambroſiaco; *ſiccatæ* odor conſimilis, perſiſtens. *Sapor* herbaceus, leniter amaricans.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum ſaturate rubrum, fere ut vinum Gallicum rubrum dilutum, ſapore ambroſiaco, grato; Vitriolo martis nigreſcit. *Tinctura* ſpirituoſa pariter rubra ut vinum rubrum, ſvaveolens; vitriolo martis nigreſcit.

42. GALIUM verum. LINN. *Sp. pl. 155. Mater. med. 46.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 6.* MILL. *Figur. t. 139. f. 1.*

Galium luteum. ZANNICH. *Venez. p. 106. t. 110. f. 1.* LOBEL. *Icon. 804.*

Gallium. DODON. *Pempt. 351.* CAMER. *Ep. 868.*

Pharm. GALLII LUTEI Herba.

Lo-

Locus. Europa, locis apricis, in collibus, juxta margines agrorum, ſolo lætiore. *Perenne*.

FORMA. rec. *Radix* filiformis, geniculata, fibroſa, extus rubro-purpurea, deſcendens. *Caulis* pedalis vel ultra, reſpectu ſoli, tetragonus, geniculatus, pubeſcenti-ſcaber, ſimplex, vel ſuperne parce ramoſus. *Rami* alternatim oppoſiti, divaricato-patentes, floriferi. *Folia* ad genicula, ſeſſilia, verticillata, linearia, anguſta, margine utrinque revoluto, ſupra obſcure viridia, lucidiuſcula, rugoſa, ſulco longitudinali, ſubtus minutim tomentoſa, patenti-reflexa, ſubpollicaria, margine vix ciliata; caulina octona, ſæpe dena; ramea ſena. *Stipulæ* nullæ, verum margo geniculi parvus, caulem ambiens, cui folia inſerta. *Panicula* florum terminalis, longa, ſpithamæa, erecto-incurvata, compoſita: ramis breviuſculis, patentibus; pubeſcens, folioſa: foliolis ſenis, floribus brevioribus. *Bracteæ* parvæ, lineares, ad ſingulum pedicellum ſolitariæ, illoque vix longiores. *CAL. Perianth.* vix ullum. *COROLLA* ſtellata, plana, lutea; *Petalis* 4, ovalibus, acutis, plano-patentibus. *STAM. Filam.* 4, capillaria, erecta, corolla breviora. *Antheræ* ſubrotundæ. *PISTILL. Germen* ſubrotundum, didymum, compreſſum. *Styli* duo, breves. *Stigm.* capitata.

PROPRIET. rec. *Odor* florum fragrans, validiuſculus, melligineus, ſubingratus ſimul. *Sapor* leniter amaricans, odori conformis. *Sicc. Odor* recentium florum odore paullo debilior. *Sapor* herbaceus.

VIRTUS.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* comæ floriferæ aquoſum colore potus Theæ, odore & ſapore florum; Vitriolo martis

fuſco-

fuſco-nigreſcit; herbæ vero infuſum odore & ſapore debiliore eſt.

OBS. 2. Galii veri recentis ſummitates deſtillatæ dederunt *aquam* ſtillatitiam fragrantem, ſapore conſimili, nauſeoſo; ſed nihil acidi obtinuimus, ut tamen vult BORRICHIUS (*), nec lac coagulavit hæc aqua, neque flores recentes in lacte cocti, ut plurimi ſtatuunt; quod experimentum ter repetii.

OBS. 3. Flores lanam luteo colore, at radices rubro tingunt. GUNNERUS.

43. RUBIA tinctorum. LINN. *Sp. pl.* 158. *Mat. med.* 44. ZANNICH. *Venez. t.* 120. BLACKW. *Herb. t.* 326.

Rubia foliis ſenis. MILL. *Diction. litt. R. c. fig.*
Rubia major. LOBEL. *Icon.* 798. *Hiſt.* 463.
Rubia. DODON. *Pempt.* 349.
Pharm. RUBIÆ TINCTORUM Radix.
Locus. Europa auſtralis. Colitur ubique. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, teres, craſſitie pennæ anſerinæ, repens, fibrilloſa, parce ramoſa, geniculata: geniculis diſtantibus, ſubgemmiferis; extus dilute ſangvinea ſ. pallide rubra, glabra vel fuſca, membranis emortuis laxe obvelata, pro gradu ætatis, ſurculos plures cauleſcentes proferens, ubi ſub terra latent ſangvinei. *Parencyma junioris* radicis ſangvineum; corticali parte carnoſa, fragili, ſeparabili; fibra centrali tenaci, medullata; transverſaliter ſectum, centro medullari ovali, atomis punctato, cincto annulo concentrico, tenuiore, opaco, obducto umbone concentrico, dilutiore, & corticali parte ſaturatiore; *Senioris* radicis: corticali parte ſubcarnoſa, fra-

(*) BARTHOLIN. *Act. med. Hafn. vol.* 1. *p.* 130.

fragiliuſcula, facile ſecedente, bitunicata: tunica exteriore fuſca, interiore ſangvinea, magis carnoſa; fibra centrali lignea, luteſcente, medulla parva; transverſaliter ſectum, centro medullari orbiculato, parvo, cincto lignea parte latiore, citrina, porulis pluribus undique pertuſa; obducta umbone concentrico, ſangvineo, & corticali parte fuſca. In annoſis radicibus medulla aut fuſco-nigricans eſt, aut penitus exeſa, unde radices hæ in centro plerumque longitudinaliter perforatæ ſunt.

PROPRIET. rec. Odor contuſæ radicis remisſior, fere corticis Sorbi. *Sapor* amaricans, leniter ſtypticus, ingratus. *Maſticata* tenaciuſcula, ſaliva phœnicea. *Sicc.* conſimilis, ſed odor fortior, præſertim ex radice comminuta.

VIRTUS: tinctoria, diuretica: urina rubra; adſtringens, propinata inficiens oſſa colore kermeſino.

USUS: tinctorius.

OBS. 1. *Infuſum* rad. rec. cum aqua frig. paratum, rubro-ſangvineum; ex radicibus ſenioribus magis fuſceſcens; ex ſurculis tenellis magis phœniceum; cum Spiritu Vitrioli atque Succo Citri congelato vix variat, diluitur paullulum; cum oleo Tart. p. del intenditur & ſaturatius rubrum fit; cum ſolut. Aluminis nil mutatur; cum Vitriolo martis fuſceſcit. Infuſum rad. ſicc. conſimile, odore fere Curcumæ. Tinctura ſpirituoſa pariter rubra eſt. Extractum e radice recente rubro tingit.

OBS. 2. Radix interne ſumta tam urinam, quam lac mammarum, rubro colore tingit. Rad. Rubiæ libr. ß, unica vice Vaccæ, per 24 horas jejunæ, propinata, poſt 12 horas lac non vertit; poſt alias autem 12 horas illud colore ſaturate rubro infecit. Alia vacca, quæ ante ſumtam Rubiam per 12 ſolum horas jejunium ſus-

tinuerat, lac nonnisi post 36 horas rubrum reddidit. Per integros 8 dies, post usum Rubiæ, lac rubrum perrexit. YOUNG (*). Proprietas illa, qua pollet Rubia, ossa animalium viventium tingendi, illorum cibo immixta, magis singularis est. Neque carnes, nec tendines, neque etiam cartilagines inficit, nedum tingit, ut docet cl. FOUGEROUX (**), callos ossium adhuc molles & in duritiem osseam nondum induratos, sed durissima tantum ossa, idque colore rubro, kermesino, adeo pertinaciter inhærente, ut neque decoctione in aqua, nec digestione in spiritu vini, color ossium ullo modo mutetur. Lixivium vero salis tartari, ut docent observationes, aliquid de colore extraxit; aceto vini color ossium ad lutescenti-brunneum sive magis obscurum transiit; sed solutio aluminis colorem delevit. Aër apertus valide in hunc colorem agit, nam sola in aëre libero mora, anni spatio, ossibus pristinam albedinem reddidit. In animalibus junioribus citius infectus hicce procedit, sæpe intra paucos dies; hinc in pullis tenellis tertio die ossa rubro colore tincta observata sunt; in senioribus vero tardius tinguntur, sc. nonnisi post 10, 15 vel 20 dies; DUHAMEL. Ego experimentum repetii cum pullo gallinaceo, semiadulto. Per 4 septimanas pulveris Rubiæ drachm. 1 vel dr. 1ß ei quotidie dedi, nec destiti antequam Rubiæ fere uncias 6 inglutierat. A Rubia perpetuo abhorruit, quare invito intrudenda erat. Macilentus semper apparuit, plumarum partem amisit, & stercus ruberrimum dejecit. Mactati pulli rostrum ungvesque pulcherrime rubros observavi; cutis firma satis fuit albissimaque. Aperto ventre, viscera sana deprehendi, sed ingluvies ad parietem interiorem phœnicea fuit, heparque obscure purpu-

(*) *Dissert. de Lacte, p. m. 549,* in cl. SANDIFORT *Thesauro Dissert. vol. 2.*

(**) *Memoires sur les os, p. 96.*

pureum. Omnia offi totius corporis colore kermefino tincta fuerunt; tendines, cartilaginesque non item. Caro pulli albiffima fuit, fapidiffima, tenerrima; & tametfi vivus pullus gracilis atque macilentus apparuerat, pingviufcula tamen caro. Stercus pulli rubrum fuit; nonnihil ejus colligere feci, quod, in aqua coctum, jufculum tinctorium rubrum exhibuit, & vero telas fericeas lanamque, alumine prius imbutas, non tinxit, nifi addito Tartaro vini, colore tunc lutefcenti-rubicundo, non tamen in lavacro perfiftente; aft linteum & fila bombycina non infecit. Vim Rubiæ offa tingendi anno 1566 primus obfervavit MIZALDUS (*) in ovibus Rubia paftis; anno autem 1735 vis ea innotuit in Anglia JOHANNI BELCHIER (**), apud impresforem telæ bombycinæ, qui fues enutriverat recrementis Rubiæ; MATTH. BAZANUS (***) experimentum inftituit in Italia a. 1745; interea ill. DUHAMEL (†) experimentis indubitatis hanc veritatem ftabilivit, quod etiam alii plures deinde fecerunt, inter quos cl. J. B. BOEHMER (††) priora experimenta repetiit. Inquirere juvaret in omnes hujus ordinis naturalis fpecies, ut pateret, an cunctæ, vel quænam præcife, facultate illa offa tingendi polleant. Certe cl. viri ftatuunt, eadem vi etiam gaudere varias Galii fpecies, e. gr. verum, purpureum, Molluginem, Aparinem, boreale, fylvaticum; item Afperulam tinctoriam, arvenfem, pyrenaicam; Valantiam denique cruciatam.

OBS. 3. Sunt qui multum fperant de Rubia tincto-

 rum

(*) *Memorabil. centur. 7. aph. 91.*
(**) *Philof. Transact. v. 39. p 300*
(***) *Comment. Bonon. T. 2. part. 1. p. 129.* & *T. 2. part. 2. p. 124.*
(†) *Philof. Transact. v. 41. p. 390.* & *Hift. de l' Acad. d. fc. ann 1739.*
(††) *Diff. acad.* Lipf. 1751.

rum in morbis offium, fed experimenta indubitata adhuc defunt. Nec dixero quid fperandum; namque offa, Rubia tincta, magis quam alias fragilia funt, & callus in offe femoris fracto generatus, amplus, fpongiofus & inæqualis fuit, apud columbas Rubia enutritas, dum econtra callus optimæ fuit notæ apud alias columbas, eodem tempore experimentis fubjectas, quas farina e frumento nutriverat DUHAMEL. Experientia quoque monftrabit, quousque Rubia contra Rachitidem valeat, ut arbitratur cl. LUD. COSNIER (*). Certe animalia fere cuncta, a fumta Rubia, largiori dofi, contabuerunt, plurimaque perierunt. Video tamen, cl. J. MARX (**) decoctum Rubiæ pluribus dediffe cum felici fucceffu, in Tuffi chronica, Ictero, Vomitu, illumque feciffe ægrotos per plures feptimanas, immo menfes, decoctum haurire.

44. PENÆA mucronata. LINN. *Sp. pl.* 162. *Mat. med.* 48.

Pharm. SARCOCOLLÆ Gummi.

Locus. Æthiopia.

FORMA. Gummi-refina lutefcens, fubrubicunda, granulata: granis areniformibus, nitentibus; five in fruftis folidiufculis, ponderofis, fubpollicaribus, fæpe magnitudine Pifi, vel Lentis feminis; friabilis, fragilis: fracturis fubgranulatis, nitentibus.

PROPRIETAS. Odor debilis. *Sapor* primum fubdulcefcens, tum amaricans, acriufculus; *mafticata* folubilis. In igne candelæ accenditur, intumefcit, flagrat, nigrefcit. In aqua frigida omni-

(*) *Quæftio med. an Rachitidi Rubia tinctorum.* Parif. 1758. 4.

(**) *Obferv. med.* Berol. 1772. *p.* 27. *feq.*

omnino ſolubilis; in Spiritu autem vini nonniſi qua partem.

VIRTUS: vulneraria, conſolidans, ſuſpecta.

USUS. Vulnera.

OBS. Solutio G. Sarcocollæ ex ſolutione vitrioli martis opaleſcit, præcipitatur ſedimento copioſo, albido.

45. PLANTAGO major. LINN. *Sp. pl.* 163. *Mat. med.* 49. DODON. *Pempt.* 107. CAMERAR. *Epit.* 261. MERIAN. *Eruc. ort. p.* 13. *t.* 37.
Plantago ſeptinervia. BLACKW. *Herb. t.* 35.
Plantago vulgaris latifolia. LOBEL. *Hiſt.* 162.
Pharm. PLANTAGINIS LATIFOLIÆ Radix, Herba, Folia virentia.

Locus. Europa, ad vias. *Perennis.*

FORMA. recent. Radix pollicaris vel ultra, ſubturbinata, apice lanata: tomento ferrugineo; undique obſeſſa fibris plurimis, filiformibus, glabris, albis, approximatis, deſcendentibus; *parencymate* ſubcarnoſo, albido; transverſaliter ſecto centro medullari orbiculato, variegato, cincto annulo purpureo, tenui; corticali parte ſimili medullari. *Siccatæ* parencyma pallide incarnatum, ſolidiuſculum, ſed molliuſculum, minime friabile. *Folia* omnia radicalia, palmaria, petiolata, erecto-patentia, ovata, obtuſa, ſubſucculenta, margine ſubundulata, minutim atque remotiſſime dentata, utrinque glabra, ſeptemnervea: nervis elevatis; quarum 5 validiores; laterali utrinque minore, in medio folii evaneſcente. *Petioli* longitudine fere foliorum, glabri, ſubtus convexi, ſulcato-ſtriati, ſupra concavi, baſi latiores, ſubvaginati: vagina ſubſucculenta, alba, concava. *Scapi* plerumque plures ex una radice, teretes,

 ere-

erecti, pubescentes, foliis longiores, nudi. *Spica* cylindrica, terminalis, floribus undique imbricata. *Bracteæ* solitariæ, ovatæ, obtusæ, concavæ, carinatæ, margine membranaceæ, flores fulcientes, adpressæ, calyce breviores. *CAL.* tetraphyllus: foliolis ovatis, obtusis, membranaceis, albidis, carina viridi. *COROLLA* monopetala, membranacea, diaphana, marcescens. *Tubus* cylindrico-ovalis, longitudine calycis. *Limbus* quadripartitus: laciniis ex ovato sensim acutis, concavis, reflexis, tubo brevioribus. *STAM. Filam.* 4, capillaria, infima basi tubi inserta, corolla duplo longiora, exstantia. *Antheræ* purpureæ, ovatæ, acuminatæ, utrinque planæ, margine utrinque bilamellatæ. *PIST. Germen* superum, ovatum, viride. *Styl.* filiformis, albidus, pubescens, corolla longior. *Stigma* simplex.

PROPR. sicc. radicis Odor debilis. *Sapor* primum subargillaceus, dein subdulcescens, non ingratus. *Masticata* comminuitur, tingit salivam rufescenti colore, & saporem panis secalini leviter tosti ori imprimit. *Folior. Odor* herbaceus; *Sapor* rancidus; *masticata* salivam rubro tingunt.

VIRTUS: vulneraria.

USUS: Tertiana.

OBS. 1 *Infusum folior. rec.* limpidum, sapore herbaceo; vitriolo martis nigrescit; *folior. sicc.* aurantium, sapore pariter herbaceo; vitriolo martis minus fuscescit. Pari modo se habuit infusum radicis, quod magis dulcescens fuit.

OBS. 2. Plurimæ sunt narrationes de utilitate Radicis Plantaginis in Tertianis. Periculum ipse feci, dosi largiori, scil. a drachmis 3 ad 6, quovis die, sub apyrexia; sed contra febres autumnales nihil valuit Plantago; in vernalibus autem febribus subinde opem tulit.

46.

46. PLANTAGO Cynops. Linn. *Spec. pl.* 167. *Mat. med.* 50.

Pſyllium majus ſupinum. Bauh. *Hiſt.* 3. *p.* 513.

Pſyllium Plinianum forte. Lobel. *Hiſt.* 239.

Pſyllium ſempervirens. Moris. *Hiſt.* 3 *ſ.* 8. *p.* 262. *t.* 17. *f.* 1.

Pharm. PSYLLII Semina.

Locus. Europa auſtralis. *Perennis.*

FORMA. Semina parviuſcula, ovali-oblonga, utrinque obtuſa, hinc convexa, fuſca, nitida, inde concava.

PROPR. Odor nullus. *Sapor* nullus. *Maſticata* mucilaginoſa.

VIRTUS: obtundens, refrigerans.

USUS. Ophthalmia, Dyſenteria, Dyſuria.

OBS. Seminum drachma 1, aquæ fervidæ unc. 6 infuſa, illas in *mucilaginem* vertit. Hæc mucilago ſubvirideſcens eſt, inſipida, conſiſtentia albuminis ovi, odore debiliſſimo, ſapore nullo; Vitriolo martis non alteratur. Decoctione vero in aqua, vel digeſtione in Spiritu vini, acrimoniam levem produnt hæc ſemina.

47. FAGARA octandra. Linn. *Mantiſſ.* 1. *p.* 40.

Elaphrium tomentoſum. Jacq. *Hiſt.* 105. *t.* 71. *f.* 1. - 3.

Pharm. TACAMAHACÆ Gummi.

Locus. Curaçao Americæ. *Arbor.*

FORMA. Reſina ſolida, in fruſtis majoribus, vix diaphana, fuſca, variegata: maculis luteſcentibus, rubeſcentibus; friabilis, fragilis: fracturis planis, nitentibus.

PROPRIET. Odor gratus, ambroſiacus; *ſapor* nullus; *maſticata* inter dentes friabilis. In ignis flamma fuſibilis, accenditur, flagrat cum ſuſurro: flamma alba, fumo copioſo, odore reſinoſo.

β. *Ramulus* arboris Tacamahacæ americanæ, rosaceis foliis alatæ. SEB. *Thes. 2. p. 49. t. 48. f. 3.*
Gomme Tacamahaca. DES MARCHAIS *Voyag. T. 3. p. 260.* *
Pharm. TACAMAHACA in testa.
Locus. Brasilia, Gviana. *Arbor.*
FORMA. Resina immissa testis cucurbitaceis, hemisphæricis, plastica, viridescens, subdiaphana, pingviuscula; inter digitos tractata tenax, adhærens.
PROPRIET. Odor fragrans, validus, in flores Lavandulæ incidens. *Sapor* leniter amaricans, odori conformis. *Masticata* emollitur, non solvitur, nec dentibus adhæret, colorem viridem deponit & albescit. Funditur in igne clauso; flammæ admota subdestillat, accenditur & flagrat: flamma vivida, fumo gratissimo Lavandulæ, fuliginoso.
VIRTUS: roborans, resolvens.
USUS: externus.
OBS. 1. Ex incisione corticis succus resinosus stillat, qui testis cucurbitaceis excipitur, & deinde siccatur.
OBS 2. Tacamahaca *vulgaris* solvitur in oleo expresso perfecte: solutione turbida, rubescente; in oleo stillatitio non solvitur, sed emollitur & tingitur luteo. Tacamahaca *in testa* solvitur etiam in oleo expresso; at in Spiritu vini & oleo Terebinthinæ nonnisi imperfecte.

48. TRAPA natans. LINN. *Sp. pl. 175. Mat. med. 52.*
Tribulus aquaticus. DODON. *Pempt. 571.* CAMER. *Epit. 715.*
Pharm. NUCIS AQUATICÆ Fructus.
Locus. Europa, in lacubus, stagnis. *Annua.*
FORMA. Nux fusca, pollicaris, subtriangularis, quadrirostris: rostris alternatim oppositis,

sub-

ſubconicis, incurvis, mucronatis, compreſſiuſculis, patentibus; quorum ſuperiora paullo minora; unilocularis, *Nucleo* cordato, albo, firmo.

PROPR. Nucleus recens dulceſcens, ad Caſtaneam accedens.

VIRTUS: ſubnutriens, ſubreſtringens.

USUS: culinaris.

49. DORSTENIA Drakena. LINN. *Sp. pl.* 176.

Dorſtenia Dentariæ radice, Sphondylii folio, placenta ovali. HOUSTON *Philoſ. transact.* *vol.* 37. *p.* 192.* *t.* 1.

Tuzpatlis. HERNAND. *Mexic.* 147. (absque flore).

Contraſierva. DES MARCHAIS *Voyag. vol.* 3. *p.* 254.*

Pharm. CONTRAJERVÆ Radix.

Locus. America auſtralis.

FORMA. ſicc. Radix fuſiformis, ſolida, pollicaris vel ultra, ſæpe digitalis, extus fuſco-cinerea, rugis transverſalibus, undique fibroſa, præcipue inferne: fibris filiformibus, longiſſimis, deſcendentibus. *Parencyma* albidum, duriuſculum, compactum; poſt ſectionem transverſalem annulo medullari notatum.

PROPRIET. Odor fragrans, gravis. *Sapor* ſubamaricans. *Maſticata* in ore non ſolubilis, verum compages tenax. *Recens* radix acris.

VIRTUS: alexiteria, ſudorifera.

USUS. Febris lenta nervoſa.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum brunneum, ſapore radicis; vitriolo martis non alteratur. *Decoctum* mucilaginoſum; LEWIS. *Extractum* ſpirituoſum fragrans, ſapore radicis, acriuſculum.

OBS. 2. Fide Houstoni, autoptæ, Dorſteniam Drakenam excito, licet, ut idem monet, Contrajerva officinarum promiſcue, & ab hac ſpecie, & a Dorſtenia Houſtoni, colligi ſoleat.

OBS. 3. Pulveranda ſub contuſione nares irritat.

50. CAMPHOROSMA monſpeliaca. Linn. *Sp. pl.* 178. *Mat. med.* 43.

Camphorata hirſuta. Buxbaum *Centur.* 1. *p.* 18. *t.* 28. *f.* 1.

Camphorata monſpelienſium. Bauhin. *Hiſt.* 3. *p.* 379. *f.* 380.

Pharm. CAMPHORATÆ Herba.

Locus. Europa auſtralis, Tartaria, locis arenoſis. *Perennis.*

FORMA. Radix cylindrica, craſſitie digiti, deſcendens: *Caules* plures ex una radice, erecti, ſpithamæi vel ultra, teretes, ramoſi: ramis ſparſis; tomentoſi. *Folia* faſciculata: faſciculis alternis; ſubulata, ſeſſilia, circiter lineas duas longa, hirſuta, rigidiuſcula, patenti-erecta.

PROPR. Odor aromaticus, ſubcamphoratus. *Sapor* acriuſculus.

VIRTUS: reſolvens, diuretica, diaphoretica.

OBS. Commendatur decoctum vel infuſum aquoſum ſ. vinoſum in aſthmate, leucophlegmatia, ipſoque hydrope; ſed ipſe hanc plantam nunquam adhibui.

51. ALCHEMILLA vulgaris. Linn. *Sp. pl.* 178. *Mat. med.* 54. Kniphof. *Bot. orig. cent.* 3. Miller *Figur. t.* 18. Clus. *Hiſt.* 2. *p.* 108. Gunner. *Flor.* 70.

Alchemilla. Blackw. *Herb. t.* 72. Lobel. *Hiſt.* 378. Dodon. *Pempt.* 140.

Alchemilla alpina pubeſcens minor. Pluken. *Phytogr. t.* 240. *f.* 2.

Pharm.

Pharm. *ALCHEMILLÆ* Radix, Herba.

Locus. Europa, in pafcuis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, oblique defcendens, fibrillofa, extus fufca, undique notata marginibus annularibus frequentibus, obfoletis, quibus infident fquamæ fufcæ, emarcidæ, radicem undique obfidentes. *Parencyma* albidum; transverfaliter fectum centro medullari ampliffimo, æquali, vel punctis fangvineis nebulofo; cincto annulo albido, fubinterrupto, intra corticalem partem fito. *Caulis* folitarius, fæpe bini ex una radice, fpithamæus, erectus, teres, villofus, fubnudus, fuperne dichotomus. *Ramus* lateralis e medio caulis, filiformis, erectus, nudiufculus. *Folia* reniformi-orbiculata, concava, plicata, novemnervea, minutim venulofa, fupra pubefcentia, fubtus villofa, novemlobata: lobis obtufo-rotundatis, ferratis; radicalia longius petiolata, erecta; caulina minora, brevius petiolata, alterna, pauca, diftantia. *Petioli* radicales teretes, palmares, caulis craffitie. *Stipulæ radicales* duæ, in petiolum decurrentes, membranaceæ, apice obtufæ, pilofæ, incifo-ferratæ, acutæ; *caulinæ* inferiores campanulatæ, turbinatæ, amplexicaules, pubefcentes, apice incifo-ferratæ; fuperiores perfoliatæ, planiufculæ, incifæ. *Corymbus* terminalis, dichotomus, pubefcens. *Flores* breviter pedicellati. *CAL. Perianth.* monophyllum, tubo turbinato, tetragono, pubefcente; limbo glabro, octofido: laciniis 4 alternis ovatis, acutiufculis, apice fubpilofis, erectis; 4 aliis alternis oblongis, multo minoribus, patentibus. *Collum* tubi calycis claufum, fed foramine centrali perforatum. *COROLLA* nulla. *STAM. Filam.* 4, fubulata, calyci inferta, illoque brevio-

ra

ra. *Antheræ* ſubrotundæ. *PIST.* *Germen* inferum, intra tubum calycis, ovatum, obtuſum, glabrum. *Stylus* ſubulatus, breviuſculus, e latere germinis. *Stigma* capitatum, globoſum, in collo calycis ſitum.

PROPRIET. *Radix rec.* conciſa albida; aëri vero expoſita mox luteſcit. *Odor* recentis ingratus, fere ceu urina Cati. *Sapor* ſtypticus. *Herbæ rec.* *Odor* debilis, herbaceus; *Sapor* herbaceus.

VIRTUS: adſtringens, vulneraria.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum herbæ ſicc. potus Theæ ſpeciem præbet, ſapore herbaceo; vitriolo martis illico nigreſcit. *Decoctum* ſaturatiſſimum herbæ aquoſum virideſcenti-brunneum, turbidum, odore nullo, ſapore leniter amaricante, ſed non ſtyptico. Cum vitriolo martis atramentum fit, ſed virideſcenti-nigrum.

ORDO

DIGYNIA.

52. CUSCUTA europæa. Linn. *Sp. pl. 180. Mat. med. 55.*

Cuſcuta major. Zannich. *Venez. t. 138. f. 2.*

Cuſcuta. Camerar. *Epit. 984.*

Caſſutha. Dodon. *Pempt. 545.*

Pharm. *CUSCUTÆ* Herba.

Locus. Europa. *Paraſitica in ſtirpibus.*

FORMA. *Caules* filiformes, ſubdichotomi, nudi, implexi. *Folia* nulla. *Glomeres* florum ſubrotundi, ſeſſiles, diſtantes.

PROPRIET. *ſicc.* *Odor* debilis. *Sapor* vix amaricans, acriuſculus. *Maſticata* leniter rodens in lingva & faucibus.

VIR-

VIRTUS: ſtimulans, incidens, aperiens.

USUS.

OBS. 1. Commendatur in obſtructionibus viſcerum.

OBS. 2. *Infuſum* aquoſum herbæ ſicc. rubicundum, herbacei ſaporis; Vitriolo martis fuſceſcit.

β. Epithymum ſ. Cuſcuta minor. BAUHIN. *Pin.* *219.*

Pharm. *EPITHYMI* Herba.

FORMA. *ſicc.* Ut præcedens, verum ex omni parte tenuior, capillaris, ferruginea.

PROPRIET. *ſicc.* Magis odorata quam præcedens. *Sapor* fere magis acris, pungens, inhærens.

VIRTUS: eadem quæ præcedentis.

USUS.

OBS. *Infuſum* herbæ aquoſum priori ſimile, ſapore autem magis aromatico; a Vitriolo martis purpureum.

ORDO

TETRAGYNIA.

53. ILEX Aquifolium. LINN. *Sp. pl. 181.*
Aquifolium baccis rubris. DUHAM. *Arbr. 1. p. 59. t. 22.*
Aquifolium. BLACKW. *Herb. t. 205.* MILL. *Fig. t. 46.*
Agrifolium. DODON. *Pempt. 746.*
Pharm. *VISCUM AUCUPARIUM.*

Locus. Europa auſtralis. *Arbuſcula.*

FORMA. Maſſa reſinoſa, viridis, molliſſima, plaſtica, ſubfluidiuſcula, tenaciſſima, in fila longiſſima ductilis, adhærens.

PROPRIET. *Odor* terebinthinatus, fere reſinæ abietis. *Sapor* conſimilis. *Maſticatum* labiis adglu-

glutinatur, in ore non ſolvitur, nec ullo modo cum ſaliva miſcetur. In frigore rigeſcit, in calore ignis liqueſcit, funditur cum crepitu, admota flamma difficulter accenditur, nec niſi poſtquam ſuper carbones candentes probe excalefactum eſt, quo facto accenditur a flamma admota & flagrat: flamma vivida. Solvitur in oleis expreſſis & ſtillatitiis, pariter ac in Spiritu vini; in aqua vero ſimplici minime.

VIRTUS.

USUS: mechanicus.

OBS. 1. Cortex interior hujus arbuſculæ, exteriore bene exutus, ſucculentus eſt. Si hic in poſtam contundatur, & deinde vaſi incluſus in cella reponatur ad putreſcendum, atque tum in aqua lavetur, ut fibræ ligneæ ſeparentur, optimum habebitur gluten aucuparium. DUHAMEL

OBS. 2. Etſi tenaciſſimum eſt hoc viſcum, tamen non conglutinat.

CLAS-

CLASSIS V.
PENTANDRIA.
ORDO
MONOGYNIA.

54. ANCHUSA officinalis. LINN. *Sp. pl.* 191. *Mat. med.* 59. OEDER. *Icon.* t. 572.
Bugloſſum. BLACKW. *Herb.* t. 500.
Pharm. *BUGLOSSI* Radix, Herba, Flores.
Locus. Europa, locis ruderatis, ad vias. *Perennis.*

FORMA. rec. *Radix* cylindrico-fuſiformis, ſpithamæa, deſcendens, parce fibrilloſa, extus rufeſcens, *parencymate* ſubcarnoſo, incarnato; poſt ſectionem transverſalem centro medullari orbiculato, rubicundo; peripheria annulo latiuſculo incarnato, nebuloſo; corticali parte rubicundo. *Caulis* bipedalis, erectus, angulatus, piloſus, ſcaber, ſuperne ramoſus. *Folia* ſubſucculenta, alterna, lineari-lanceolata, acuta, utrinque hirta, ſcabra, ſubtus carinata, margine minutim eroſo-denticulata, plusquam palmaria, patentia; inferiora inferne attenuata, petiolata; ſuperiora ſeſſilia, inferne latiora, baſi rotundata. *Corymbus* terminalis, conſtans ſpicis alternis, conjugatis, bracteatis, ſecundis, hirtis, apice revolutis. *Bracteæ* lanceolatæ, hirtæ, ciliatæ, calycibus paullo longiores. *Flores* ſubſeſſiles. *CAL.* *Perianth.* monophyllum, hirſutum, quinquepartitum: laciniis lineari-lanceolatis, acutis, erectis. *COROL-*
LA

LA infundibuliformis. *Tubus* cylindricus, longitudine calycis, albido-cæruleſcens, ſuperne angulatus. *Limbus* pulcherrime cæruleus, extus nitidiuſculus, quinquefidus: laciniis ovatis, obtuſis, patentibus. *Cingulum* depreſſum, interruptum, extus ad apicem tubi. *Nectarium:* ſquamæ 5, oblongæ, cæruleæ, apice obtuſo - gibbæ, antice barbatæ, margine utrinque albo - hirſutæ, in fauce conniventes. *STAM. Filam.* 5, brevia, alba, in apice tubi. *Antheræ* lineari - trigonæ, fuſcæ, incumbenti-erectæ, ſub nectario reconditæ. *PISTILL. Germen* ſuperum, quadripartitum, obtuſum, viride. *Stylus* cylindricus, albidus, ſtaminibus brevior. *Stigma* ſubcapitato - obtuſum, emarginatum.

PROPRIET. rec. radic. Odor nullus; *Sapor* mucilaginoſus. *Folior.* rec. *odor* nullus; *ſapor* herbaceus, debilis; *maſticata* tenera, ſucculenta, ſalivam vix tingunt, ſubinſipida. *Flores* rec. inodori, inſipidi, ſubmucilaginoſi, ſalivam cæruleo tingentes maſticati, poſtea obſcure amaricantes.

VIRTUS totius: refrigerans, aperiens, oleracea.

USUS. Ardor viſcerum, Hypochondriaſis.

OBS. *Infuſum radicis* ſicc. aquoſum rubicundum, ſapore dulci & grato, inſtar infuſi maltæ; vitriolo martis non alteratur; *folior.* rubrum, ſapore herbaceo, vitriolo martis ſenſim fuſcum evadens; *florum* vix ullius ſaporis.

55. ANCHUSA tinctoria. LINN. *Sp. pl. 192. Mat. med. 58.*
Anchuſa monſpeliaca. BAUH. *Hiſt. 3. p. 584.*
Orcanette. POMET *Drogu. 1. p. 90. f. 74.*
Radix anchuſæ. VALENT. *Simpl. 126.*
Pharm. ALCANNÆ Radix. *Lo-*

Locus. Monspelium, locis siccis. *Perennis.*

FORMA. sicc. Radix conico-cylindrica, purpureo-nigricans, palmaris, inferne sensim attenuata; vestita corticali parte concolore, intra quam fasciculus plurium fibrarum radicum cylindricarum, minorum, parallelarum inclusus est, quarum singulæ cortice proprio purpureo obvelatæ. *Parencyma* ipsarum radicis fibrarum cinereum, siccum, durum, subligneum, fragiliusculum.

PROPRIET. sicc. Odor nullus. *Sapor* mucidus. *Masticata* corticali parte salivam rubrobrunneo tingit. Chartæ affricata corticalis pars, inquinans est: colore rubro-violaceo; cuti vero fricata, tingit illam colore pulcherrimo sangvineo, optimi instar fuci.

VIRTUS: tinctoria, præcipue pingvibus.

USUS: tinctorius.

OBS. 1. Corticalis pars radicis oleis omnibus, ceræ, axungiis, quadragesima circiter parte illorum ponderis addita, balneoque aquæ digesta, illa sangvineo tingit colore; Spiritum vini etiam tingit, sed colore dilutiore, quæ Tinctura spirituosa affuso vitriolo martis subito nigrescit; at aquam difficulter colore inficit, nisi diutius loco tepido digesta fuerit, idque tunc colore dilute rubro. Hæc Tinctura aquosa chartam tingit colore Lilac, & vitriolo martis sensim fusca fit.

OBS. 2. Sæpe sunt qui adulterant radicem Alcannæ, substituta radice Buglossi, quam coquunt in decocto Ligni Brasiliani rubri, ut colorem mutuetur; sed fraus facile detegitur inspectione oculari ipsius radicis, atque etiam infusione in oleo olivarum, vel alio oleo expresso, quod e radice adulterata rubrum non evadit.

OBS. 3. Alcanna vera, Lawsonia inermis LINN., nunquam in officinis nostris occurrit, quare nec de illa nobis erit sermo.

56. CYNOGLOSSUM officinale. LINN. *Sp. pl. 192. Mat. med. 60.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 6.*
Cynogloſſum. DODON. *Pempt. 53. f. 1. & 2.* BLACKW. *Herb. t. 249.*
Cynogloſſum foliis ellipticis lanceolatis, ſericeis, caule folioſo. HALLER *Helv. 260.*
Pharm. CYNOGLOSSI Radix, Herba.
Locus. Europa, Oriens, in ruderatis. *Annuum.*
FORMA. rec. Radix majuſcula, extus rubro-nigricans; inferne ſimplex, ſuperne ramoſa; *Parencymate* albo, ſubcarnoſo; transverſaliter ſecto, centro medullari orbiculato, amplisſimo, circumdato annulo ſubſpongioſo. *Caulis* ſubbipedalis, erectus, teretiuſculus, ſulcato-angulatus, villoſus, ſimpliciuſculus, ſuperne ramoſus. *Rami* breviuſculi, paniculati, ſtricti, villoſi. *Folia* ſparſa, frequentia, utrinque pubeſcentia, mollia, binervia, acuta; inferiora petiolata, lanceolata; ſuperiora ſeſſilia, linearia. *Racemi* in ramulis, floriferi ſubrotundi, ſecundi; fructiferi folioſi, longius pedunculati. *CAL. Perianth.* quinquepartitum: foliolis ovali-linearibus, obtuſiuſculis, villoſis, erectis. *COROLLA* monopetala, infundibuliformis. *Tubus* cylindricus, craſſus, pallidus, ſtriatus, calyce duplo brevior. *Limbus* concavus, ſordide purpureus, quinquefidus: laciniis obovatis, obtuſo-rotundatis, calyce vix longioribus. *Nectarium:* ſquamæ 5, purpureæ, antice concaviuſculæ, vertice gibbæ, obtuſæ, margini tubi inſertæ, limbo duplo breviores, conniventes. *Faux* corollæ perforata. *STAM. Filam.* 5, brevia, margini Tubi inſerta. *Antheræ* cordato-trigonæ, ſub ſquamis nectareis reconditæ. *PIST.* viride. *Germen* glabrum, quadripartitum: lobis globoſis,

sis. *Stylus* pyramidalis, tetragonus, longitudine tubi corollæ. *Stigma* obtusum, emarginatum.

PROPRIET. recent. Rad. Odor foetido-hircinus. *Sapor* subdulcescens, hircinus. *Herbæ* & *Florum odor* foetido-narcoticus. *Sapor* herbaceus, aquosus, subhircinus. *Siccata* radix sapore mucilaginoso, dulcescenti-fatuo; herba exsiccata debilior.

VIRTUS: antispasmodica.

USUS. Tussis.

OBS. *Infusum* aquosum *radicis* rubrum; vitriolo martis fuscum; *herbæ* consimile.

57. PULMONARIA officinalis. LINN. *Sp. pl.* 194. *Mat. med.* 62. KNIPH. *Botan. orig. centur.* 1.
Symphytum maculosum. DODON. *Pempt.* 135.
Pulmonaria maculosa. BLACKW. *Herb. t.* 376.
Pulmonaria vulgaris maculoso folio. CLUS. *Hist.* 2. *p.* 169.
Maculosa Pulmonaria. LOBEL. *Hist.* 317.
Pharm. PULMONARIÆ Herba.
Locus. Europa, in nemoribus; vernalis. *Perennis.*

FORMA. recent. Caules plures ex una radice, erecti, angulati: angulis e foliis decurrentibus, spithamæi vel ultra, scabri, simplices. *Folia* alterna, ovato-oblonga, acuta, ciliata, scabrida: pilis brevissimis; bipollicaria, integerrima, subtus cinerea; radicalia petiolata, paullo majora, caulina sessilia, decurrentia. *Corymbus* florum terminalis, sessilis, nutans, gracilis, bifidus, floribus brevius pedunculatis. *CAL. Perianth.* monophyllum, cylindrico-campanulatum, quinquangulatum, scabrum: punctis elevatis piliferis; quinquefidum: laciniis lanceolatis,

 acutis,

acutis, erectis, æqualibus. *COROLLA* monopetala, infundibuliformis. *Tubus* albidus, cylindricus, longitudine calycis, angulatus, basi paullulum incrassatus. *Limbus* dilute purpureus, campanulatus, nervis & venulis albidis pictus, quinquefidus: laciniis ovatis, obtuso-rotundatis, erectis. *Faux* barbata. *STAM. Filam.* 5, subulata, tubo adnata, superne libera, brevia, sub barba faucis, alba. *Anth.* oblongæ, trigonæ, erectæ, in fauce conniventes. *PISTILL. Germen* superum, viride, quadripartitum: lobis ovatis, obtusis; cinctum perichætio e squamis 4, subcarnosis, albidis, concaviusculis, ovatis, obtusis, singulis singulum germen fulcientibus, illiusque longitudine. *Stylus* cylindricus, albidus, staminibus brevior. *Stigma* capitatum, emarginatum

PROPR. Odor nullus. *Sapor* herbaceus, debilis. *Recens* submucilaginosa.

VIRTUS: oleracea, adstringens, vulneraria.

USUS. Hæmoptysis.

OBS. 1. *Infusum* aquosum herbacei saporis, tenue; ex vitriolo martis momento nigrescit.

OBS. 2. Ex observatione GMELINI (*), Pulmonaria dat cineris septimam sui ponderis partem, albi; lixivio peracri; sale lixivioso acido maritato, indeque cum Spiritu vitrioli parum effervescente.

58. SYMPHYTUM officinale. LINN. *Sp. pl. 195. Mat. med. 61.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1.*
Symphytum magnum. DODON. *Pempt. 134.*
Symphytum Alum. LOBEL. *Hist. 315.*
Symphytum. BLACKW. *Herb. t. 252.*

Pharm.

(*) *Commentar. Petropolit. vol. 5. p. 282.*

Pharm. *CONSOLIDÆ MAJORIS* Radix, Herba, Flores.

Locus. Europa, in umbrofis humidis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix adulta magna, extus nigricans, ramofa: ramis cylindricis; *Parencymate* albo, carnofo; transverfaliter fecto, centro medullari orbiculato, amplo, obfolete ftellato, punctis adfperfo. *Caulis* fimplex, erectus, teres, fubangulatus, fcaber: pube rigida, recurva; fubbipedalis. *Folia* alterna, petiolata, ovato-lanceolata, acuta, fpithamæa, rugofa; villofo-fcabra, ciliata, patentia. *Petioli* fupra concavi, fubtus convexo-carinati, marginati: margine foliaceo, in caulem utrinque decurrente. *Corymbus* terminalis, cernuus, foliofus, villofo-fcaber, compofitus e cymis alternis, nutantibus, axillaribus e foliis corymbi. *CAL. Perianth.* monophyllum, villofum, profunde quinquefidum: laciniis lanceolatis, acutis, carinatis, erectis. *COROLLA* infundibuliformis, alba, decidua. *Tubus* craffus, longitudine calycis, apice extus notatus punctis 5, depreffis. *Limbus* ovatus, e tubo fenfim ampliato, minutim quinquefidus: laciniis brevibus, obtufo-rotundatis, revolutis. *Faux* claufa: fquamis nectareis 5, lanceolatis, acutis, albis, margine utrinque ferrulatis: ferraturis cryftallino-fplendentibus; conniventibus, corolla brevioribus. *STAM. Filam.* 5, lanceolata, alba, breviufcula. *Anth.* oblongæ, apice & bafi bifidæ, albæ, erectæ, fub fquamis nectareis occultatæ. *PIST. Germen* quadripartitum: lobis fubrotundis, obtufis, viridibus. *Stylus* fubulatus, albus, inter lobos germinis furgens, corolla paullo longior. *Stigma* obtufum, exfertum.

PROPRIET. Radix recens ſubdulceſcenti-inſipida, ſucco tenaci, glutinoſo abundans; fere magis glutinoſa quam radix Althææ; *maſticata* comminuitur, ſed ſub maſticatione glutinoſum copioſe extrahitur; *ſiccata* (in taleolas longitudinales ſecta) duriuſcula, fragilis, ſubinſipida; *maſticata* pariter mucilaginoſa; *Odor* nullus. *Herbæ* recent. *odor* debilis; *ſapor* herbaceus; *maſticata* ſubmucilaginoſa.

VIRTUS: obtundens, adſtringens.

USUS. Hæmoptyſis, Diarrhœa, Dyſenteria, Ulcus veſicæ.

OBS. Decoctum radicis obſcure rubrum, ſpiſſum, mucilaginoſum, ſapore amaricante, odore ſubaromatico ſubnauſeoſo; vitriolo martis affuſo nigreſcit & coagulatur. *Infuſum* radicis, digeſtione paratum, decocto conſimile. Pulvis radicis, cum aqua coctus, & per linteum expreſſus, pulchrum colorem kermeſinum dat; HELLOT. Certe *Extractum* radicis rubrum idem eſt, quod *Sangvinem Symphyti* vocat QUERCETANUS.

59. BORAGO officinalis. LINN. *Sp. pl. 197. Mat. med. 63.* KNIPH. *Bot. orig. cent.* 3. BLACKW. *Herb. t. 36.*

Borrago. LUDW. *Ectyp. p. 2. t. 3.*

Borago ſ. Bugloſſum verum. DODON. *Pempt. 615.*

Pharm. BORAGINIS Herba, Flores.

Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Annua.*

FORMA. rec. Caulis teres, carnoſo-ſucculentus, erectus, undique ſulcato-angulatus: angulis e foliis decurrentibus, parvis; pubeſcens, hiſpidus: pilis ſubulatis, rigidiuſculis, ſubpungentibus, ortis e baſi tuberculata, ſubrotunda; bipedalis vel ultra, ramoſus, diffuſus. *Rami* alterni,

ni, teretes, ſtriati, hiſpidi. *Folia* alterna, ad ramos ſita, ovato-oblonga, obtuſa, patentia, ſeſſilia, amplexicaulia, ſubdecurrentia, ſupra viridia, ſubtus glauca, utrinque hiſpido-ſcabra, venoſo-rugoſa; inferiora ſpathulata, ſpithamæa. *Corymbus* terminalis, folioſus, bifidus, ſimplex, hiſpidus, ſecundus, nutans. *CAL. Perianth.* monophyllum, hiſpidum, purpuraſcens, quinquepartitum: laciniis lineari lanceolatis, acutiuſculis, ſubæqualibus, erectis. *COROLLA* violacea, rotata, longitudine calycis, quinquepartita: laciniis lanceolatis, acutis, plano-patentibus, ſubæqualibus. *Nectarium:* ſquamæ 5, ovatæ, obtuſæ, emarginatæ, ſubcarnoſæ, albidæ, baſi ad ſingulam laciniam corollæ ſingulæ; ſquamæ aliæ 5, lineares, obtuſæ, cæruleæ, planæ, filamento ſingulo prope antheram extus impoſitæ ſingulæ, antheris breviores, erectæ. *STAM. Filam.* 5, carnoſa, brevia, albida, turbinato-trigona, extus convexa, antice gibba, latere utrinque ſuperne marginata, erecta, nectario corollæ paullo longiora, apice nectariferæ & antheriferæ ſimul. *Antheræ* lanceolatæ, acutæ, utrinque carinatæ, erectæ, convergentes, fuſco-brunneæ. *PIST. Germen* ſuperum, quadripartitum, obtuſum, viride, glabrum. *Stylus* cylindricus, albidus, ſtaminum longitudine. *Stigma* truncatum.

PROPR. rec. Odor debilis. *Sapor* herbaceus, aqueus, ſubcucumerinus. *Maſticata* folia tenera, ſucculenta. *Siccat.* ſapor herbaceus.

VIRTUS: refrigerans, oleracea.

USUS. Ardor viſcerum.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum tenue, rubicundum; fortius ſaturate rubrum; vitriolo martis fuſcum.

OBS. 2. Folia incisa carbonibus candentibus insperfa, non accenduntur, sed fremunt & scintillant lucide, cum specie fulgurationis, ad modum Nitri. E succo expresso sive decocto, præsertim si alcali vel calce viva maritetur, verum Nitrum extraxerunt Viri clariss. Boulduc & Marggraf.

60. PRIMULA veris officinalis. Linn. *Sp. pl.* 204. *Mat. med.* 64. Kniph. *Bot. or. cent.* 1. & 3.

Paralysis. Blackw. *Herb. t.* 226.

Primula veris flore flavo elatior. Clus. *Hist.* 1. *p.* 301.

Primula pratensis. Lobel. *Hist.* 305.

Pharm. PRIMULÆ VERIS Radix, Herba, Flores.

Locus. Europa, in pratis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix subcylindrica, descendens, tuberculis frequentibus undique echinata, fibris filiformibus, sparsis, glabris, albis, longiusculis instructa. *Vaginæ* radicales, membranaceæ, oblongæ. *Scapus* radicalis, albido-cinereus, simplicissimus, spithamæus, foliis duplo longior, erectus, teres, pubescens, nudus. *Folia* cuncta radicalia, petiolata, ovato-oblonga, obtusa, rugosa, crenata, glabriuscula, subtus cinerea, minutim tomentosa, in petiolum decurrentia, venosa; venis elevatis, dichotomis. *Petioli* triquetri, albidi. *Umbella* florum terminalis, nutans, albido-cinerea, pubescens, simplex. *Involucrum* parvum, polyphyllum, foliolis lineari-lanceolatis, concavis, acutis, inæqualibus. *Flores* pedunculati, inæquales tempore. *CAL. Perianthium* monophyllum, pubescens, laxum, turbinato-campanulatum, plicato-quinquangulatum, quin-

quinquefidum, acutum. *COROLLA* lutea, monopetala, hypocrateriformis. *Tubus* cylindricus, longitudine calycis, in medio geniculatus, superne obsolete pentagonus. *Limbus* plano-concavus, interne maculis 5, ovatis, subfuscis inferne notatus; quinquefidus: laciniis obcordatis, pagina interiore undique striatis. *Margo* faucis notatus punctis decem, in figuram circuli dispositis. *STAM. Filam.* 5, brevissima, æqualia, simplici serie intra tubum collocata. *Antheræ* oblongæ, trigonæ, inclusæ. *PIST. Germen* superum, globosum, glabrum. *Stylus* cylindricus, inferne pubescens, longitudine tubi corollæ. *Stigma* capitatum, subexsertum.

PROPRIET. rec. Radicis odor fragrans, anisum redolens; *sapor* debiliter anisatus, leniter stypticus, tandem amaricans cum aciditate; *Foliorum* sapor herbaceus. *Florum odor* gratissimus, submellitus; *sapor* debilis, leviter dulcescens; *masticati* comminuuntur, saliva lutea; *siccati* flores vix odorati, insipidi.

VIRTUS: Radic. sternutatoria; *Folior.* oleracea; *Florum* leniter restringens.

USUS. Flor. Rheumatismus.

OBS. 1. Flores a calycibus debent bene esse mundati, celeriter siccati & loco sicco servati, ne pallescant. Apud exteros quosdam *Flores Paralyseos* audiunt.

OBS. 2. *Infusum* aquosum florum colore aureo est, gratissimum, usui diætetico aptum, & in doloribus rheumaticis sæpe bonum; vitriolo martis mox purpurascit.

OBS. 3. *Potum* fermentatum, sapidum, effervescentem, aëre fixo abundantem, in calore æstivo refocillantem, ex melle & hisce floribus recentibus per fermentationem parare norunt mulierculæ nostrates.

61. CYCLAMEN europæum. LINN. *Sp. pl. 207. Mat. med. 65.* KNIPH. *Bot. or. cent. 3.* MILL. *Figur. t. 115.*

Artanita Cyclamen. BLACKW. *Herb. t. 147.*

Cyclamen orbiculare. DODON. *Pempt. 335.*

Cyclamen. LOBEL. *Icon. 604. 605.* CAUSE *Hoven. t. 16. f. 1.* MERIAN. *Eruc. ort. p. 45. t. 100.*

Cyclaminus. CAMER. *Epit. 357.*

Varkensbrood. MUNTING. *Aardgewaſſ. p. 531. t. 533 - 537.*

Pharm. CYCLAMINIS Radix.

Locus. Auſtria, in locis umbroſis, nemoroſis. *Perenne.*

FORMA. Radix recens, inſtar Rapæ, ſubrotunda, majuſcula, depreſſa, extus nigricans, baſi radicans: fibris filiformibus; *parencymate* carnoſo.

PROPRIET. recentis: *Odor* nullus. *Sapor* acris, pungens, fervidus, amaricans, ingratus. *Recenter ſiccata* adhuc acris; *diu ſervata* fere inſipida.

VIRTUS: recent. purgans, draſtica; *aſſata* mitis.

USUS: externus.

OBS. Plurimi auctores ſtatuunt, ſuccum, umbilico illinitum, alvum ducere, atque etiam abortum facere poſſe.

62. MENYANTHES trifoliata. LINN. *Sp. pl. 208. Mat. med. 66.* OEDER *Icon. 541.*

Trifolium paludoſum. LOBEL. *Hiſt. 496.*

Trifolium paluſtre. BLACKW. *Herb. t. 474.* DODON. *Pempt. 570.*

Trifolium fibrinum. TILLANDZ *Icon. 157.*

Pharmac. TRIFOLII AQUATICI (*Fibrini*) Herba.

Lo-

Locus. Europa, in paludibus. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix repens, geniculata. *Folia* cuncta radicalia, petiolata, ternata: foliolis ovatis, obtusis, utrinque glabris, venosis, margine repandis, bipollicaribus vel ultra, æqualibus; tenerioribus oblongis. *Petioli* teretes, striati, basi vaginati. *Scapus* radicalis, teres, nudus, glaber, foliis longior, erectus. *Racemus* terminalis, nudus. *Flores* pedunculati, subterni. *Bracteæ* ovatæ, acutiusculæ, pedunculis breviores, concaviusculæ. *CAL. Perianth.* monophyllum, glabrum, quinquepartitum: laciniis lanceolatis, obtusis, erectis. *COROLLA* monopetala, campanulato-infundibuliformis, roseo-alba. *Tubus* crassus, calyce longior. *Limbus* quinquepartitus: laciniis lanceolatis, acutiusculis, revolutis, intus barbatis: barba concolore. *STAM. Filam.* 5, subulata, alba, receptaculo inserta, sed tubi basi adnata, corolla paullo breviora. *Anth.* exsertæ, purpureæ, lineares, sagittatæ, incurvæ. *PIST. Germen* superum, ovatum. *Stylus* cylindricus, staminibus duplo brevior. *Stigma* capitato-truncatum, quasi ex lobulis conglomeratum.

PROPRIET. rec. & *sicc. Odor* nullus. *Sapor* amarissimus.

VIRTUS: antiscorbutica, tonica, anthelminthica, diuretica, emmenagoga, subeccoprotica.

USUS. Scorbutus, Leucophlegmatia, Arthritis, Rheumatismus, Cacoëthes.

OBS. 1. Oves tabidæ, in paludibus, hacce herba abundantibus, pastæ, brevi sanantur. TANCREDUS ROBINSON.

OBS. 2. *Infusum* aquosum foliorum amarissimum, a vitriolo martis subito nigrescit. Herbæ libræ 4 dant

Extr.

Extr. aquosi circiter unc. 6. *Tinctura* spirituosa etiam intensius amara.

OBS. 3. De Trifolio aquatico bene scripsit Jo. FRANCUS (*). Plurimis casibus & observationibus utilitatem ejus comprobat in cephalæis periodicis, scorbuto, otalgia, asthmate, empyemate, febribus intermittentibus protractis, obstructione mensium, palpitatione cordis, ictero, spasmis abdominis, cachexia, hydrope, arthritide vaga, hypochondriasi. Propinat infusum, cum vino, cerevisia, sive aqua paratum, vel in Essentia. Sæpe præmittit emetica. Nimis largam dosin vidit raucedinem vel dyspnoeam initio induxisse, quæ tamen mox disparuit, simulac dosis imminuta fuit. Externe contra serpigines, tineas, ichores, pediculos capitis, impetigines & scabiem, laudat lavacrum ex Trifolio. Ad fistulas & ulcera succum Trifolii multum juvare ait, ut bonum absterforium; sub usu succi locus affectus sæpe intumuit, sæpe inflammatus fuit, sed brevi cessavit hoc symptoma. In Scorbuto dicit medelam attulisse Trifolium, ubi Cochlearia fefellit. Ceterum noxium gravidis, hæmorrhagiis obnoxiis & tabidis fuisse deprehendit. Ego ex Infuso præclara expertus sum in arthritide, febribus autumn. & asthmate.

63. LYSIMACHIA nummularia. LINN. *Sp. pl.* 211. *Mat. med.* 67. KNIPH. *Bot. or. cent.* 8.

Nummularia major. ZANNICH. *Venez.* 297. DODON. *Pempt.* 590. CAMER. *Epit.* 755.

Pharm. *NUMMULARIÆ* Herba.

Locus. Europa, locis subhumidis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix descendens fibris plurimis, simplicibus, fibrillosis. *Caules* plures ex una radice, procumbentes, terræ adpressi, longius

(*) *Trifolii fibrini historia, selectis observationibus & perspicuis exemplis illustrata.* Francof. 1701.

gius extensi, pedales vel ultra, glabri, geniculati; inferne simplices, teretes, alternatim opposite canaliculati; superne tetragoni: angulis acutis; versus apicem ramosi: ramis oppositis, teretibus, utrinque canaliculatis. *Folia* ad genicula, alternatim opposita, petiolata, ovato-orbiculata, obtusa, utrinque glabra, punctis obsoletis adspersa, venosa, supra obscure viridia, erecta; caulina subpollicaria; ramea minora. *Flores* axillares e foliis, pedunculati, erecti: *pedunculis* subangulatis, glabris, foliis longioribus, unifloris. *CAL. Perianth.* pentaphyllum: foliolis cordatis, acutis, obsolete punctatis, glabris, subtus concaviusculis, minutim carinatis, erectis. *COROLLA* lutea. *Petala* 5, oblonga, acuta, sessilia, patentia; tria æqualia; 2 paullo majora. *STAM.* lutea. *Filam.* 5, subulata, pubescentia, erecta, corolla breviora, basi petalorum inserta. *Antheræ* cordatæ, acutæ, erectæ. *PIST. Germen* subrotundum, obtusum. *Stylus* cylindricus, glaber, longitudine Staminum. *Stigma* truncatum.

PROPRIET. recent. *Odor* nullus. *Sapor* acidulus.

VIRTUS: vulneraria, restringens.

USUS.

OBS. *Infusum* aquosum herbæ recent. limpidiusculum, acidulato-subslypticum; vitriolo martis nigrofuscum.

64. SPIGELIA marilandica. Linn. *Mantiss.* 2. *p.* 338. *

Periclymeni virginiani flore coccineo planta marilandica, spica erecta, foliis conjugatis. Catesb. *Carol.* 2. *p.* 78. *t.* 78.

Xivhto-

Xivhtotongui ſeu herba calida Totopocenſi. HERNAND. *Mexic. 201.*

Pharm. *SPIGELIÆ* Herba.

Locus. America ſeptentrionalis. *Perennis.*

FORMA. *Radix* fibroſa. *Caulis* herbaceus, erectus, glaber, teretiuſculus, obſolete tetragonus, ſimplex, dodrantalis vel ultra. *Folia* oppoſita, diſtantia, ſeſſilia, ovato-oblonga, acuta, bipollicaria, utrinque glabra, erecta, ſupra viridia, ſubtus glauca, nervis a coſta alternis. *Stipulæ* nullæ, verum *margo* inter folia ciliatus, ut & anguli caulis ad folia ciliati. *Spicæ* conjugatæ, terminales, ſubſeſſiles, ſecundæ, nudæ, glabræ, erectæ, digitales: rachi ſtriato-ſulcata. *Bracteæ* parvæ, ſubulatæ. *CAL.* *Perianth.* quinquepartitum: laciniis lineari-ſubulatis, acutis, longiuſculis, æqualibus, glabris, erectis. *Corolla* monopetala, rubicunda, clavata, h. e. inferne cylindrica, ſuperne incraſſata, ſubquinquangularis, calyce multo longior, pollicaris vel ultra; *limbo* contracto, quinquefido: laciniis lanceolatis, acutis, patentibus; quarum 2 inferiores paullo minores. *STAM.* *Filamenta* 5, in fauce corollæ, corollæ concolora. *Antheræ* lineari-haſtatæ, obtuſiuſculæ, albæ, conniventes, ſubexſtantes. *PISTILL.* *Germen* ſuperum, ovatum, parvum. *Stylus* teres, inferne uniarticulatus: articulo cylindrico, diſcolore; parte ſuperiore facile decidua; corolla longior, ſuperne pubeſcens. *Stigma* obtuſum.

PROPRIET. *Odor* & *Sapor* exacte uti odor vaſis lignei ex aqua corrupta.

VIRTUS: narcotica, ſoporoſa, anthelminthica, pupillæ dilatationem efficiens in nimia doſi ſumta.

USUS. Lumbrici, Convulsiones.

OBS. 1. *Infusum* aquosum saturatum rubrum, subspissiusculum, *odore* narcotico, *sapore* consimili; vitriolo martis injecto nil variat.

OBS. 2. Dosis adultis herbæ drachm. 2, in infuso, bis de die. Largior dosis, initio data, sæpe discrimen minatur. Vidi puellam 10 annorum graviter dormientem e Spigelia, nimia dosi sumta; namque illa, e Spigeliæ unc. 2, in aquæ font. libr. 2, ad remanentiam libræ 1 coctis, hauserat prima vice Decocti unc. 2, dein unc. 1 quavis sexta hora; post 36 horas illam inveni soporose dormientem, cum palpebris ita relaxatis, ut infra orbitam oculi longius penderent, digitorum ope elevandæ, pupilla valde dilatata; quæ vero symptomata sponte sensim evanescebant, quando somnus remittebat. Convulsiones violentas ope Spigeliæ curatas vidi, etsi vermes non visi discessisse. Hanc Spigeliam frequentissime præscripsi, sed vim ejus purgantem (qualem statuunt quidam), nunquam comperi.

OBS. 3. Per JOHN LINNING, medicum in Carolina australi, Europæis primum innotuit Spigeliæ hujus vis anthelminthica, quæ arcanum antea fuerat barbarorum in illa regione. Planta nunc Anglis cognita est sub nomine *Indian Pink.* Cl. LINNING (*) laudat imprimis radicem, in forma pulveris, dosi gran. 12 infantibus triennibus, vel in infuso, dosi scr. 1, quæ dosis mane & vesperi repetenda per nonnullos dies.

OBS. 4. Spigelia anthelmia, BROWN. *Jamaic. t. 37. f. 3.*, in nostris officinis non prostat. Hanc ajunt debiliorem esse præcedenti.

65. CONVOLVULUS Scammonia. LINN. *Sp. pl. 218. Mat. med. 82.*

Con-

(*) *Ess. and observat. phys. and litterar. v. 1. art. 14. p. 386.*

Convolvulus foliis sagittatis, postice truncatis, pedunculis bifloris. RUSSEL in *Medical Observat. and inquir. vol. 1. p. 13. t. 1. f. A-F.*

Scammonium. DODON. *Pempt. 387.*

Convolvulus syriacus, Scammonia Syriaca. MORIS. *Hist. 2. p. 12. s. 1. t. 3. f. 5.* MILLER *Figur. p. 68. t. 102.*

Pharm. SCAMMONIUM CRUDUM.

Locus. Oriens, in montibus, ex Antiochia ad montem Libanum, in monte Tauro, in tota Syria, alibique. *Perennis.*

FORMA. Gummi-resina in frustis, fusca, levis, friabilis: fracturis nitidiusculis.

PROPR. Odor foetidiusculus. *Sapor* subvitriolicus, nauseosus. *Masticata* hæc gummi-resina in ore difficulter solubilis, emollitur & adhæret dentibus, sæpe arenosa. Solvitur in aqua pura: solutione lactescente, subviridescente; lactescit etiam frictione digiti humidi. Resinosa pars solvitur in Spiritu vini: tinctura limpida.

VIRTUS: purgans, heroica, dosi gran. 5-10-15.

USUS. Morbi chronici.

OBS. 1. E Scammonii boni unc. 48, ope Spiritus rectificati, per extractionem obtinentur Resinæ siccæ & friabilis circiter unc. 22; residuum vero, in aqua coctum, largitur Extr. aquos. unc. 5. Hæc resina Scammonii, pari modo ac Resina Jalapæ, stimulat & purgat eadem dosi.

OBS. 2. Fœtidissima excrementa a Scammonio observavit L. B. VAN SWIETEN.

OBS. 3. *Diagrydium* infida est præparatio, quæ ideo rejicienda.

OBS. 4.

OBS. 4. Scammonium Aleppinum purum, in ſolo natali, ruri colligitur a ruſticis, ineunte menſe Junio, unde fertur in urbem Aleppo, ibique a Judæis emitur, & plerumque adulteratur heterogeneis immixtis. Colligitur, abraſa terra & radice oblique ſecta, ſuppoſito vaſculo, in quo liquor lacteus defluens excipitur, ſingula radice non ultra paucas drachmas ſucci largiente. Hic ſuccus, in aëre aperto ſponte inſpiſſatus, Scammonium audit. Herba plantæ ſiccata minime purgat, ut obſervavit Cl. RUSSEL. Optimum Scammonium provenit ex Maraſch, quatriduo itinere ab Aleppo urbe diſtante; inde affertur in urbem, pellibus parvulis incluſum, unde poſtea Londinum & Maſſiliam a mercatoribus Anglis & Gallis transmittitur. FR. HASSELQUIST.

OBS. 5. Tentare mereret, annon Convolvulus Sepium LINN. Scammonium etiam ſiſteret; certe ſuccum præparatum Convolvuli vulgaris huic ſcopo convenire prædicat PH. MILLER.

66. CONVOLVULUS Turpethum. LINN. *Sp. pl.* *221. Mat. med. 84.*

Convolvulus indicus alatus maximus, foliis Ibiſco nonnihil ſimilibus anguloſis. HERMANN. *Lugd. Bat. p. 177. t. 178 & 179.*

Pharm. TURPETHI Radix.

Locus. Malabaria, Ceylona, locis opacis, humidis, ad foſſarum margines. *Perennis.*

FORMA. Radix recens longiſſima, cylindrica, flexuoſa, ramoſa, extus fuſca, ſucco lacteo turgida; HERMANNUS. *Siccata* vero, qualis in officinis occurrit, ſecta in fruſta digitalia, teretia, ſubfragilia, corticali parte cinereo-fuſceſcente, *parencymate*, transverſim ſecto, poris plurimis pertuſo.

PROPRIET. recent. Sapor ſubdulcis, dein pungitivus, nauſeoſus; HERMANNUS. *Sicc. odor* nullus; *ſapor* debilis, ſubnauſeoſus.

VIRTUS: purgans, hydragoga, doſi ſcr. 1 - dr. ß.

USUS. Morbi chronici.

OBS. Radicis Turpethi unc. 8, cum Spiritu vini extractæ, dant Reſinæ circiter drachm. 5, quæ eodem modo parique doſi purgat ac Reſina Jalapæ.

67. CONVOLVULUS Soldanella. LINN. *Sp. pl. 226. Mat. med. 81.* KNIPHOF *Botan. orig. cent. 6.*

Convolvulus maritimus rotundifolius. ZANNICH. *Venez. t. 6.*

Soldanella, Braſſica marina. LOBEL. *Hiſt. 329.*

Soldanella. DODON. *Pempt. 391.*

Soldanella vulgaris ſive Volubilis marina. PARKINS. *Theatr. 161.*

Pharm. SOLDANELLÆ Herba.

Locus. Italia, Gallia, Zelandia, Flandria, Anglia, in littoribus. *Perennis.*

FORMA. Caulis herbaceus, procumbens, inferne repens, glaber, angulatus, ſæpius longius extenſus. *Folia* ſubcarnoſa, alterna, longius petiolata, reniformi - cordata, obtuſa cum mucrone parvo, utrinque glabra, nervoſo - venoſa, pollicaria. *Pedunculi* axillares, ſolitarii, uniflori, foliis longiores. *Flores* majuſculi, purpuraſcentes.

PROPRIET. Recens lacteſcens. *Odor* nullus. *Sapor* amarus, acris. *Siccatæ Sapor* acriuſculus. *Maſticata* mordet in faucibus, vix amaricans.

VIRTUS: purgans, hydragoga, doſi ſcrup. 1 - drachm. ß, ſed in infuſo drachm. 1 - 2.

USUS. Hydrops.

68. CONVOLVULUS (Mechoacanna) caule volubili, foliis cordatis, fructibus maximis tomentosis.

Convolvulus americanus Mechoacan dictus. LINN. *Mat med. 83.*

Mechoacanna vera sativa. MUNTING. *Aardgewass. p. 764.* * *t. 763.*

Tacvache seu radix Michuacanica. HERNAND. *Mexic. 164.*

Bryonia alba Peruana sive Mechoacanna. PARKINS. *Theatr. 179.*

Peruviana Mechoacæ provinciæ planta Bryoniæ similis. LOBEL. *Hist. 345.*

Pharm. MECHOACANNÆ Radix.

Locus. America media, Mexico.

FORMA. Radix magna, carnosa, recens lactescens, alba. *Siccata* in taleolas scissa leves, extus pallide cinereas, *parencymate* albo, fragili, friabili.

PROPR. inodora, subinsipida. *Masticata* primum leviter dulcescens, deinde acriuscula, subnauseosa.

VIRTUS: laxans hydragoga lenta, dosi drachm. ß - 1.

USUS.

OBS. *Infusum* aquosum insipidum, cerevisiæ instar clarum; a vitriolo martis non demutatur. Per decoctionem vim purgantem perdit radix. Cum spiritu vini digesta, parum resinæ dat.

69. MIRABILIS dichotoma. LINN. *Sp. pl. 252.*

Admirabilis Jasmini rosa. CLUS. *Hist. 2. p. 90.*

Jalapa officinarum. MARTYN *Centur. 1. t. 1.*

Mechoacanna nigricans sive Jalapium. PARKINS. *Theatr. 180.*

Pharm. *JALAPÆ* Radix.

Locus. America media, Mexico. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix carnoſa, majuſcula, ovali-oblonga, extus nigricans, rugoſa; *parencymate* fuſco-cinereo; poſt ſectionem transverſalem notato circulis nigricantibus concentricis, centro variegato maculis oblongis, pariter nigricantibus. *Siccata*, prout in pharmacopoliis occurrit, in taleolas transverſales ſciſſa, ſolida, ponderoſa, ſectione transverſali eodem modo picta ac in recente. Ceterum variat communiter in noſtris officinis, ut nunc magis pallida, nunc prorſus nigreſcens obveniat; præſtantiſſima cenſetur quæ maxime reſinoſa.

PROPR. ſicc. Odor debiliſſimus. *Sapor* acriuſculus, diutius inhærens, haud ingratus. *Maſticata* & deglutita pungit in faucibus. Quando contunditur, pulvis in auram adſcendens valde titillat in naſo & faucibus, atque irritat adusque ſternutationem. Jalapæ fruſtum in candelæ flamma accenditur, & reſina ejus funditur; ſed ſimulac flammam removeris, extingvitur, fumat: fumo graveolente.

VIRTUS: purgans hydragoga, doſi gran. 15. ſcrup. 1 - drachm. ß.

USUS. Vermes.

OBS. 1. Particulis ſuis acribus, quibus ſternutationem excitat Jalapa, alias etiam inteſtina irritat, atque ſic purgat. Hinc noxia in ardore viſcerum, febribus inflammatoriis, diarrhoeis; hinc, uti WEPFERUS obſervavit, nimia doſi ſumta, ſæpe inteſtina inflammat; hinc denique convulſiones apud ſenſibiliores ab ejus eſu, ut monſtrant exempla a cl. P. C. ABILDGAARD adducta (*).

OBS. 2. Radix Jalapæ, cum ſpiritu vini rectificato digeſta,

(*) *Collectan. Societ. med. Hafnienſ. vol. 1. p. 234.*

digesta, tincturæ tertia parte in baln. mar. abstracta, & deinde cum aqua frigida præcipitata, *Resinam* Jalapæ sistit. E radicis libr. 10 obtinentur Resinæ unciæ 16. Hæc, nuperrime per aquam præcipitata, tenax est, fere ut Terebinthina; siccata vero dura & friabilis. Ceterum resina hæcce calidum est purgans, stimulans, sæpe quoque tormina excitans; dosi gran. 2-5-10. Contra ea *Extractum* aquosum satis mite est, & præstans laxans, dosi gr. 15-scrup. 1-drachm. ß.

OBS. 3. De genere plantæ, ex qua Jalapæ Radix sumitur, inter Botanicos non convenit. Ill. von Linné Mirabilem Jalapam olim statuit, sed postea Ph. Millerum secutus id correxit, & Convolvulum Jalapam reposuit. Ego, effectus visendi caussa, radicem Mirabilis Jalapæ recenter siccatam ad scrup. 1 vel drachm. ß. propinavi, sed non purgavit; dedi etiam æquam dosin Mirabilis longifloræ, sed nec ea purgavit. Verum radix Mirabilis dichotomæ satis bene purgat, quemadmodum etiam simillima est Jalapæ veræ exoticæ.

OBS. 4. De Jalapa scripsit, & quidem diffuse, C. F. Paullini (*), purus compilator, cujus ergo liber, 417 paginis constans, parum frugifer est, utpote maximam partem conflatus ex meris præparatis Jalapæ atque formulis; hæ vero, quatenus Jalapa cum multis aliis rebus longa serie combinatur, nihil certi evincunt. Interim ejus usum commendat auctor in plerisque morbis; ast dissvadet apud hypochondriacos. Decoctum Jalapæ aquosum nihil valere dicit.

70. LONICERA caule procumbente repente, foliis obverse ovatis acutis scabris. Linn. *Mater. med. 69.*

Ipecacuanha. Pis. *Brasil. 101.* Marcgr. *Brasil. 17.*

(*) *De Jalapa liber singularis.* Francof. ad Moen. 1700.

Ipecacuanha Brasiliensis radice emetica. PETIV. *Gazophyl. t. 59. f. 9.*

Pharm. *IPECACUANHÆ* Radix.

Locus. Brasilia, in sylvis humidis. Culturæ impatiens. *Perennis.*

FORMA. sicc. Radix cylindrica, digitalis vel ultra, crassitie pennæ anserinæ, cinerea, rursum prorsum flexa, annulis s. rugis torulosis transversalibus, approximatis; *parencymate* resinoso, brunneo, fragili; fibra lignea centrali, longitudinali.

PROPR. sicc. Odor graviusculus, subnauseosus. *Sapor* amaricans, graviusculus; *masticata* radix acriuscula, faucibus inhærens. Inter pulverandum orti circumcirca pulvisculi stimulant in naso & sternutationem cient, pulmonibus etiam molesti.

VIRTUS: emetica, adstringens, alterans, diaphoretica si cum opio jungatur.

USUS. Dysenteria, Diarrhœa, Hæmorrhagia uteri.

OBS. 1. *Infusum* aquosum leviter amaricans est, & submordens; vitriolo martis fuscescit. *Decoctum* radicis aquosum saturatum, submucilaginosum est, satis amaricans, rubicundum; vitriolo martis statim nigrescit. Sequitur hinc, decoctum vel pulverem Ipecacuanhæ adhiberi oportere, ubi adstringentibus opus, infusum autem ubi iisdem non est locus. *Extractum spirituosum* resinosum, circiter quinta pars ponderis radicis, emeticum, stimulans; *aquosum* vero mite est, subemeticum.

OBS. 2. Ipecacuanha emesin communiter concitat, dosi scr. 1 vel drachm. ß exhibita. Immo etiam in parca dosi, ad pauca duntaxat grana, sumta, vomitum movet,

vet, ut docuit cl. S. PYE (*). Præscribitur ut emeticum, ubi primæ viæ purgandæ, atque præclara præstat in febribus, dysenteria & diarrhœis. Sæpissime vidi, dysenteriam in prima quasi herba præcisam, mature propinata Ipecacuanha, ad drachmam ß. Diarrhœas quoque eadem, dosi ita restricta atque repetita, compluries curavi; & vero contra infantum diarrhœam, quæ in Svecia mensibus Julii, Aug. & Septembr. sæpe epidemica esse solet, Ipecacuanha admodum mihi profuit. Sed & in aliis morbis saluberrima deprehensa. Sic nob. N. DALBERG (**) Ipecacuanham, sub parcissima dosi, nempe tertia parte grani, quovis bihorio vel trihorio datam, hæmorrhagias uteri feliciter suppressisse docet. Eadem via plures ego fœminas sanavi, etiam ubi quasdam e protracta hæmorrhagia uteri ferme enervatas deprehenderam; &, quod sæpe miratus sum, curat sic Ipecacuanha sine relapsu, atque adeo agit in hoc morbo ut verum specificum; namque subinde vidi, fœminas, post paucas ejusdem doses, levatas, atque deinceps curatas, etsi tota summa Ipecacuanhæ, ab ipsis sumtæ, vix scrup. I excesserat. Veruntamen idem de aliis non valet hæmorrhagiis. In hæmoptysi nunquam mihi Ipecacuanha successit. Hæmorrhoides nimias eadem semel quidem vidi sufflaminatas fuisse, sed non ita multo post recruduisse. In mictu cruento ter eam frustra præscripsi. Cum Opio conjuncta Ipecacuanha, ad modum cl. DOVER, bonum est alterans, diaphoreticum ac sudoriferum, adeoque in Rheumatismis prodest. Cl. MARK AKENSIDE (***) eandem præstantissimam comperit in asthmate spasmodico, eo quod curam persolverit. Exhibuit vero is grana 3-5 quovis mane, vel etiam gr. 5-10 quovis

(*) *Medical Observat. and Inquiries, vol. 1. p. 240. seq.*
(**) *K. Vetensk. Acad. handl. vol. 31. p. 316.*
(***) *Medical Transactions, vol. 1. p. 96.*

altero mane. Agit hic plerumque emesi, movet expectorationem, & tollit morbum post 2 vel 3 septimanas.

OBS. 3. Ad Lonicerae genus, cum laudato v. LINNÉ in *Mater. med.*, Ipecacuanham officinalem retuli, dum verus character genericus aliquando innotuerit. Ipecacuanha *alba* longe alia est radix, cum officinali non confundenda, quam vide infra sub genere Violae. Historiam Ipecacuanhae tradidit cl. SPIELMANN (*).

71. LONICERA Periclymenum. LINN. *Sp. pl. 247. Mat. med. 68.*
Caprifolium germanicum. DODON. *Pempt. 406.*
Pharm. CAPRIFOLII Stipites.
Locus. Europa. *Frutex.*
FORMA. sicc. Stipites teretes, pallide cinerascentes, glabri, articulati, ramosi: ramis ad articulos alternatim oppositis, consimilibus; vestiti cortice tenui; centro longitudinaliter perforati.

PROPRIET. sicc. Odor nullus. *Sapor* debilis, leniter amaricans.
VIRTUS: diuretica.
USUS. Rheumatismus.

OBS. *Infusum* aquosum luteo-rubicundum, colore potus Theae, *odore* subnarcotico; *sapore* consimili, subamaricante; cum vitriolo martis nigrescit.

72. CINCHONA officinalis. LINN. *Sp. pl. 244. Mat. med. 71.*
Quinquina. DE LA CONDAMINE *Mémoir. de l'Acad. d. sc. 1738. p. 226. t. 5. fig. A - E. & t. 6. f. F - S.*

Cortex

(*) *Mater. med. p. 616.*

Cortex Peruvianus vulgo China dictus. E. Rosén *diss. de Cort. peruv. t. 1.* Barthol. *Hist. centur. 5. p. 107. t. 116.*

Gentiana indica fruticescens. Hoefer. *Herc. med. l. 6. c. 3.*

Cascarilla de Loja. *Hispanis.*

Arbol de la Cascarilla, Corteza vel Cascarà de Loxa. *Peruvianis.*

Pharm. CHINCHINÆ (Peruvianus) Cortex.

Locus. Peruvia, speciatim Loxa, in montibus, (optima Chinchina e monte Cajanuma); in viciniis Rio Bamba, Cuença, in Quito, in montibus Jaën. *Arbor excelsa.*

FORMA. Cortex duriusculus, brunneo-rubescens, extus cinerascens, rugosus, sulcis transversalibus interruptis, sæpe lichenibus deformatus, sectus in frusta semidigitalia, convoluta vel concava; fragilis: fractura læviuscula vel fibroso-scabra.

PROPR. Odor mucidus. *Sapor* amarus, austerus, inhærens.

VIRTUS: antifebrilis, tonica, adstringens, roborans, stomachalis, antiseptica, suppurationem promovens.

USUS. Febres intermittentes, exacerbantes, topicæ; Odontalgia periodica, Gangræna, Scrophulæ, Vermes, Hæmorrhagia uteri, Hæmoptysis, Phthisis, Empyema, Variolæ confluentes, Aphthæ criticæ, Atonia, Debilitas senilis, Anorexia, Tussis convulsiva.

OBS. 1. Anno 1638 Chinchinæ usus Europæis innotuit, ex occasione pertinacis febris intermittentis Comitissæ del Chinchon; tamen integrum effluxit seculum, quo incolæ Peruviæ, & speciatim Loxæ, huic remedio adeo non fisi sunt, ut potius idem vitupera-

 rint,

rint, uti remedium nimis calidum & insalubre, unde etiam factum, ut hoc eximium specificum neglexerint, quantumvis febribus intermittentibus multoties cruciati. Tandem vero ipsi quoque justum huic cortici pretium statuere didicerunt, idque cura JOSEPHI DE JUSSIEU.

OBS 2. Pulvis Chinchinæ, qui in Anglia paratur, subtilissimus est, neque idem stomacho molestus. Circa pulverationem hujus corticis observandum est, quod primus leviorque pulver abjiciendus, quippe qui plerumque nonnisi epidermide corticis lichenibusque annexis constat. Resinosa pars difficilius in pulverem conteritur, sed hæc præstantissima merito censetur. Expedit, in optione Chinchinæ, seligere cortices tenuiores, e ramis arboris gracilioribus desumtos, duriores, fragiles: fractura læviuscula, subfuscescente, atomis micantibus conspicua (dum nimirum luci exponuntur); cortices autem molliores, subfriabiles, fractura filamentosa, non approbandi. Qui vero crassi sunt, e trunco vel ramis grandioribus sumti, rejiciendi.

OBS. 3. Chinchina extrahitur menstruo aquoso, vinoso vel spirituoso. *Infusum* aquosum corticis pulverati, *frigide paratum*, tenue est, limpidiusculum, intense amarum; vitriolo martis subito nigrescit, tamen limpidiusculum permanet. Si cortex grosse incisus in aqua frigida infunditur, aquam vix tingit, quæ potius limpidissima, tamen insimul valde amara, evadit. *Infusum calide* apparatum fortius fit, colore & sapore, si præsertim in balneo præparetur, atque rubicundum & clarum fit quamdiu calet, refrigeratum autem opalescit & serum lactis refert; si vero pergit rubere, indicio id est, bonam non fuisse Chinchinam, ideoque jam rejiciendam. Hoc infusum cum vitriolo martis statim nigrescit, ac turbidum evadit. *Decoctum* aquosum rubrum est quamdiu calet, at frigefactum velut infusum lactescit, quiete subsidens, sapore amaro & auste-

austero; cum vitriolo martis pariter momento nigrescit. Decocti Chinchinæ (e cort. unc. 2 in aquæ s. q. per horas 3 coctis, colat. libr. 1) guttæ 12, aquæ puræ unc. ß, in qua vitriolum mart. solutum erat, instillatæ, colorem viridi-fuscescentem stiterunt; guttæ vero 20 colorem fuscum; quodsi plus decocti addebatur, fusco-nigrescebat. FULLERUS observavit, corticem, septies in aqua coctum, cum octava vice rursus coqueretur, aquam adhuc amaritie infecisse. *Tinctura* spirituosa rubra est, sapore calido, austero; vitriolo martis subito nigrescit. *Extractum* corticis austerum est. Obtinui e cortice Extracti aquosi circiter unam tertiam partem, spirituosi vero unam quintam partem. Cl. BAUMÉ infusum Chinchinæ frigidum laudibus effert, & statuit, quod aqua frigida valet e cortice extrahere omne quod activum est, atque id experimento comprobat; etenim corticis unciæ 25, cum aqua frigida elixiviatæ, & postea decoctioni subjectæ, non dederunt ultra unc. 1 extracti terrei, subinsipidi, in spiritu vini non solubilis. Generatim dicendum, Chinchinam decoctione protracta debilitari, cum resina ejus, ut recte monuit BAUMÉ, ista operatione admodum decomponatur, & neque in aqua, nec in spiritu vini amplius solubilis fiat, sed ut terra iners rejicienda veniat. Hinc ratio, cur decoctum Chinchinæ saturatum, ex pulveris Chinch. unc. 2 paratum, adeo parum valeat ad sistendum febris quartanæ paroxysmum; hinc etiam ratio, cur extractum Chinchinæ aquosum, vulgari methodo, nempe decoctione protracta in aqua simplici, cum subsequente inspissatione, paratum, debilius & minus efficax sit remedium, quam ipse cortex in substantia, etiamsi æqua ad utrumque portio adhibita sit, id quod omnes practici sæpenumero experiuntur. Idcirco infusum Chinchinæ frigidum, seu potius infusum apparatum ex affusa aqua calida absque ebullitio-

litione, omni decocto corticis præstat; atque ideo etiam extractum Chinchinæ methodo potissimum Baumeana parandum est, ea tamen cum differentia, ut ex infuso calido formetur, repetitis affusionibus aquæ, quoad omne activum fuerit extractum, subsequente evaporatione cauta, leni igniculo, in consistentiam mellis. *Sal* sic dictum *essentiale* Chinchinæ, trituratione corticis protracta in aqua frigida elicitum, extracti species est, sed nimis sumtuosa præparatio, pretio non respondens. Cl. TH. PERCIVAL pulchra experimenta cum Cortice Peruviano instituit (*).

OBS. 4. Si cortex Peruvianus in febribus intermittentibus ex sententia succedat, bene purgandæ antea erunt primæ viæ, & sub apyrexia exhibendus cortex, qui, siquidem bonus & tenuissime pulveratus, dosi drachm. 6 vel 8 febris paroxysmum suspendet, relapsusque postinde præcavebitur, si modo tertia, quinta, septima & nona hebdomade post febrem curatam, drachmæ 2 quotidie sumantur; vel, ut certius deprehendi, præcipue in febribus pertinacibus autumnalibus, si quovis altero, vel quovis tertio die, hæc dosis propinetur, per plures septimanas. Talibus enim in febribus seminium febrile longa intervalla a Chinchina vacua non tolerat, sed sæpe repullulat. In Quartanis autumnalibus etiam expedit corticem acuere calidis atque amaris, præcipue Radice Serpentariæ virg. Gentianæ, Zingiberis, alcalinis, quod maxime necessarium inveni, siquidem alias sæpe fallit Cortex. Quodsi corticem fastidiant nec tolerent ægri, juvat illum coquere in aqua, ad pultis consistentiam, ventrique imponere, qua quidem via febres intermittentes crebo curantur. Infantibus sufficiunt pulveris Chinchinæ unciæ 2, at adultis unciæ 5 imponendæ. Cataplasma hoc per plures

(*) *Philos. Transact. vol. 57. p. 221. seqq.*

res dies valere poteſt, dummodo aqua vel decocto Chinchinæ irroretur, quoties ſiccatum fuerit. S. Pye (*) pluribus caſibus utilitatem hujus cataplaſmatis illuſtrat. Ceterum pulvis corticis dilui etiam poterit aqua ſimplici, & ut clyſma applicari, quod bene retinent ægri. Effectum Chinchinæ in plurimis aliis morbis cum emolumento experti ſunt Medici. Sic in decubitu humorum, in fiſtulis, cancro exulcerato, hæmorrhagiis, ſcorbuto ac rachitide, egregios effectus præſtitit. In tuſſi convulſiva, præmiſſis emeticis, bono cum ſucceſſu decoctum corticis propinavimus. Binos ipſe ab empyemate Chinchina curavi. Quo magis ſputa fœtent, eo certior cura. In phthiſi pulmonali ſæpe quidem præclara præſtat, ſæpe autem nihil efficit. Quando aphthæ acceſſerunt, ſymptomaticæ in hoc morbo, non evidenter nocuit, niſi ſputa ſuppreſſiſſe diceres. Certe ubi ſputa in phthiſi nimis abundant, cortex indicatur; ſi vero cum oppreſſione pectoris ſubito diminuantur, cortici non inhærendum. Nullam vidi noxam ex moderata doſi Chinchinæ quotidie ſumta in phthiſi, etiamſi ſangvis, per venam ſectam emiſſus, cruſta inflammatoria obductus ſubinde fuit. Effectum hujus corticis in Scrophulis demonſtrarunt viri clariſſ. J. Fordyce (**), J. Fothergill (***), & Bond (†).

OBS. 5. Chinchina *nocet* in omnibus febribus inflammatoriis, ſub initio febrium bilioſarum & putridarum, atque in quacunque febre, ubi hypochondria tenſa ſunt & abdomen durum, atque ubi lingva craſſa ſordibusque obducta. Generatim nocet ſemper, ubi cutis arida, pulſus durus ac celer, urina cruda ſaturataque, & fauces ſiccæ; atque etiam ubi ardor viſcerum

(*) *Medical Obſervat. and Inquiries, vol. 2. p. 245.*
(**) *Medical Obſ. and Inquir. vol. 1. p. 184.*
(***) *l. cit. p. 303.*
(†) *l. c. vol. 2. p. 265.*

rum eſt, viſceraque obſtructa. Aſt in progreſſu febrium bilioſarum & putridarum, poſtquam urina ſedimentum poſuit lingvaque remollita eſt, plerumque bono cum ſucceſſu præſcribitur. Bilioſæ febres autumnales interdum multum fruſtrant practicos juniores falſa ſua remiſſione, præcipue ſub initio morbi; etenim occurrunt epidemiæ, ubi hæ febres ſub larva tertianæ in ſcenam prodeunt, intervallis lucidis apyrexiam mentientibus; ſed ſi Chinchina tunc exhibetur, paroxysmus vehementia intenditur, ægrumque ſæpe in delirium trahit.

OBS. 6. Chinchina, etſi admodum ſtyptica eſt, tamen naturales & criticas evacuationes non videtur ſiſtere. Cl. W. HEBERDEN (*) fœminæ cuidam, altero poſt partum die, Corticis drachm. 1 quovis trihorio dedit, absque retardatione lochiorum; nec eadem in aliis fœminis hocce cortice ſuppreſſa. In variolis confluentibus nunquam ſalivationem inhibuit, quod ſæpius miratus ſum.

OBS 7. Innumeri fere auctores de Chinchina ſcripſerunt, & eorum, quos ego vidi, antiquiſſimus eſt GAUDENT. BRUNACUS, Doctor Romanus, qui edidit *Syntagma de Cina Cina ſ. pulvere ad febres* Venetiis 1661. 8:o. Docet is, corticem e regno Peruviano Romam principio allatum a. 1650 a Patribus Jeſuitis, & a Cardinale DE LUGO impenſe promotum. Svadet, ut Corticis drachmæ 2, in vino albo per 3 horas maceratæ, ſub initio paroxyſmi ſumantur. Infuſum & decoctum rejicit. Formula iſta BRUNACI exacte convenit cum illa, quæ in ſchediaſmate Italico, proxime poſt inventum hunc corticem Romæ publicato, exſtat, cujus recenſionem dedit TH. BARTHOLINUS a. 1661 (**). Ex ea patet, medicos non dediſſe corticem, niſi

---

(*) *Medical Transact. vol. 1. p. 470.*
(**) *Hiſtor. anat. centur. 5. p. 108.*

nisi post febris insultum cum rigore, nec illius usum ante svasisse in tertiana, quam aliquot dierum decursu inveterata esset, in quartana autem nonnisi post elapsos 25 vel 30 dies. Ceterum asserit BARTHOLINUS, a. 1653 aliquot hominum millia febribus malignis, quartanis simplicibus ac duplicibus, Romæ grassantibus, cortice liberata fuisse, postquam D. FONSECA ejusdem corticis naturam & indolem propriis experimentis indagaverat, bonumque eum deprehenderat, idque svasu memorati Cardinalis, qui ea tempestate magnam corticis vim, suis sumtibus comparatam, pauperibus liberaliter distribuit. Ne recidiva subsequeretur, pulveris Chinchinæ drachmæ 2, in vino maceratæ, bis vel ter exhiberi jussæ, cautumque, ne quidquam ejus prima vice sumeretur, antequam laxans vel clysma quoddam applicatum fuisset.

73. COFFEA arabica. LINN. *Sp. pl 245. Mat. med.* 70. KNIPHOF *Bot. orig. centur.* 11. BLACKW. *Herbal t.* 337.

Jasminum arabicum Lauri folio, cujus semen apud nos Coffé dicitur. JUSSIEU *Mem. de l' Acad. d. sc.* 1713. *p.* 388. *t.* 7.

Jasminum arabicum, Castaneæ folio, flore albo odoratissimo, cujus fructus Caffé dicitur. TILLI *Hort. Pis. p.* 37. *t.* 32.

Evonymo similis ægyptiaca, fructu baccis lauri simili. PLUKEN. *Almag.* 69. *t.* 272. *f.* 1.

Kauwa. LE BRUN *Voyag. aux Indes orient. p.* 346. *t.* 206. *f. B.*

Caffé. DES MARCH. *Voyag. tom.* 3. *p.* 229. *t.* 1. DE LA ROQUE *Arab. t.* 3. *cum fig.* BANCROFT *Gvian. p. m.* 15. *

Culinis CAFFé Semina.

Locus.

Locus. Arabia felix; nunc etiam in America calidiore, ubique fere confita. *Arbor.*

FORMA. ficc. Semina ovalia, utrinque obtuso-rotundata, hinc convexa, inde plana, fulco longitudinali, glabriufcula, fæpe arillo maculata, femiungvicularia, cinerafcentia; *uftulata* fufco-nigricantia, fubinquinantia.

PROPRIET. recenter ficcat. femin. *odor* fere fœni; *fapor* gramineus (Du Mont); *diu* vero *ficcat.* & uti apud nos occurrunt, *odor* debiliffimus, fere acervi fecalis; *fapor* odori congruens, fubamaricans. *Uftulata* friabilia, ficca, *odore* fragrante, grato, penetrante, præcipue fi recentisfime uftulata fint femina; *fapore* ficco, amaricante, odori conveniente; *mafticata* falivam fufco tingunt. Inter uftulandum tument & fudant.

VIRTUS uftulat. exficcans, excitans, ftomachalis.

USUS: fomniculofis; Cephalalgia confenfualis.

OBS. 1. *Decoctum* faturatum feminum Coffeæ *crudorum*, i. e. nondum uftulatorum & contuforum, fufco-nigricans fit, odore ac fapore radicis Solani tuberofi, fed intenfius amaricante. Si hoc aqua pura diluitur, ut infufo Theæ colore refpondeat, vitriolo martis illico nigrefcit; idem etiam cum *infufo* feminum crudorum contingit, fed tunc dilutius nigrefcit. Decoctum feminum *uftulatorum* fufco-brunneum fit, amarum, fragrans; aqua pura dilutum rubrum; cum vitriolo martis nigrefcit. Houghton (*) femina Coffeæ deftillavit, atque ex femin. libr. 1 obtinuit phlegmatis unc. –, olei fubempyreumatici unc. 2ß, capitis mortui unc. 5ß. Hocce caput mortuum difficillime incineratum fuit.

OBS. 2.

(*) *Philof. Transact. N:o 256. p. 315.*

OBS. 2. Usus Coffeæ nunc temporis ubique fere usitatus, immo & vulgaris est, decoctum nimirum ex seminibus ustulatis. Si post prandium sumitur, concoctionem promovere creditur cibi. Ceterum plurimi tempore matutino decoctum hocce hauriunt, addito cremore lactis atque saccharo, unde alvus sæpe emollitur. Quod cephalalgiæ medetur, notissimum est. Novi fœminam, quæ per 20 annos quovis mane evigilavit cum cephalalgia, tantisper ingravescente, dum potum Coffeæ hausisset, ex quo postmodum per totum diem levatam se sensit. Coffeæ vis excitans apud Arabum quosdam evidentissima est, qui, siquidem opio & confectione sua narcotica *Benge* dicta abutuntur, iisque depressi & semisopori evadunt, solo Coffeæ potu eriguntur; D' ARVIEUX (*).

OBS. 3. Potus Coffeæ sæpe *nocet* illis, qui irritabili systemate nervoso laborant; obest etiam apoplecticis, lethargicis atque hæmorrhagiis obnoxiis. Non tamen generat sangvinem spissum, uti ajunt multi, errore populari seducti. Vidi sacerdotem, potu Coffeæ eousque abutentem, ut quotidie 10 vel 12, immo subinde 15, vascula ejus plena hauserit; erat vero is macilentus, cholericus, facie subcrocea.

OBS. 4. Coffeæ arbor primum in Americam, & quidem Surinamum, introducta est ab Hollandis; anno vero 1718 Galli quidam transfugæ baccas nonnullas Coffeæ furtim secum apportarunt Cayennam, unde postmodum in Martinicam ceterasque insulas Antillas sensim migravit hæc arbor; BARRERE (**). In Europa increbuerunt semina Coffeæ mediante circiter seculo XVII. In Italia a. 1615 potus Coffeæ incognitus fuit; DELLA VALLE (***). Nec ante a. 1640 multum

H usi-

(*) *Voyage dans la Palestine, publ. par* DE LA ROQUE, *p. 196.*
(**) *Hist. natur. de la France Equinoxiale, p. 62.*
(***) *Reiss-beschreib. 1. p. 41.*

usitatus in Massilia, quæ urbs ipsum a primo usurpasse videtur; Du Mont (*). Postinde in Angliam introductus a. 1652, ubi, Londini puta, paullo post prima potus Coffeæ taberna visa est; Houghton (**). Anno demum 1661 usum ejusdem ibidem invaluisse, ex Moinichenio refert Th. Bartholinus (***). Eodem anno primus de novo hocce potus genere rumor ad aulam Holsaticam pervenit, & quidem ex aula Svecica, in qua, ut in Litteris testatur J. Langelott (†), tunc temporis dudum receptus erat ejus usus, qui tamen aulæ Danicæ nondum innotuerat, fatente Bartholino (††). Ex illo tempore, grassante præsertim bello a. 1672, satis cito quoquoversus per Europam serpsit luxus hicce, adeo ut a. 1691 in plerisque domibus honestioribus Galliæ potus Coffeæ frequens fuerit; Du Mont (†††).

OBS. 5. Semina Coffeæ *pulpa* glutinoso-dulci, subnauseosa, intra baccam circumdata sunt. Hæ baccæ, sejunctis seminibus, crebriori in usu sunt apud Arabes australes, præcipue in Jemen, quam ipsa semina, quæ illis nimis calida videntur; & vero istas baccas, leniter tostas, decoquunt Arabes in aqua simplici, unde emergit decoctum colore & sapore fere Theæ Chinensis, quod ut salubre & refrigerans respiciunt; Niebuhr (§).

OBS. 6. In calidioribus Americæ regionibus, baccæ Coffeæ bis in anno maturescunt, & quælibet arbor quotannis profert circiter libras 3 seminum; Bancroft

---

(*) *Voyag. en France --- & en Turquie, tom. 4. p. 81.*
(**) *l. cit.*
(***) *Epist. medicinal. centur. 3. p. 193.*
(†) Bartholin. *l. c. p. 191.*
(††) *l. c. p. 193.*
(†††) *loc. cit.*
(§) *Beschreib. von Arabien, p. 52.*

CROFT (*). Semina Coffeæ Arabica longe præſtant Americanis, partim quod ſapidiora ſunt, partim quod diutius ſe conſervant, ceterum in forma externa ſatis inter ſe conveniunt, niſi quod Arabica magis albicant quam cetera.

74. CORIS monſpelienſis. LINN. *Sp. pl.* 252. *Mat. med.* 80. KNIPH. *Bot. or. cent.* 9:
Coris quorundam. CLUS. *Hiſt.* 2. *p.* 174.
Symphytum petræum. CAMER. *Epit.* 699.
Pharm. *COREOS* Herba.
Locus. Europa auſtralis, in arenoſis. *Annua.*

FORMA. *Radix* ramoſa. *Caules* plures ex una radice, digitales, erecti, teretes, pubeſcentes, ſimpliciuſculi. *Folia* ſubcarnoſa, ſparſa, frequentia, ſeſſilia, linearia, obtuſa, 2 lineas longa vel ſemiungvicularia, reflexa; inferiora integra; ſuperiora margine ſpinuloſo-ciliata. *Spicæ* terminales, ſolitariæ, cylindricæ, obtuſæ, ſeſſiles. *Calyces* ſpinoſi. *Flores* cærulei.

PROPRIET. *Odor* vix ullus. *Sapor* amariuſculus.

VIRTUS:
USUS.

75. VERBASCUM Thapſus. LINN. *Sp. pl.* 252. *Mat. med.* 90. BLACKW. *Herb. t.* 3. OEDER. *Icon. t.* 631.
Verbaſcum mas & candela regia, LOBEL. *Hiſt.* 303.
Verbaſcum latius. DODON. *Pempt.* 143.
Bouillon-blanc. GEOFFR. *Mat. med. contin. T.* 3. *p.* 277.

 Pharm.

[*] *Naturgeſchichte von Gviana, p.* 15.

Pharm. *VERBASCI* Herba, Flores.

Locus. Europa, in glareosis. *Bienne.*

FORMA. rec. Radix ramosa, descendens. *Caulis* simplicissimus, erectus, bi-vel tripedalis, tomentosus, angulatus e foliis decurrentibus. *Folia* sparsa, sessilia, decurrentia, spithamæa, oblonga, inferne attenuata, acutiuscula, undique tomentosa, albido-viridescentia, margine crenata, erecta, supra rugosa, subtus nervoso-venulosa; inferiora petiolata; superiora sensim minora. *Spica* cylindrica, terminalis, subsessilis, palmaris vel ultra, constans bracteis & floribus tempore inæqualibus. *Bracteæ* lanceolatæ, terminatæ apice lineari, angusto; subtus tomentosæ, supra glabræ, calyce fere longiores. *CAL. Perianth.* tomentosum, ovato-oblongum, basi angulatum, quinquefidum: laciniis lineari-lanceolatis, subæqualibus, intus lævibus, erectis. *COROLLA* infundibuliformis, calyce longior. *Tubus* glaber, crassus, breviusculus. *Limbus* luteus, tomentosus, quinquefidus: laciniis ovato-oblongis, obtuso-rotundatis, subæqualibus; 4 erectis, apicibus inflexiusculis; infima patente. *STAM. Fil.* 5, filiformia, tubo inserta, limbo breviora; 3 superiora paullo breviora, superne lanata, erecta; 2 inferiora longiora, glabra, declinata. *Anth.* oblongæ, didymæ, erectæ. *PIST. Germen* subrotundum, tomentosum, obtusum. *Stylus* filiformis, inferne tomentosus, superne glaber, longitudine corollæ. *Stigma* capitatum, compressum.

PROPR. rec. Folior. odor debilis, subnarcoticus, non gratus. *Sapor* herbaceus, subamaricans, in folia Raphani incidens, sed longe debilior; *Flor.* rec. debilior, subnarcoticus, vix gra-

gratus. *Sicc. Folior. odor* debilis, non ingratus. *Sapor* ſubrancidus. *Flor. odor* ſvaveolens, fere Iridis florentinæ; *ſapor* gratus, violaceus.

VIRTUS folior. emolliens; *Flor.* anodyna, pectoralis.

USUS flor. Tuſſis, Hæmorrhoides cæcæ.

OBS. 1. *Flores* extrahuntur menſtruo aquoſo & ſpirituoſo; deſtillatione dant aquam ſtillatitiam violaceo odore; folia vero debiliorem. *Infuſum* aquoſum florum & foliorum cum vitriolo martis nigreſcunt.

OBS. 2. Vis plantæ ſtupefaciens ex eo demonſtratur, quod piſces a ſeminibus adeo ſtupefacti evadunt, ut manibus capi poſſint; BOCCONE.

76. NICOTIANA Tabacum. LINN. *Sp. pl. 258. Mat. med. 87.* KNIPH. *Bot. orig. centur. 4.*

Petum Tabacum. BLACKW. *Herbal t. 146.*

Herba ſancta. LOBEL. *Icon. 316.*

Quavhyetl. HERNAND. *Mexic. 403.*

Petum latifolium. CLUS. *Exot. 309.*

Tabacum majus latifolium. SCHOON *Oeffer der plant. p. 7. t. 1. f. A - E.*

Hyoſcyamus peruvianus. DODON. *Pempt. 449.*

Pharm. TABACI (*Nicotianæ*) Herba, Extractum.

Locus. America. Colitur ubique. *Annua.*

FORMA. rec. Radix fibroſa. *Caulis* bipedalis vel ultra, erectus, teres, villoſus, ſubviſcidus, ſimplex. *Folia* magna, alterna, pedalia vel ultra, pro ingenio ſoli, patentia, ovali-lanceolata, acuta, inferne attenuata, ſeſſilia, paullulum decurrentia, utrinque glabra, ſupra obſcure viridia, ſubtus pallidiora, coſta & nervis albido-virideſcentibus, pubeſcentibus; ſuprema minora, ſeſ-

ſilia, non decurrentia. *Corymbus* terminalis, compoſitus, faſtigiatus, villoſo-viſcidus, parce foliosus: foliis floralibus lanceolatis, ad ſingulas diviſuras ſolitariis, acutis. *CAL. Perianth.* monophyllum, ovato-campanulatum, villoſo-viſcidum, minutim quinquangulatum, quinquefidum: laciniis ovato-acutis, erectis, ſubæqualibus. *COROLLA* monopetala, infundibuliformis, villoſo-viſcida, ſubincurvata. *Tubus* pallide virideſcens, cylindricus, calyce duplo longior, undique ſtriatus, in medio punctis 5 elevatis, ſitu annulari extus diſpoſitis. *Limbus* inferne ovato-oblongus, tubo concolor, ſuperne explanatus, rubicundus, quinquangulatus, ciliatus. *STAM. Filam.* 5, albida, ſubulata, longitudine tubi, inferne hirſuta, verſus baſin tubo adnata, ſuperne glabra, ad latus ſuperius corollæ flexa. *Anth.* cordato-compreſſæ, verſatiles. *PIST. Germen* ſuperum, conicum, glabrum, majuſculum, ſuturis 4 longitudinalibus. *Stylus* cylindricus, glaber, longitudine ſtaminum. *Stigma* capitato-convexiuſculum.

PROPR. recent. Odor debilius narcoticus, *ſiccat.* vero fortior. *Sapor recent.* amaricans, acriuſculus; *maſticata* folia recentia, ſubglutinoſa, lingvam fauceſque leviter mordentia: ſaliva virideſcente. Folia Tabaci recentia, manibus tractata, digitos inquinant glutinoſa quadam materia, fuſco-brunnea. In flamma candelæ flagrant folia ſiccata: fumo narcotico, aſſvetis grato, cinere albido relicto. Folia conciſa, carbonibus ignitis injecta, fulgurant & fremunt ad inſtar Nitri, nervi potiſſimum & petioli.

VIRTUS: narcotica, inebrians, antiſpasmodica, emetica, purgans, errhina, ſternutatoria, phthiriaca, repellens.

USUS

USUS internus: Tuſſis; *externus:* Phimoſis, Ozæna, Obſtipatio alvi; *diæteticus* vulgatiſſimus; ubique terrarum pulvis naribus, & fumus ore hauriuntur, luxurioſa & mira conſvetudine.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum folior. rec. & ſiccat. rubicundum, odore & ſapore Nicotianæ, nauſeoſo; papyrum brunneo colore tingit; cum vitriolo martis fuſceſcit leniter.

OBS. 2. Infuſum Nicotianæ, emetici loco in initio febrium putridarum, ut bona medicina domeſtica in Svecia adhibetur. Clyſmata e fumo Tabaci alvum potenter ſolvunt. Extractum Nicotianæ in tuſſi ſæpe multum pollicetur. Fotus e foliis Tabaci, ſ. lavacrum e Decocto Tabaci, deſideratum effectum plerumque præſtat in Phimoſi. Vidi, paraphimoſin chronicam, absque omni inflammatione, nunc inſenſibilem fere, largæ criſtæ ſimilem, ſolo fotu e Decocto Tabaci, brevi reſolutam.

OBS. 3. Nicotiana, principio Petum nuncupata, innotuit in Europa anno 1560, per mercatorem quendam e Florida reducem, & curante JOH. NICOT famoſa facta. Mirum mihi videtur, quod in Italia uſu non fuerit recepta ante annum circiter 1610, poſteaquam Cardinalis CRESCENTIUS, ex conſilio VIRGIL. URSINI, eam ex Anglia arceſſiverat ad ſanitatem ſuam firmandam, multosque mox affectatores nactus fuerat, ut teſtatur P. DELLA VALLE (*). Per bina ſecula adeo percrebuit ejus uſus, ut tantum non ubique terrarum nunc recepta ſit, immo in neceſſariis ſæpe habeatur. De hac planta ſcripſerunt plurimi, inter quos TH. SCHOON (**) in extenſo de ea egit.

(*) *l. c. p.* 42.
(**) *Waare oeffening en ontleding der Planten.* Gravenhage 1692.

OBS. 4. Plures e plantis *luridis* cum Nicotiana viribus quodammodo conveniunt; fumus etiam ex illis, perinde ac e Tabaco, hauriri poſſet.

77. DATURA Stramonium. LINN. *Sp. pl.* 255. KNIPH. *Bot. or. cent.* 10.
Stramonium. BLACKW. *Herb. t.* 313.
Stramonium fructu ſpinoſo rotundo, flore albo ſimplici. GARID. *Aix. t.* 94. ZANNICH. *Venez. t.* 84.
Stramonium. STÖRCK *libell. p.* 1. *t.* 1.
Pharm. *STRAMONII* Herba, Extractum.
Locus. Europa. *Annua.*

FORMA. rec. Radix alba, ramoſa, fibris elongatis undique obſeſſa. *Caulis* ſubbipedalis, erectus, teres, glaber, lucidiuſculus, inferne ſimplex, ſuperne dichotomus. *Rami* patuli, minutim pubeſcentes. *Folia* alterna, ſubſucculenta, petiolata, vix ſpithamæa, ovata, acuta, utrinque glabra, lucidiuſcula, ſupra obſcure viridia, venis lineata, ſubtus pallidiora, nervis validis, ſubalternis, margine undique inæqualiter ſinuato-dentata, patentia. *Petioli* foliis breviores, teretes, ſupra ſuperne canaliculati. *Flores* axillares e dichotomia, breviter pedunculati, erecti. *CAL. Perianth.* monophyllum, cylindricum, baſi rotundatum, dilute virideſcens, vix minutim lanuginoſum, acute pentagonum; ore quinquefido: laciniis ovato-acutis, erectis, carinatis. *COROLLA* nivea, infundibuliformis. *Tubus* virideſcens, pentagonus, calyce brevior. *Limbus* turbinatus, e tubo ſenſim ampliato natus, nervoſus: nervis circiter 15, per 5 ordines diſpoſitis; calyce longior, ſuperne ampliatus, patulus, pentagonus, quinqueplicatus, quinquefidus;

dus: laciniis rotundatis, breviusculis, terminatis apice lineari-subulato, conduplicato, erecto. *STAM. Filam.* 5, subulata, inferne linearia, tubo adnata, sulcata, superne libera, subulata, longitudine dimidii limbi, erecta. *Antheræ* ovali-lineares, utrinque compressæ, margine utrinque longitudinaliter dehiscentes, erectæ, inclusæ. *PIST. Germen* superum, obtusum, undique hispidum. *Stylus* albus, cylindricus, glaber, longitudine staminum. *Stigma* clavatum, obtusum, latere utrinque exscissum.

PROPRIET. rec. Odor narcoticus, fortior, præcipue e foliis fricatis. *Sapor* amarus. Folia *masticata* tenera. Odor recentis herbæ narcoticus, adeo fortis & afficiens, ut, cum plantam describerem, ex odore narcotico, & ex eo quod masticaveram folii frustum, temulentus quasi evaserim, haud secus ac si insvetus fumum Tabaci hausissem.

VIRTUS: antispasmodica, inebrians, siccitatem faucibus inducens, pupillæ dilatationem cum visus obnubilatione periodica efficiens, nimia dosi sumta.

USUS. Convulsiones, Mania, Epilepsia.

OBS. 1. *Extractum* parari debet a succo expresso herbæ, inspissatione igne molli facta. Herbæ Daturæ rec., fine Augusti collectæ, libræ 158 mihi dederunt succi expressi libras 37; residuum in aqua decoquebatur, & decoctum inspissatum succo addebatur, quæ omnia inspissata dederunt Extracti libr. 3 ß. Ætate exsiccatur hocce Extractum in massam nigro-fuscam, quæ, luci exposita, particulis nitrosis undique micat. In candelæ flamma fremit Nitri instar, cum explosione & fulguratione, ac fumat: fumo narcotico, tabacino. Sapor extracti nitrosus, mordens in lingva. E succo inspissato vel extracto liquidiore, mora & quiete, sponte na-

ſcuntur veræ cryſtalli Nitri. Doſis Extracti Daturæ eſt a grano 1 ad 5, bis de die. Non augenda doſis, quando pupilla oculi dilatatur.

OBS. 2. Decoctum e capſulis 3 ſeminalibus Daturæ, in lacte coctis, hora 8. a. m. epotum, vertiginem ſubito fecit, ſubſequente aphonia, agrypnia, frequente blatteratione, extremitatibus truncoque corporis frigidis, pulſu exili, celeri. Hunc ſtatum excepit paralyſis apparens totius corporis per horas 7, quæ tandem in furorem abiit. Hora 10. veſpertina ad ſe rediit æger, & tranquille dormivit per noctem. ABR. SWAINE (*).

OBS. 3. De uſu Daturæ in plurimis morbis pulchre egit ill. ANTONIUS STÖRCK (**). Confirmarunt, uſumque Daturæ in Epilepſia & Convulſionibus comprobarunt cl. viri, J. L. ODHELIUS (***), J. E. GREDING (†), J. G. WAHLBOM (††), A. F. WEDENBERG (†††), pluresque. Sæpius ipſe vidi maniacos in integrum reſtitutos absque relapſu, ex propinato Extracto Daturæ, per tempus quoddam continuato. Delirium poſt puerperium ſæpe curavi cum Datura, ubi alia fefellerunt. Pariter illa profuit adverſus ideam fixam ex mœrore, cum deliratione manſveta conjuncta. Si ſetaceum nuchæ jungitur uſui Daturæ in mania, citius curatur morbus.

78. DATURA Metel. LINN. *Sp. pl. 256. Mat. med. 85.*

Dutra alba. RUMPH. *Amb. 5. p. 242. t. 87. f. 1.*

Hum-

(*) *Eſſays and obſerv. phyſ. and litter* v. 2. p. 247.
(**) *Libell. de Stramonio, Hyoſciamo & Aconito.* Vindob. 1762.
(***) K. *Vetenſk. Acad. Handl. vol* 27. p. 277.
(†) In LUDWIG. *Adverſar. medico-pract. v. 1. p. 259. ſeq.*
(††) *Medicinal-Verk. tilſtånd för år 1769, p. 108.*
(†††) *Diſſ. de Stramonii uſu.* Upſ. 1772.

Hummatu. RHEED. *Malab.* 2. *p.* 47. *t.* 28.
Datura. OLEAR. *Muſ. p.* 27. *t.* 18. *f.* 1. 3. 6. 7. 8.
Stramonium peregrinum. LOBEL. *Icon.* 264. *Hiſt.* 136.
Stramonia. DODON. *Pempt.* 457.
Pharm. *DATURÆ* Semina.
Locus. Aſia, India orientalis, ubi fruteſcit; apud nos culta *annua* eſt.
FORMA. *Semina* ovato-reniformia, utrinque compreſſa, glabra, lineas 2 circiter longa, undique cincta margine tereti, ſubcarnoſo, ſulcato.
PROPRIET. *Odor* & *Sapor* fatuus.
VIRTUS: ſoporifera, phantaſtica.
USUS.
OBS. De abuſu hujus herbæ vide prolixe apud RUMPHIUM, *l. c.*

79. HYOSCYAMUS niger. LINN. *Sp. pl.* 257. *Mater. med.* 86. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 1. ZANNICH. *Venez. t.* 225. DODON. *Pempt.* 447.
Hyoſciamus. STÖRCK *libell. p.* 26. *t.* 2.
Pharm. *HYOSCYAMI* Radix, Herba, Semina; Extractum.
Locus. Europa, in ruderatis. *Biennis.*
FORMA. *rec.* *Radix* primi anni fuſiformis, undique alba: *parencymate* carnoſo, albido, poſt ſectionem transverſalem centro medullari orbiculato, rugoſo, cincto diſco annulato: annulis ſubapproximatis, obſoletis. *Caulis* (ſecundi anni) erectus, teres, bipedalis, villoſo-lanatus, ſubglutinoſus, ſuperne ramoſus. *Rami* alterni, erecti. *Folia* alterna, ſeſſilia, amplexicaulia, ovato-oblonga, acuta, minutim tomentoſa, mollia,

lia, pinnatifido-dentata: laciniis lanceolatis, acutis, integris. *Flores* axillares, ſolitarii, ad latus alterum axillæ ſiti, ſubpedunculati. *CAL. Perianth.* monophyllum, campanulato-turbinatum, ſubtomentoſum, baſi lanatum, apice quinquefidum: laciniis lanceolatis, acutis, carinatis, concavis, ſubæqualibus. *COROLLA* infundibuliformis. *Tubus* cylindricus, villoſus, longitudine calycis, inferne albus, ſuperne ſtriatus, purpuraſcens. *Limbus* ex tubo ſenſim ampliato, erectus, patens, colore triſti, ſordide ſubluteſcens, venis rubicundis undique pictus, extus ſubpubeſcens, quinquefidus: laciniis obtuſis; quarum 2 ſuperiores ovatæ, 3 inferiores paullo majores, obovatæ. *Faux* purpuraſcens. *STAM. Fil.* 5, filiformia, alba, villoſa, erecta, ad latus corollæ ſurſum flexa, tubo paullo longiora; quorum 2 inferiora breviora, arcuata. *Antheræ* cordato-lineares, erectæ. *PIST. Germen* ſuperum, ovatum, obtuſum, glabrum; ſuperne albidum, inferne luteſcens. *Stylus* filiformis, pubeſcens, violaceus, ſtaminibus longior, flexura eadem cum ſtaminibus, baſi albidus. *Stigma* capitatum, albidum, ſubexſertum. *CAPSULA* intra calycem perſiſtentem, ovata, obtuſa, glabra, obſolete tuberculata, bilocularis, tecta operculo obtuſo, mucronato, horizontaliter circumſciſſo *Semina* numeroſa, cinerea, ovata, obtuſa, utrinque compreſſa, undique foveolis reticulata.

PROPR. rec. Rad. Odor narcoticus; *ſapor* primum narcoticus; *maſticata* radix tenera pulpoſa, ſubdulceſcens, ſubmucilaginoſa. *Herbæ* rec. *odor* narcoticus, ingratus; contuſorum foliorum tabacinus; *maſticata* folia lubrica, ſubmucilaginoſa, *ſapore* fatuo. *Folia ſiccata* ſubinſipida, vix acriu-

acriuſcula, odore debili; carbonibus ignitis immiſſa ſcintillant, fremunt & fulgurant ut Nitrum, fumant: fumo narcotico, tabacino.

VIRTUS: narcotica, phantaſtica, antiſpaſmodica, in nimia doſi pupillam dilatans, emmenagoga, repellens; *recens* toxica; *ſiccata* mitior.

USUS. Internus Paralyſis, Palpitatio cordis, Mania, Convulſiones; *externus* Tumores duri, Scirrhus.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum, e foliis ſiccatis ſaturatum, rubrum; vitriolo martis non variatum. *Extractum* parari debet e ſucco expreſſo. Doſis a gran. 1 ad 5, bis de die. Semina *oleum* expreſſum dant, fatuo odore.

OBS. 2. Radices recentes primo vere ab imperitis per errorem ſubinde effodiuntur loco Paſtinacæ, effectu ſæpe triſtiſſimo; ſed curatur emeticis, & aceto vini largiter propinato. Cl. C. M. Blom (*) ab eſu radicis recentis vidit ſuperveniſſe ſomnum profundum, protractum, cum facie tumida rubraque, oculis ſplendentibus, pulſu duro, inſequentibus eruptionibus gangrænoſis cutis, ſparſim per totum corpus, præcipue in femoribus & tibiis; quæ vero ſymptomata, ex propinata aceti larga doſi, brevi evanuerunt. Reliquæ ſpecies Hyoſcyami pariter narcoticæ & venenatæ ſunt. Semina Hyoſcyami albi, doſi gran. 15 exhibita, excitarunt ſtuporem, convulſiones, ſubſultus tendinum, cum pulſu exili atque abolitione ſenſationis. Proximo mane expergefactus fuit æger clyſmate antimoniali, amploque veſicatorio. Archib. Hamilton (**).

OBS. 3. De utilitate Hyoſcyami ſcripſit laudatus Störck (***), quorſum accedit, quod pulchre de Extracto

(*) *K. Vetenſk. Acad. Handl. v. 35. p. 55. ſeq.*
(**) *Eſſays and obſerv. phyſic. and litter. v. 2, p. 243.*
(***) *l. c.*

tracto Hyoſcyami diſſeruit cl. J. E. GREDING (*). In recentiore libello (**) de Extracto Hyoſcyami prædicat STÖRCK, quod ſpaſmos & convulſiones mitigavit, opem etiam tulit in epilepſia, mania, furore, tuſſi phthiſicorum, ecclampſia infantili.

OBS. 4. Arabum confectio, *Benge* dicta, ex ſpecie Hyoſcyami præparatur, eſtque inebrians, ſomnifera, phantaſtica, ſomnia vigilia excitans, aſſvetis adeo familiaris, ut deficiente hac cibum faſtidiant. Effectus autem hujus Benge eſt, totum ſyſtema nervoſum debile, maxime irritabile; unde tremor corporis, terror ex minimo ſtrepitu, facies leucophlegmatica. D'ARVIEUX (***)

80. ATROPA Mandragora. LINN. *Sp. pl.* 259. *Mat. med.* 88.
Mandragora. MILL. *Figur. t.* 173. BLACKW. *Herb. t.* 364.
Mandragoras. DODON. *Pempt.* 454. PARKINS. *Theatr.* 344.
Mandragora femina. CLUS. *Hiſt.* 2. *p.* 87. LOBEL. *Hiſt.* 138.
Mandragora fructu rotundo. TILLI *Hort. Piſan. p.* 108. *t* 43.
Pharm. MANDRAGORÆ Radix.
Locus. Europa auſtralis, in umbroſis & ad ripas fluviorum. *Perennis.*

FORMA. Radix recens craſſa, longa, bifida vel quadrifida, pallida. *Siccata* in taleolas longitudinales ſecta occurrit, fragilis.

PROPRIET. Tota planta *recens* odorem exhalat narcoticum, inebriantem. *Siccata* radix debi-

(*) In LUDWIG. *Adv. med. v.* 1. *p.* 71 *ſeq.*
(**) *Libell de Pulſatilla, p.* 59.
(***) *l. c. p.* 12. *ſeq.*

debilius odorata, sapore acriusculo, amaricante, nauseoso.

VIRTUS: emetico-purgans (HERMANNUS.), narcótica, somnifera, (veterum *Pocœnium*), repellens.

USUS: externus, Scrophulæ, Indurationes glandularum.

OBS. 1. *Infusum* aquosum colore cerevisiæ, amaricans, nauseosum; vitriolo martis non alteratur.

OBS. 2. De vi Mandragoræ repellente & induratas glandulas resolvente observationes recensuit cl. C. F. HOFFBERG (*). Applicuit pulverem radicis, melle exceptum, vel etiam in lacte coctum, externe tumoribus duris glandularum, idque cum levatione. Radicis grana 3 propinavit, insequente effectu velut a narcotico valido.

81. ATROPA Belladonna. LINN. *Sp. pl. 260. Mat. med. 89.* KNIPH. *Bot. or. cent. 9.*

Belladonna majoribus foliis & floribus. MILL. *Figur. t. 62.*

Belladonna. SICEL. *monogr. t. 1.*

Solanum lethale. CLUS. *Hist. 2. p. 86.* LOBEL. *Hist. 134.* DODON. *Pempt. 453.*

Pharm. BELLADONNÆ Herba, Baccæ.

Locus. Austria, Italia, in montibus. *Perennis.*

FORMA: Caulis herbaceus 4 vel 6-pedalis, erectus, teres, minutissime pubescens, ramosus. *Folia* alterna, gemina: altero minore; petiolata, ovata, utrinque acuta, spithamæa vel ultra, molliuscula, integerrima, nervosa: nervis a costa alternis, obliquis. *Flores* axillares, subgemini, pedunculati: pedunculis folio brevioribus. *Co-rollæ*

(*) *K. Vetensk. Acad. handl. v. 24. p. 229.*

rollæ rubro-purpuraſcentes, luridæ. *Baccæ* nigricantes, nitentes, magnitudine fructus Ceraſi.

PROPRIET. ſicc. Odor foliorum vix ullus; *ſapor* herbaceus, acriuſculus, ſubnarcoticus. *Baccæ recent.* ſapore dulceſcente, fatuo, ſubadſtringente.

VIRTUS: narcotica, antiſpaſmodica, ſiccitatem in faucibus, & pupillæ dilatationem cum cæcitate periodica efficiens, vertiginoſa; *nimia doſi* venenata.

USUS. Convulſiones, Epilepſia.

OBS. 1. *Infuſum* foliorum fatuum; vitriolo martis non variat.

OBS. 2. Sexcentæ in medicorum ſcriptis occurrunt obſervationes, de vi narcotica & deleteria foliorum & baccarum Belladonnæ; quare caute cum hac planta procedendum. Debita vero doſi exhibita, congeneribus vix periculoſior. In convulſionibus ſæpe cum fructu pulverem foliorum, a gr. 1 ad 4 bis de die, præſcripſi. Ulterius experiundum cenſeo, quid valeat Belladonna in tumoribus ſcirrhoſis & cancro. Quæ in Svecia alibique inſtituta ſunt, experimenta, incaſſum ceciderunt. Video tamen plures clariſſimos Medicos multum ſibi de ea polliceri. Sic cl. TIBERIUS LOMBERGEN (*), cl. Editor Commentar. Lipſ. (**), aliique, curationes cancri revera peractos annotarunt. Cl. J. E. GREDING (***) pulchra cum Belladonna inſtituit experimenta practica, quæ docuerunt, illam reapſe multum levaminis attuliſſe, etſi morbum penitus curare non valuit. *Baccæ* Belladonnæ comeſtæ valde ſunt venenatæ. Cl. GOECKEL (†) obſervationes de vi deleteria harum baccarum confirmavit,

(*) *Lectio inaugur. de Ephemeride perſonati Carcinomatis.* Groening. 1754.

(**) *Vol. 8. p. 654.*

(***) In LUDWIG. *Adverſ. med. pract. v. 1. p. 637*

(†) *Fränkiſche Samml. v. 3. p. 44.*

mavit, unde patet, illas necare vomitu atroci, cum convulſionibus junčto. Nihilo tamen minus veteres Rob baccarum propinarunt. CONR. GESNERUS (*) ſvadet, ut ſuccus baccarum expreſſus, in conſiſtentiam Syrupi, addito Saccharo, coquatur, de quo ſumat æger menſuram cochlearis parvi ſingula vice; ſic ſomnum intulit, fluxiones ſtitit, dolores ſuſtulit, dyſenteriam curavit, & grate ſapuit.

OBS. 3. De Belladonna ſcripſit Jo. M. FABER (**). Symptomata e comeſta Belladonna recenſet, & curam proponit, quæ præcipue conſiſtit in emeticis ſ. purgantibus. Acetum ut antidotum extollit. C. C. SICELIUS (***), præmiſſa deſcriptione plantæ, teſtimonia auctorum affert de hujus plantæ vi venenata. Caſum deinde deſcribit viri, ſummopere afflicti ex uſu radicis Belladonnæ, quam per errorem ſpeciebus pro Thea, a medico præſcriptis, immiſcuerat pharmacopola. Poſtea acetum ut antidotum laudat. THEOD. G. TIMMERMANN (†) pulcherrime egit de Belladonna. Succinctam dat hiſtoriam de uſu Belladonnæ in Cancro, ubi recenſet pericula a variis medicis inſtituta, cum illorum judiciis ſuper Belladonnæ vi anticancroſa. D. BRUMMEN, Conſiliarius, ut arcanum habuit cancrum Belladonna curare. Hoc ſecretum in manus incidit D. SPAETH, qui illud communicavit cum JUNCKERO, hic vero cum DEGNERO. Pater cl. TIMMERMANNI a DEGNERO de hoc arcano edoctus fuit. Retulerunt hi viri, cancrum Belladonna curatum. Sed ingenue fatetur TIMMERMANN, cancrum, ab exſtirpatione repullulan-

 tem

(*) *Epiſt. med. p. 34. b.*

(**) *Strychnomania, explicans Solani furioſi hiſtoriam, nocumenta & antidota.* Aug. Vindel. 1677.

(***) *Diatribe de Belladonna, ſ. Solano furioſo.* Jenæ 1724.

(†) *Periculum meditum Belladonnæ*; Rintelii 1765.

tem, ubi Belladonnam præscripserat ipse, minime curatum fuisse. Recenset deinde opiniones variorum Medicorum, Belladonnam in levi habentium.

82. PHYSALIS Alkekengi. LINN. *Sp. pl. 262. Mat. med. 93.* KNIPH. *Bot. or. cent. 7.*
Alkekengi officinarum. GARID. *Aix. t. 6.* ZANNICH. *Venez. t. 235.*
Alkekengi s. Halicacabum. BLACKW. *Herb. t. 161.*
Solanum Halicacabum. LOBEL. *Hist. 134.*
Solanum vesicarium. DOD. *Pempt. 451.*
Pharm. ALKEKENGI Baccæ, Semina.
Locus. Italia, Germania. *Perennis.*
FORMA. Baccæ subrotundæ, magnitudine fr. cerasi, calyce vestitæ, rubræ, pulposæ, polyspermæ. *Semina* plurima, subovata, utrinque compressa.
PROPRIET. Bacc. recent. Sapor acidulus, tum amaricans. *Sicc.* debilior. *Calyx* amarus. *Semina* acriuscula, leviter amaricantia.
VIRTUS: diuretica, refrigerans.
USUS.
OBS. *Infusum* Baccar. sicc. aquosum, cerevisiæ simile; vitriolo martis non demutatum.

83. SOLANUM Dulcamara. LINN. *Sp. pl. 264. Mat. med. 95.* OEDER *Icon. t. 607.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1. & 3.* DUHAM. *Arbr. 2. p. 269. t. 72.*
Dulcamara. DODON. *Pempt. 398.*
Solanum lignosum seu Dulcamara. BLACKW. *Herb. t. 34.*
Pharm. DULCAMARÆ Stipites, Herba.
Locus. Europa, ad sepes in nemorosis, locis depressis, sæpe in aquosis. *Suffrutex.*

FOR-

FORMA. rec. Radix repens. *Caulis* (h e. *stipites*) suffruticosus, flaccidus, teretiusculus, subangulatus, minutim rugoso-scabridus, tuberculis sparsis exasperatus, ramosus. *Rami* pauci, alterni, erecti. *Folia* alterna, petiolata, ovata, acuta, utrinque glabra, patentia; inferiora integra; superiora hastata. *Petioli* glabri, subtus convexi, supra canaliculati. *Flores* cymosi. *Cymæ* laterales, oppositifoliæ, pedunculatæ, bifidæ, nudæ, nutantes, subsecundæ. *Bracteæ* nullæ; *callus* parvus, truncatus, ad basin pedicellorum. *CAL. Perianth.* monophyllum, turbinatum, purpureum, parviusculum, truncatum, ore obsolete quinquefido, obtuso. *COROLLA* monopetala, rotata, cærulea. *Tubus* vix ullus. *Limbus* quinquepartitus: laciniis lanceolatis, acutis, plano-patentibus; singulis basi instructis *macula* gemina, subrotunda, diaphana, centro notata puncto rubro, subcordato. *STAM. Filam.* 5, brevissima. *Anth.* luteæ, lineares, sulcatæ, in conum conniventes. *PIST. Germen* ovatum, glabrum. *Stylus* subulatus, staminibus paullo longior, glaber. *Stigma* obtusum.

PROPR. Stipit. rec. Odor gravis, nauseosus; *sapor* amaricans, postea subdulcescens. *Sicc. Odor* nullus; *sapor* magis amarus; *masticati* dein dulcescunt. *Folior.* rec. *odor* fœtidus; *sapor* herbaceus.

VIRTUS: pellens urinam, sudorem, menses, lochia, sputa; mundificans.

USUS: Rheumatismus, Retentio mensium & lochiorum.

OBS. 1. *Infusum* stipit. sicc. aquosum rubescens, intense amarum; vitriolo martis vix fuscescit. *Extractum* amarum, præstans.

OBS. 2. Stipites Dulcamaræ ſiccati narcotici non ſunt, etſi planta Solani eſt ſpecies. Dulcamara recens præſtat omnino ſiccata, ſed doſis ipſius diminuenda. Si Stipitum Dulcam. rec. drachm. ß in aquæ font. unc. 16 coquatur ad unc. 8, & decoctum deinde cum lacte diluatur, valde id opportunum eſt, ut obſervat cl. RAZOUX (*), in plurimis morbis rebellibus & chronicis, e. gr. in exoſtoſi, herpete, ſcorbutica diatheſi. Apud nos Stipites ſiccati communiter decoctis mundificantibus immiſcentur. Extractum in arthritide dari poteſt a gran. 5 ad 10, bis vel ſæpius de die.

OBS. 3. *Baccæ* Dulcamaræ purgantes & emeticæ ſunt. Cani datæ, intra trihorium eum occiderunt. FLOYER (**).

84. SOLANUM tuberoſum. LINN. *Sp. pl.* 265. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 6.

Solanum tuberoſum eſculentum. BAUH. *Prodrom. p.* 89. *t.* 89.

Arachidna Theophr. forte, Papas Peruanorum. CLUS. *Hiſt.* 2. *p.* 79. *t.* 79.

Culinis POTATOES tubera.

Pharm. SOLANI TUBEROSI Herba, Extractum.

Locus. Peru. Colitur nunc ubique per Europam. *Annuum.* Propagatur tuberibus, nodis caulis, ſeminibus.

FORMA. rec. Radix teres, cylindrica, albida, fibroſa: fibris faſciculatis, horizontalibus; inſtructa ſtolonibus intra terram exporrectis, repentibus, teretibus, albis, fibris radicantibus, portantibus *Tubera* ſubrotunda, compreſſiuſcula, lævia, cicatricibus notata excavatis, h. e. totidem gemmu-

(*) *Journ. de Medecine, T.* 22. *p.* 236.

[**] *Pharmac. p* 86.

mulis vivacibus; magnitudine, colore & ſapore variantia; *parencymate* carnoſo, ſubſuccoſo, luteſcente, firmo. *Caules* plures ex una radice, pro numero gemmularum tuberis, erecti, flaccidi, ſubflexuoſi, nodoſi, ſubdichotomi, trigoni: articulis inter nodos ſuperne alternatim interruptis; glabri, inferne ſimplices, e fuſco variegati, ſuperne virideſcentes, ramoſi. *Rami* alterni, virideſcentes, cauli conformes, leviter pubeſcentes, ſcabridi punctulis elevatis. *Folia* ad nodos, alterna, petiolata, pinnata cum impari: foliolis petiolatis, oppoſitis, cordato-ovalibus, oblongis, acutis, integerrimis, margine minutim ciliatis, ſupra rugoſis, lucidiuſculis, ſcabris: punctulis elevatis, piliferis: pilis parvis, incurvis; ſubtus glaucis, pubeſcentibus, venuloſis, nervoſis; foliolo extimo majori; inferioribus ſenſim minoribus. *Auriculæ*, ſ. foliola parva petioli, intra ſingulum par pinnarum, ſuboppoſitæ, cordatæ, ſubſeſſiles. *Petiolus* communis teres, ſupra biſulcatus, villoſus, ſubtus lanuginoſus. *Petiolelli* conſimiles, breves, pubeſcentes. *Stipulæ* 2, oppoſitæ, lunulatæ, caulem amplexantes, ſubſeſſiles. *Margo* e petiolis in caulem utrinque decurrens ad proximum nodum, flexuoſo-criſpus. *Pedunculi* axillares, in medio folioſi, erecti, teretes, pubeſcenti-ſcabridi. *Flores* corymboſi, albi vel violacei, pro ingenio varietatum.

PROPR. rec. Tuberum Odor ſubaphrodiſiacus; *ſapor* ſubfatuus; Tubera *cocta* farinoſa, ſapore leguminoſo. Tubera recentia, in taleolas ſecta & in furno piſtorio ſiccata, evadunt duriſſima, cinerea, extus farinoſa, ſc. ex relicto amylo, odore panis torrefacti; ſed ſi ante ſiccationem coquantur in aqua, & in taleolas ſecentur, refe-

runt fruſtum cornu bovilli, fiunt diaphana, dura, rubicunda, absque odore; ſiccata difficulter iterum emolliuntur. Si tubera Potatoës recentia ſub cineribus coquantur, odorem accipiunt ſeminum Piſorum in aqua coctorum. *Herbæ rec. odor* tabacinus; *ſapor* amaricans; a maſticatis foliis teneris ſaliva virideſcit. *Sicc. odor* pariter tabacinus; *ſapor* fatuus. In flamma candelæ comburitur herba absque flamma permanente; folia accenſa, ſi bene ſiccata, ſponte non extingvuntur, ſed a flamma remota ignem fovent ſerpentem, comburuntur, fumant: fumo tabacino, relictis cineribus albidis; hæc folia, Tabaci inſtar per fiſtulam fumigata, relinquunt in ea *oleum* empyreumaticum, oleo Tabaci ſimile. Folia & petioli, carbonibus ignitis immiſſi, fremunt & ſcintillant ut Nitrum.

VIRTUS: Tuber. nutriens, facilis digeſtionis. *Herbæ* ſubanodyna, repellens.

USUS. Tuberum: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum herbæ *ſicc.* ſubrubicundum, odore non ingrato, ſapore herbaceo; vitr. martis non mutatur. *Extractum* ex herba ſicca nigricans, tenaciuſculum, odore infuſi Maltæ, ſapore ſalſo, in lingva leniter mordente.

OBS. 2. Tubera Potatoës nutriunt *farinoſo* ſuo, quod, ſi debito modo extrahitur, & a veſiculis, quibus in ipſis tuberibus incluſum tenetur, bene purgatur, verum eſt *amylum.* Succus tuberum recentium nauſeoſus eſt, aquamque puram rubicundo colore inficit. Amylum obtinetur, quando tubera recentia, radula raſa, in aquam frigidam mittuntur, ſeduloque agitantur, ſubſequente quiete, unde pars amylacea fundum petit, furfuribus ſupernatantibus, qui demum ſeparandi. Hi furfures bene elixiviandi, ut plus obtineatur a-

my-

myli. E tuberum Potatoës rec. libris 10 obtinetur amyli libri 1. Parem amyli quantitatem ex tuberibus frigore congelatis obtinui; &, ut docuerunt Viri cl. C. B. SKYTTE (*), B. BERNDTSON (**) & PARMENTIER (***), hæc tubera nullum detrimentum capiunt ex frigore, modo caute regelentur. Amylum illud simile est amylo triticeo, albissimum, inquinans, luci expositum atomis micantibus conspicuum, inter digitos crepulum, friabile, ponderosum, in aqua subsidens, frigida sive tepida in aqua non solubile. Superaffusa aqua bulliente, in gelatinam agitatione abit limpidissimam, æqualem, hyalinam, sapore subfatuo, bene glutinantem. Si hæc gelatina exsiccatur, vertitur in gummi transparens, album, simile Camphoræ in frustulis. Amylum hoc cum fermento nullo modo fermentationem subiit, sed se gessit ut amylum ex Tritico.

OBS. 3. *Spiritum ardentem* ex tuberibus Potatoës parant œconomi nostri, quod sequenti modo peragunt. Rc. Tuberum recent. tonnam unam; bulliant in aqua leniter, ut commode contundi possint in pulpam; sub fine contusionis sensim addatur aquæ tepidæ q. s., ut f. pulmentum. Deinde immisceatur palearum avenac. vel triticearum tonnæ quarta pars. Hæc omnia probe & valide agitentur; tum fermentum ex Tartaro cerevisiæ addatur, & debita quies cautelæque ad fermentationem necessariæ observentur. Hoc modo Spiritus ardentis perfecti & boni circiter congios 12 ex Potatoës tonna una obtinuit cl. F. J. VON AKEN. Constat proinde, fermentationem spirituosam omnino subire tubera hæcce, quod ideo mireris, quia farina ex tuberibus siccatis, sola & sine addito aliquanto farinæ frumenti,

 per-

(*) *K. Vetensk. Acad. Handl. v. 35. p. 324.*
(**) *l. c. p. 326.*
(***) *Exam. chym. des Pommes de terre, p. 192.*

perfectam non admittit fermentationem, ut panis inde coqui possit.

OBS. 4. Utilissima hæc tubera in Europa cognita sunt inde ab exeunte seculo 16. Innotuit planta CASP. BAUHINO a. 1590, icone missa a SCHOLTZIO; sed paullo ante, nempe anno 1588, C. CLUSIUS bina tubera cum fructu hujus plantæ acceperat a PHIL. DE SIVRY, qui e Belgio miserat, ex Italia depromta, ubi tubera hæcce non modo cognita, sed & usu culinari dudum recepta tradebantur. Itali ex Hispanis, hi vero ex America, tubera acceperunt. CLUSIUS, a. 1601 Historiam suam rariorum plantarum publicans, tubera hæc describit ut nova, & ante paucos annos Europæ primum cognita; addit tamen, ea plerisque Germaniæ hortis satis vulgaria dudum facta; quod indicio est, satis cito per Europam disseminatam fuisse plantam, instituto sane utilissimo, siquidem plurimis gentibus primarius post exstiterit victus. Communiter esitantur hæc tubera, in sola aqua subsalita cocta, vel in jure carnis salitæ, cum embammate butyraceo, vel cum lardo sive carnibus salitis. Facillime digeruntur, & saluberrimus cibus. Varia escatilia in culinis nostris e Solano tuberoso apparantur. Sic panis paratur e radicibus, in aqua fervide infusis, tum contusis, & cum farina frumenti mixtis, addito fermento e tartaro cerevisiæ, unde pasta formatur, quæ breviter fermentare debet, moxque in furno coqui. *Amylum* Solani valde gelatinosum fit, si debita encheiresi tractatur. Ebullitionem vix fert, illa saltem citissima erit; coctione enim protracta, multum perdit de qualitate gelatinosa. Sic utimur hoc amylo ad lintea dealbata rigida reddenda; quod ut procedat, amylum Solani debet in aqua frigida primum contundi, deinde virgulæ ope in aqua bulliente, olla ab igne remota, bene conquassari in gelatinam satis firmam. Hæc encheiresis necessaria est, alias enim solo aëre tol-

tollitur rigor lintei. Pro mensa parant *gelatinam* Solani: sc. Rc. aquæ puræ q. v., succi Ribium rubr. & Rubi Idæi cum Saccharo cocti, corticis Cinnamomi & flaved. cort. Citri, non concisi, q. s. ad gratum saporem; ebulliant omnia in olla cuprea bene polita; tum eximantur cortices, & amyli pulverati q. s. ad consistentiam justam per cribellum immittatur, sub debita valida agitatione cum virga, subsequente brevi ebullitione per minuta 10 vel 15, dum decoctum clarescat, quo facto olla ab igne removeri debet, gelatinaque in vase escario, mensæ adaptato, statim immitti. Observandum est, quod tota dosis farinæ, ad justam gelatinæ consistentiam requisitæ, durante prima agitatione cum virga, immitti debet; etenim non expedit novam portionem farinæ superaddere, finita prima agitatione; nam altera portio farinæ, serius addita, non gelatinescit, sed concrescit in grumos duriusculos, albos, non solubiles, unde tota gelatina deturpatur. Si gelatinam limpidam cupias, minor portio farinæ Solani recipi debet; si autem spissiorem velis, major portio prima vice adjicienda, ut formis adaptari possit. Parant etiam coqui nostri jusculum, Sagu æmulum, coquendo passulas, cinnamomum &c. in aqua pura, quibus rebus, postquam cuncta satis cocta sunt, adjiciunt farinæ Solani q. s. ad justam consistentiam, posteaque addunt novam portionem farinæ, quæ granis Sagu respondeat, quo facto ollam ab igne removent, jusculumque tandem inferunt, addito vino rubro. Ceterum amylum Solani juri etiam carnium addunt, unde magis gelatinosum, satis tamen limpidum, fit. Pultes pulmentaque, ex hoc amylo cum lacte cocta, sapida fiunt. Præterea adornant placentas sapidissimas ex amylo solani, farinæ tritici immixto, parca tamen dosi, ne fermentatio necessaria supprimatur. Possunt etiam præparari placentæ sapidæ ex solis tuberibus Solani, absque farina tritici;

 cu-

cujus generis formulam ſequentem communicat cl. PARMENTIER: Recipiantur Tubera Solani, ſub cineribus aſſata, q. v.; decorticata contundantur in pulpam. ℞. hujus pulpæ libr. 1, cui addantur vitelli ov. 8, ſacchari unc. 4, quæ omnia agitando bene miſceantur; deinde iterum addantur flavedo & ſuccus mali citrei unius, iterumque agitando bene commiſceantur. Tum agitentur albumina ovorum 8 in ſpumam, adjiciunturque paſtæ, quo facto hæc paſta mollis mox mittatur in ollam, butyro illinitam, & ſic coquatur, ſuperimpoſita lamina cum igne. Sæpius deguſtavi hanc placentam, absque aqua, lacte, butyro, ſale & farina paratam, & bonam deprehendi. Alii conſcindunt tubera Solani cocta, in taleolas, illasque deinde parant cum butyro, ſale culinari, pipere, cepa, petroſelino minutiſſime conciſo, pauxilloque farinæ, tandem humectant cum jure carnium, vinoque bono, coquunt & calidas inferunt.

85. SOLANUM Melongena. LINN. *Sp. pl. 266.*
Mala inſana. DODON. *Pempt. 455.*
Melongene. LABAT *Voyag. en Eſpagne, T. 5. p. 165.* *
Trongum hortenſe. RUMPH. *Amb. 5. p. 238. t. 85.*
Nila Barudena. RHEED. *Malab. 10. p. 147. t. 74.*
Culinis MELONGENÆ pomum.
Locus. Aſia, Africa, America. Colitur copioſe in oriente. *Annuum.*

FORMA. rec. Fructus axillares, pedunculati, penduli. *Pomum* ovale ſ. ſubcylindricum, leve, magnitudine circiter ovi anſerini, pulcherrimum, obſcure violaceum ſ. purpureum, læviſſimum, nitidum, apice obtuſum, depreſſiuſculum, macula luteſcente, puncto convexo, umbilici loco; baſi paullulum attenuatum, veſtitum ca-

calyce ſubcarnoſo, ſordide violaceo-virideſcente, adſperſo plurimis pilis ſtellatis & aculeis raris pungentibus; quinquefido, ſæpe trifido: laciniis acutis, erecto-patentibus. *Parencyma* albidum, carnoſum, firmum, polyſpermum: *ſeminibus* plurimis, ſubrotundis, compreſſiuſculis, per ſeries plures longitudinales diſpoſitis.

PROPR. rec. Odor pomi crudi, nuper reſecti, fere pomi Cucumeris; *Sapor* ſubcucumerinus.

VIRTUS

USUS: culinaris.

OBS. 1. In India & Oriente adeo familiares coquis ſunt hi fructus, uti Cucumeres apud nos. In Aleppo menſibus autumnalibus primarius fere cibus eſt incolarum; ALEX. RUSSEL. (*). Immaturi ſumi ſolent. Parantur hæc poma vario modo. Scinduntur primum in duo fruſta longitudinalia, deinde coquuntur in aqua pura, usquedum molleſcant; tum eximuntur ex aqua, & bene comprimuntur, ut ſuccus amaricans rite defluat; poſtea caro pomi exſecatur, & conſcinditur una cum petroſelino & pane triticeo, in aqua pura emollito, ſalis pauxillo, & olei olivarum q. ſ. ut fiat paſta, qua poſtea adimpletur cruſta pomi, a carne exſciſſa vacua; poſtremo in ſartagine coquitur, adaptato moderato igne, tam ſupra quam infra, & deinceps infertur. Aliter paratur aſſatione; ſc. poma primum diſſecantur per medium, deinde inciſuræ fiunt in carne longitudinaliter & transverſaliter, quæ ſale perfricantur; poſt ſemihoram bene exprimitur ſuccus pomi amarus; tandem inciſuræ adimplentur pane raſo, petroſelino, pipere, oleo olivarum, q. ſ., & aſſantur ad lenem ignem ſupra craticulam, menſæque poſtremo imponuntur. Coquuntur etiam cum carne, uti radices Napi, & gra-

(*) *Nat. hiſt. of Aleppo*, p. 25.

grata sunt, nec flatulenta. Sæpe duntaxat cum vino & saccharo coquuntur, sapidaque evadunt, salutaria, & facilis digestionis. Spect. PALM, e Smirna redux, semina ad nos attulit, quæ, sata & prout clima tulit culta poma protulerunt, quæ in escam adhibita bona deprehendi. Si cruda eduntur, fatua & indigesta sunt, etiamsi sale & pipere condiantur, vel oleo & aceto commisceantur. Non deterreat præjudicium generis plantæ luridæ, namque fida experientia plus valet, quam omnis theoria.

OBS. 2. Semina seri debent loco pingvi, substrato fimo, uti Cucumeres. Frigoris maxime impatientes sunt teneræ plantæ, & ut poma apud nos ferant, campanæ vitreæ illis superimponendæ. Maxima, quæ hic vidi, poma magnitudine ovi anserini fuerunt; in calidis vero regionibus admodum increscunt. Sic in insula Mauritii s. Isle de France libram integram pondere æquant, & maxime multiplicantur (*).

86. SOLANUM nigrum. LINN. *Sp. pl.* 266. *Mat. med.* 94.

Solanum officinarum. ZANNICH. *Venez. t.* 267.

Solanum hortense. DODON. *Pemptad. p.* 450. *t.* 451. LOBEL. *Histor.* 133. BLACKW. *Herbal t.* 107.

Pharm. *SOLANI* Herba.

Locus. Europa, in hortis & cultis. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix alba, fusiformi-cylindrica, ramosa, fibrosa. *Caulis* erectus, pedalis, teres, viridis, nodosus, inter nodos angulatus: angulis 2 scabridis, oppositis, a singulo pedunculo ad proximum decurrentibus; undique ramosus: ramis alternis, e nodis exeuntibus, erectis. *Folia* ad nodos, infra ramos, pariter alterna, petio-

(*) *Voyage à l'Isle de France, par un Officier du Roi, t. 1. p.* 215.

petiolata, ovata, acuta, angulata, ſubcarnoſa, utrinque glabra, margine minutim ciliata, bipollicaria vel ultra, pro ingenio ſoli, patentia. *Petioli* ſemiteretes, ſupra biangulati. *Umbellæ* laterales, ex ipſo caule & ramis infra folia, ſed latere oppoſito, enatæ, pedunculatæ, minutim pubeſcentes, ſimplices, cernuæ, nudæ, ſubſexfloræ. *CAL. Perianth.* monophyllum, minutim pubeſcens, 5-fidum, obtuſum, erectum. *COROLLA* infundibuliformis. *Tubus* brevis, viridi-luteſcens, longitudine calycis. *Limbus* albus, 5-partitus: laciniis ovato-oblongis, acutis, margine minutiſſime ciliatis, patentibus, tubo triplo longioribus. *STAM. Filam.* 5, breviuſcula, erecta, villoſa, ori tubi inſerta. *Anth.* lineares, obtuſæ, erectæ, ſubconvergentes. *PISTILL. Germen* globoſum, ſuperum, viride, glabrum. *Stylus* ſubulatus, longitudine ſtaminum, inferne villoſus. *Stigma* capitatum, viride.

PROPRIET. rec. herbæ: *Odor* fœtidus; *Sapor* herbaceus, ſubfatuus. *Maſticata* folia tenera, ſaliva viridi.

VIRTUS: anodyna, repellens, pellens.

USUS.

OBS. Egregia experimenta cum Solano nigro inſtituit cl. THOM. GATAKER (*), incipiendo a grano 1, hora veſpertina dato, ſenſim adſcendendo ad grana plura. Vim hujus plantæ expertus eſt auctor adverſus ulcera impura, pertinaces dolores, cutis eroſiones, hydropem. Agit vi ſua narcotica, ſudorem & urinam movet, ac ſæpe alvum ducit; ſed largiori doſi exhibita, vomitum ſæpe excitat, capitis dolorem, vertiginem, viſus

(*) *Obſerv. on the internal uſe of the Solanum or Nightſhade.* Lond. 1757.

ſus obnubilationem. Folia contuſa, per triduum applicata, certo remedio ſunt *Bulæ* morbo Arabum, ut docet PETR. FORSKÅL (*), qui conſiſtit in vulnere corrodente ſine dolore, quo levato reſtat cicatrix, quaſi ex variolis.

87. CAPSICUM annuum. LINN. *Sp. pl. 270. Mat. med. 96.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 11.*
Capſicum. CLUS. *Exot. p. 340. f. 340.*
Vallia-capo-molago. RHEED. *Malab. 2. t. 35.*
Capſicum Actuarii, ſ. Piper indicum longioribus ſiliquis. LOBEL. *Icon. 316. Hiſt. 172.*
Capſicum oblongioribus ſiliquis. DOD. *Pempt. 704.*
Piper indicum. BLACKW. *Herb. t. 129.* MERIAN. *Surin. p. 55. t. 55.*
Quiya Braſilienſibus. PIS. *Braſ. 225.*
Chili Piper ſiliquoſum, mexicanum. HERNAND. *Mex. 135.*
Pharm. PIPERIS INDICI Fructus.
Locus. America meridionalis. *Annuum.* Colitur copioſiſſime in Peruvia.

FORMA. rec. Capſula conica, incurvata, ſubdigitalis, ſubcarnoſa, glabra, rubra, nitidiuſcula, baſi fulcita calyce brevi, urceolato, viridi, quinquedentato; ſubbilocularis: diſſepimento abrupto; referta *ſeminibus* ſubrotundis, acutiuſculis, utrinque compreſſis, albidis.

PROPR. rec. Odor narcoticus; recenter reſecti fructus fortis, fere Tabaci. *Sapor* acerrimus, igneus, fauces excandens; *maſticatus* fructus valde calefacit & pungit in ore & faucibus, haud ſecus ac innumeri acuum mucrones, ſapore Piperis

(*) *Deſcr. plant. c. 2. p. 46.*

peris nigri, diu inhærente, intolerabili. *Siccat.* paullo mitior, perquam tamen acris. Fructus ſiccus, pulveratus & naribus tractus, ſtimulat in naſo & faucibus, fortius quam Tabacum, tusſimque & ſternutationem vehementem excitat. In igne fumat: fumo ſternutationem pariter ac tuſſim excitante.

VIRTUS: pungens, incidens, ſtomachica.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum rubeſcens, ſpiſſiuſculum, perquam acre, guſtatum acrimonia ſua fauces calefacit, pungit & Piper ſapit; vitriolo martis injecto colorem retinet, & concreſcit in gelatinam rubeſcentem, ſubdiaphanam, duriuſculam; quod etiam accidit ex affuſo alcohole vini. Fructus Capſici, quando in Spiritu vini maceratur, pungentem ſuam qualitatem cum illo quoque communicat; menſtruo proinde tam aquoſo quam ſpirituoſo extrahitur; ſed alembicum non tranſcendit id quod pungens eſt, quando tinctura ſpirituoſa deſtillatur.

OBS. 2. Capſicum annuum colitur in valle Aricæ Peruviæ, tam copioſe, ut incolæ, ex ſola hac valle, quæ ſex milliaria gallica non excedit, Capſicum, quod *Agi* vel *Piment* vocant, pro 80000 aureis quotannis vendant. Incolæ Peruviæ ita Capſico delectantur, ut eo carere non poſſint in ſuis embammatibus, quamvis adeo acre ſit, ut inſvetus vel a ſolo ejusdem guſtu abhorreat; FREZIER (*). Idem valet etiam de incolis Carthagenæ; ANT. DE ULLOA (**). In Quito fructum Capſici crudum comedunt, cum ſale culinari, idque ſat copioſe; ULLOA (***).

OBS. 3.

(*) *Voyage de la mer du Sud*, *T. 1. p. 262.*
(**) *Voyage de l'Amerique meridionale*, *part. 1. p. 151.*
(***) *l. c. p. 350.*

OBS. 3. Semina Capſici in febribus intermittentibus protractis & repullulantibus cum ſucceſſu ſæpius præſcripſi, & quidem formula ſequenti: Rc. Semin. Piper. ind. gr. 6. Bacc. Lauri ſcr. 2. Mr. f. pulvis, dividendus in tres partes æquales; quarum prima portio ſumenda incipiente primo rigore; ſecunda poſtridie eadem hora; tertia vero tertio die. Sæpiſſime vidi febres intermittentes protractas hocce pulvere curatas, plerumque ſine relapſu.

88. STRYCHNOS (*Nux Vomica*) foliis ovatis obtuſis quinquenerviis: nervis evaneſcentibus.

Strychnos Nux vomica. LINN. *Sp. pl.* 271. *Mat. med.* 77.

Nux vomica in officinis. BLACKW. *Herb. t.* 395. RAJ. *Hiſt.* 1814.

Caniram. RHEED. *Malab.* 1. *p.* 67. *t.* 37.

Pharm. VOMICA Nux.

Locus. Malabaria, Ceylona. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Semina orbiculata, utrinque compreſſa, umbilicata, tomentoſa: villo molli adpreſſo; pollicaria, cinerea; *parencymate* bipartibili, cotyledonibus ſubcorneis.

PROPRIET. Odor nullus. *Sapor* intenſius amarus; ſemina *maſticata* cartilaginea.

VIRTUS: tonica, venenata, narcotica, vertiginoſa, pandiculationes convulſivas ſæpe vehementiſſimas excitans, nimia doſi deleteria: tremoribus, epilepſia.

USUS. Dyſenteria.

OBS. 1. Tritu & contuſu contumax, hinc difficillimè pulveratur. *Extracti* aquoſi dimidiam ponderis nucis partem largitur; ſpirituoſi vero, tres ſedecim partes. NEUMANN.

OBS. 2.

OBS. 2. Toti potiſſimum Canis generi ſumme deleteria eſt Nux vomica, unde ea uti venatores ſolent ad interimendum Lupos & Vulpes; etenim ſub parca doſi, ſæpe ad pauca duntaxat grana, illis letalis eſt, ut obſervavit P. (*). Deglutita hæc nux intra ſemihoram vires narcoticas exſerit, ſæpe deleterias, tametſi in ventriculo vix ſolvitur, quod ſectiones cadaverum demonſtrarunt. Itaque in nervos potenter agit. Fibras quoque muſculares valide roborat amaro ſuo. Hominibus non æque pernicioſa ac feris, quare etiam ægris eam exhibuere Medici, doſi gr. 5 ad gr. 10, ſemel vel bis de die. Cl. J. O. Hagström (**) nucem vomicam ut ſpecificam in dyſenteria commendat, ſcrup. 1. quovis mane dato. Periculum ejus feci ego in nonnullis dyſentericis; & quidem omnes evacuationes ſuppreſſit per 12 horas, ſed poſtmodum recruduit morbus. Inter hos ægros fœmina fuit 32 annorum, quæ ſcrup. 1 ſumſit mane & veſperi per biduum; ipſi inceſſerunt, poſt ſingulum pulverem, pandiculationes ſumme convulſivæ, cum vertigine, omnibus evacuationibus ſuppreſſis, neque vomuit, nec a morbo curata fuit; ſed rediere ſymptomata dyſenterica poſt relictam nucem, quare aliis remediis curanda erat; hæc dolorem ventriculi & regionis epigaſtricæ per longum dein tempus ſenſit. Ut anodynum atque roborans dari tamen poteſt nux vomica dyſentericis, idque cum ſucceſſu, doſi refracta, ſub fine morbi, poſtquam emetica antimonialia debitaque laxantia rite præceſſerunt. In Ceylona Nux vomica, ut ſpecificum contra morſum Colubri Najæ, propinatur, & quidem interne ſumta, ut narrat Le Grand (***).

K 89. STRYCH-

(*) *Stralſundiſches Magazin, t. 1 p. 52.*
(**) *K. Vetenſk. Acad. handl. vol. 34. p. 301.*
(***) In notis ad J. Ribeyro *Hiſtoire de l'iſle de Ceylan, p. 154.*

89. STRYCHNOS (*Ignatii*) foliis ovatis acutis quinquenerviis: nervis continuatis, fructibus maximis.

Igasur seu Nux vomica legitima Serapionis. CAMELL. *Philos. transact. vol. 21. n. 250. p. 88. t. 1. f. 4. 5. 6.*

Cucurbitifera Malabathri foliis scandens, Catolongay & Contarà Philippinis orientalibus dicta. PLUKEN. *Mantiss.* 60.

Pharm. SANCTI IGNATII Faba.

Locus. Insulæ Philippinæ. *Arbor.*

DESCR. & FORMA. Caulis fruticosus, crassitie brachii, altissimas arbores scandens, cortice scabro, crasso, cinereo. *Folia* opposita, brevius petiolata, ovata, acuta, ampla, quinquenervea, venulosa, sapore amaro. *Flores* majusculi. *Fructus* ovalis, dodrantalis, Melone major, testa lapidescente, obductus epidermide lævi, splendente, viridescente, pulpa carnosa, flava, amaricante, molli; unilocularis, includens *semina* plurima, sæpe viginti, *recentia* magnitudine nucis juglandis, inæqualia, polymorpha, argentea lanugine splendentia, (CAMELLI): *siccata* vix nuce Avellana majora, subtrigona, durissima, subcornea, albido-glauca.

PROPRIET. Odor nullus. *Sapor* amarissimus.

VIRTUS: tonica, narcotica, subemetica, anthelminthica, emmenagoga, nimia dosi, sc. scrup. 1 vel ultra, vertiginosa, tremorem totius corporis & motus convulsivos excitans, sæpe sudores frigidos, animi deliquium.

USUS. Tertiana.

OBS. Dosis gr. 5 ad 10. Raro in substantia exhibetur, sed communiter in infuso aquoso. *Extracti* aquosi

quosi dimidium radicis ponderis accepit NEUMANN; spirituosi vero $\frac{5}{24}$ partes ponderis radicis.

90. STRYCHNOS (*colubrina*) foliis conjugatis ovatis trinerviis, cirrhis simplicibus.
Strychnos colubrina. LINN. *Sp. pl.* 271. *Mat. med.* 78.
Modira-Caniram. RHEED. *Malab.* 8. *p.* 47. *t.* 24.
Pharm. COLUBRINUM Lignum.
Locus. Malabaria. *Arbor.*

FORMA. sicc. Lignum leviusculum, molliusculum, pallide cinereum, excisum e ramis s. truncis arboris, teretibus, crassitie pollicari vel bipollicari; obductum cortice cinereo, verrucis s. nodulis sparsis adspersо. Lignum transversaliter sectum disco æquali, undique pertuso punctis excavatis, subapproximatis.

PROPR. pulv. ligni: *Odor* nullus; *sapor* debilius amaricans, subacutus.

VIRTUS.

USUS.

OBS. 1. Decoctum pulverati ligni rubrum, odore nullo, sapore debiliter amaricante & acriusculo; vitriolo martis vix fuscescit, sed coagulatur.

OBS. 2. Hoc lignum in officinis nostris adeo incognitum, ut non satis bene sciam, num verum fuerit, quod descripsi. Habui tamen hoc specimen ex insula Manilla, a Pharmacopola, ibi degente, cl. C. H. WÅNMAN donatum, sub nomine *Ligni colubrini s. Palo contra veneno.*

OBS. 3. Ex propria experientia nihil de vi hujus ligni medica statuere possum.

91. CORDIA Sebeſtena. LINN. *Sp. pl. 274. Mat. med. 171.*

Sebeſtena ſcabra, flore miniato criſpo. DILLEN. *Hort. Eltham. p. 340. t. 255. f. 331.*

Novella nigra. RUMPH. *Amb. 2. p. 226. t. 75.*

Pharm. SEBESTEN Fructus.

Locus. India utraque. *Arbor.*

FORMA. Drupa ovata, utrinque acuta, magnitudine Pruni minoris, fuſca, baſi fulcita *calyce* orbiculato, concaviuſculo, coriaceo, rugoſo, cinereo, repando. *Nux* majuſcula, ovata, utrinque obtuſa, compreſſiuſcula, obſolete tetragona: angulis oppoſitis majoribus, acute marginatis; bilocularis. *Parencyma*, ſ. *Pulpa* mollis, fuſcum.

PROPRIET. Odor nullus. *Sapor* dulceſcens, viſcoſus.

VIRTUS: rec. nutriens; *ſicc.* edulcorans, obtundens, pectoralis, eccoprotica doſi unciæ 1 vel 2.

USUS. Tuſſis.

OBS. *Gluten* alexandrinum ex hoc fructu parari, adeo tenax, ut aviculæ eodem capiantur, docet TRAGUS.

92. RHAMNUS catharticus. LINN. *Sp. pl. 279. Mat. med. 72.* BLACKW. *Herb. t. 135.* ZANNICHELL. *Venez. t. 299.* DUHAM. *Arbr. 2. p. 214. t. 50.* BAUH. *Hiſt. 1. p. 55.*

Rhamnus ſolutivus. DOD. *Pempt. 744.*

Pharm. SPINÆ CERVINÆ Baccæ.

Locus. Europa, in nemoribus. *Arbor.*

FORMA. rec. Baccæ immaturæ virides; maturæ magnitudine ſeminis Piſi, ſubrotundæ, apice depreſſiuſculæ, puncto elevato, loco umbilici,

ci, undique læves, nitidæ, nigricantes; *parencymate* viridi, pulposo-succoso, tetraspermo. Utut pulpa ipsa viridis, cortex tamen baccæ latere interiore obducitur succosa substantia, velut in baccis Ribium nigrorum, violaceo tingente. *Semina* ovata, obtusa, dorso convexa, antice carinata, hinc subtrigona, fusca, læviuscula.

PROPRIET. recent. baccarum Odor Padi. *Sapor* primum dulcescenti-nauseosus, odori congruens, dein substypticus. *Masticatæ* salivam viridi-purpurascente tingunt. *Seminum* sapor amaricans; *masticata* salivam lutescenti colore inficiunt.

VIRTUS: purgans, dosi drachmæ 1 vel 2; tinctoria.

USUS.

OBS. 1. *Infusum* aquosum baccarum rec. violaceo-purpurascens, e mucilagine præcipitata turbidum, odore & sapore baccarum; ex Spiritu Vitrioli rubrum fit; ex Spirit. Nitri paullo obscurius rubrum; ex Solut. Aluminis obscure violaceum; ex. Ol. Tartari p. d. ferrugineum; ex Vitriolo martis nigrum.

OBS. 2. Baccæ recentes maturæ, cum alumine coctæ, tingunt viridi colore, præsertim si tinctum sapone lavetur; cum Tartaro coctæ tingunt rubro; cum lixivio ciner. betulin. tingunt luteo. Si succus baccarum maturarum, absque prævia depuratione, ad mellis consistentiam caute inspissetur, & addito pauxillo aluminis, in aqua soluti, vesicæ immittatur, quæ loco calido suspendatur ad siccandum; sique ulterius tota massa in aqua solvatur, & tum coletur, tincturaque evaporetur, obtinebitur color ille viridis, usitatissimus sub nomine *verd-de-vessie*, Germ. *Saftgrün;* DUHAMEL; GEOFFROY. Loco aluminis, quidam hunc colorem parant cum aqua calcis, addendo hujus aquæ

 libr.

libr. 8 ad ſucci baccar. expreſſi libras 12, & Gummi Arab. unc. 6, quam miſcelam deinde in conſiſtentiam extracti evaporant & ſiccant. BAUMÉ.

OBS. 3. Baccæ in hydrope, arthritide, aliisque morbis chronicis a Medicis commendantur; ſed quoniam nimis nauſeoſæ ſunt, præfertur Syrupus ex illis paratus, qui tamen tarde purgat.

93. RHAMNUS Frangula. LINN. *Sp. pl. 280. Mat. med. 73.* KNIPH. *Bot. or. cent. 5.* OEDER *Icon. t. 278.* GUNN. *Flor. norv. 15.* *

Frangula. DOD. *Pempt.* 772. DUHAM. *Arbr. 1. p. 245. t. 100.* CAMER. *Epit. 978.* BLACKW. *Herb. t. 172.*

Pharm. FRANGULÆ Cortex.

Locus. Europa borealis, in nemoribus, locis depreſſis. *Arbor.*

FORMA. Cortex tenax, vimineus, epidermide olivaceo-cineraſcente, interne luteſcens.

PROPRIET. Odor nullus. *Sapor rec.* nauſeoſus; *ſiccat.* ſubamaricans.

VIRTUS: recent. purgans doſi drachm. 1-2, ſubemetica, tinctoria; *ſiccat.* mitior.

USUS. Hydrops.

OBS. Infuſum aquoſum cort. ſicc. rubro-kermeſinum, nauſeoſum; adjecto vitriolo martis nigreſcit.

94. RHAMNUS infectorius. LINN. *Mantiſſ. 1. p. 49.*

Rhamnus catharticus minor. DUHAM. *Arb. 2. p. 214. t. 51.*

Lycium gallicum. BAUH. *Hiſt. 1. part. 2. p. 58.* *.

Spina infectoria pumila 1. CLUS. *Hiſt. 1. p. 111.*

Lycium. LEMERY *Drogu. p. 453.* *.

Pharm.

Pharm. *GRANA AVENIONENSIA.*

Locus. Europa australis. *Frutex.*

FORMA. *Baccæ* subrotundæ, obtusæ, magnitudine Piperis, glabriusculæ, apice hilo umbilicatæ, sulco utrinque longitudinali subdidymæ, sæpe subtrigonæ, bi-vel triloculares, communiter dispermæ: *seminibus* majusculis ovatis, hinc convexis, inde planis, conniventibus.

PROPRIET. *sicc.* *Odor* vix ullus. *Sapor* amaricans, nauseosus.

VIRTUS: purgans, tinctoria.

USUS.

OBS. 1. *Infusum* aquosum saturatum rubro-aurantium; cum vitriolo martis nigrescit.

OBS. 2. Baccæ hæ, sub nomine *Graine d'Avignon* notæ, arti tinctoriæ magis inserviunt, quam medicinæ. Immaturæ colorem luteum dant. Tinctura baccarum, cum basi aluminis trita, format colorem vulgo *Stil-de-Grain* dictum; DUHAMEL.

95. RHAMNUS Zizyphus. LINN. *Sp. pl.* 282. *Mat. med.* 74.

Zizyphus. DUHAM. *Arb.* 2. *p.* 378. *t.* 111. DOD. *Pempt.* 794. *t.* 795.

Zizyphus Cappadocica. DALECH. *Hist.* 1. *p.* 111. *f.* 111.

Pharm. *JUJUBÆ* Baccæ.

Locus. Europa australis. *Arbor.*

FORMA. *Drupa* ovalis, utrinque obtusa, magnitudine fructum Olivæ fere excedens, rubra. *Nux* ovali-turbinata, utrinque acuta, rugosa, bilocularis. *Parencyma* drupæ: Pulpa mollis, alba; spongiosa in siccata.

PROPRIET. *Odor* nullus. *Sapor* dulcis, subviscosus.

VIRTUS: *rec.* nutriens; *ſicc.* edulcorans, pectoralis.

USUS. Tuſſis.

96. RIBES rubrum. LINN. *Sp. pl.* 290. *Mat. med.* 99. KNIPH. *Bot. or. cent.* 2.

Groſſularia multiplici acino, ſive non ſpinoſa hortenſis rubra, ſive Ribes officinarum. DUHAM. *Arbr.* 1. *p.* 279. *t.* 110.

Groſſularia hortenſis majore fructu rubro. DUHAM. *Fruit.* 1. *p.* 266. *t.* 1.

Groſſularia hortenſis non ſpinoſa. MERIAN. *Eruc. ort. p.* 6. *t.* 15. 38.

Ribes. BLACKW. *Herb. t.* 285.

Ribeſium fructu rubro. DOD. *Pempt.* 737.

Pharm. & *Culinis RIBIUM RUBRORUM* Baccæ, Baccæ conditæ, Rob, Gelatina.

Locus. Svecia borealis, Norvegia, Sibiria, Colitur ubique in hortis. *Frutex.* Propagatur ramis exciſis.

FORMA. *rec.* *Racemi* laterales in apice ramulorum annotinorum, ſubdigitales, ſimplices, e ſingula gemma ſolitarii, penduli. *Bracteæ* ſolitariæ, obovatæ, obtuſæ, concavæ, ſubrevolutæ, pedicello triplo breviores. *Baccæ* globoſæ, magnitudine ſeminis Piſi, rubræ, glabræ, nitentes, apice umbilicatæ: umbilico emarcido, convexo, nato e calyce marceſcente & contracto; uniloculares; *parencymate* ſuccoſo, polyſpermo. *Semina* intra pulpam baccæ, pedicellata, altera receptaculi extremitate ſingula affixa, ovata, obtuſa, arillata: arillo membranaceo, diaphano, turgido ſucco aqueo, limpidiſſimo, intenſius ſtyptico, a vitriolo martis ſubito nigreſcente.

PRO-

PROPRIET. rec. Odor vix ullus. *Sapor* ſubvinoſus, dulceſcenti-acidus.

VIRTUS: refrigerans.

USUS. Æſtus omnis febrilis.

OBS. 1. *Succum* expreſſum large fundunt baccæ maturæ, rubrum, opacum, aqua longe ſpiſſiorem, ſapore dulceſcenti-acido, ſubvinoſo, ſubmucilaginoſo, loco calidiuſculo in quiete collocatum, absque ulla additione, ſpiſſeſcentem in gelatinam mollem, conſiſtentia pultis. Chartæ illinitus ſuccus tingit colore dilute rubro; vitriolo martis non fuſceſcit. Succus hic *colatus* fit clarus, ruber, plurimo mucilaginis rubicundi, ſpiſſi inſtar rob cujusdam, in filtro remanente. Hic ſuccus, colatus cum alcali fixo, fortius fermentat, & ſalis tartari ſcrup. 1 & gr. 7, ad plenariam ſaturationem, requirunt ſucci colati drachm. 13 ß, quæ *mixtura ſalina* colore eſt ſordide rubro, debiliter odorata, & poſtquam per 10 horas loco calidiuſculo ſtetit, in gelatinam vertitur. Baccar. Rib. rubr. uncia 1 expreſſione dedit Succi drachm. 6.

OBS. 2. *Gelatina* Ribium rubrorum absque coctione parari debet, e Succi recent. q. ſ., cui addatur Sacchari albiſſ. anatica portio, ſubſequente continua agitatione per horas 3, ſed æquali lentaque, poſtea quiete per dies tres, unde ſponte gelatineſcit. Servari debet in vaſis vitreis probe obturatis, loco frigidiuſculo. *Rob* vero eſt ſuccus, ignis ope in mellaginem inſpiſſatus. *Syrupum* Ribium rubrorum parant quidam ſequenti modo. Succus expreſſus vaſi porcellano vel vitreo immittatur, tecto charta, plurimis acu pertuſa foraminulis, ut aër accedat, muſcæ vero arceantur. Loco calidiuſculo, ſoli expoſito, collocetur hoc vas, per 15 dies, vel quoad ſuccus bene fermentaverit; tum cochlearis ope bene ſeparanda cruſta ſupernatans, ſub fermentatione generata. Succus dein ollæ cupreæ bene

ne politæ immittatur, addito ſaccharo, proportione fere dupla, h. e. ſacchari ſeptem octo partes ad ſucci partes quatuor. Tum ebullitio ſucci acceleranda, qua peracta, olla ſtatim ab igne removenda, ſyrupus effundendus, inque lagunculis vitreis excipiendus, & ſic ſervandus. Hic ſyrupus, utut admodum acidus, gratiſſimus tamen eſt, ſaporem ſucci retinet, & amplius non fermenteſcit.

OBS. 3. Si baccar. probe maturarum libræ 70 pond. civil. contundantur, addito ſacchari non depurati libr. 10 & aquæ frigidæ q. ſ., probeque exprimantur, fermentatione debita ſubſequente in doliolo menſur. cong. 15, naſcitur *Vinum*, pulcherrimo colore kermeſino amœnum, acidulum, ætatem ſuſtinens. Fermentatione ſpirituoſa *Spiritum* ardentem dant hæ baccæ.

97. RIBES nigrum. LINN. *Sp. pl. 291. Mat. med. 100.* KNIPH. *Bot. orig. cent.* 2. OEDER. *Icon. t. 556.*

Groſſularia non ſpinoſa fructu nigro majore. DUHAM. *Fruit. 1. p. 267.*

Ribes fructu nigro. DODON. *Pempt.* 737.

Pharm. RIBIUM NIGRORUM Stipites, Folia tenera, Baccæ, Baccæ conditæ, Rob, Syrupus.

Locus. Svecia, Sibiria, Helvetia, Anglia. *Frutex.* In Finlandia ſuperiore vulgatiſſimus frutex, imprimis ad margines viarum. Colitur in hortis. Propagatur ramis exciſis.

FORMA. rec. Rami alterni, teretes, cinerei, glabriuſculi, atomis nigricantibus undique adſperſi, ramuloſi; *tenelli* virides, minutim pubeſcentes, teretes, notati angulis oppoſitis, obſoletis, e petiolo decurrentibus. *Folia* alterna, bipollicaria, petiolata, ſubcordata, trilobata, utrinque glabra,

glabra, ſupra lineata, dilutius viridia, ſubtus pallidiora, punctis elevatis aureis adſperſa, venuloſa, margine minutim ciliata, undique groſſius ſerrata: ſerraturis puncto calloſo terminatis. *Petioli* teretes, longitudine foliorum, minutim pubeſcentes, ſupra ſulcati, baſi clavati, concaviuſculi, ſuperne notati dentibus 4 ſubulatis, oppoſitis. *Racemi* fructus ſolitarii, pollicares vel ultra, e ramulis annotinis prodeuntes, penduli, minutim pubeſcentes. *Bracteæ* parvæ, obovatæ, minutim ciliatæ, patentes, ad pedicellos ſolitariæ. *Baccæ* globoſæ, magnitudine varia, a magitudine ſeminis Piſi ad fructum Ceraſi minoris, nigræ, nitidæ, ſed punctis aureis ſparſis adſperſæ, apice umbilicatæ: umbilico prominente, villoſo, ſubcylindrico, nato e calyce & corolla ſuperſtite; *parencymate* gelatinoſo-ſucculento, duplici: centrali ſordide citrino, chartam albam vix inficiente; corticali tenuiore, obſcure ſangvineo, chartam colore pulchre violaceo-rubicundo tingente; hinc color baccarum e parencymate exteriore unice dependet. *Semina* plurima, in parencymate extenſa, longius pedicellata, affixa receptaculis 2, lateralibus, oppoſitis, ſolidioribus; ſingula ovali-oblonga, obtuſa, glabra, fuſco-brunnea, arillata: arillo membranaceo, tenuiſſimo, laxo, turgido ſucco aqueo, limpidiſſimo.

PROPR. rec. & *ſicc. Odor* totius fruticis peculiaris, fragrans, odorem Padi haud obſcure referens, baccis non excluſis. *Sapor ſtipit.* rec. ſubauſterus: *foliorum rec.* & *ſicc. odor* fragrans; *ſapor* ſubauſterus; *baccarum rec. odor* debilior; *ſapor* dulceſcenti-acidulus.

VIRTUS: Stipit. & *folior.* mundificans, pellens, diuretica. *Baccar.* refrigerans.

USUS.

USUS. Stipit. & *folior.* Rheumatiſmus. *Bacc.* Angina.

OBS. 1. *Stipites*, hyeme collecti, pariter valde fragrantes ſunt. Recentes ſive ſiccati, conciſi & in aqua pura cocti, *decoctum* dant fuſco-rubrum, odore fere nullo, ſapore debili, ſubamaricante, paullulum auſterum, quod cum vitriolo martis ſubito nigreſcit; ſed *infuſum* aquoſum ſtipitum recent. fragrans evadit, gratum, cum ſapore fragrante, & vitriolo martis vix fuſceſcit. *Foliorum infuſum* aquoſum infuſum Theæ repræſentat, cum vitriolo martis nigro fuſcum.

OBS. 2. *Baccæ* expreſſæ dant *Succum* rubro violaceum, ſpiſſum ut rob tenuius, odore ſubnauſeoſo, ſapore acido, qui cum alcali difficulter accurate ſaturatur, ob ſpiſſitudinem, niſi dilutus. Salis tartari ſcrup. 1 requirit, ad ſaturationem, Succi non diluti circiter unc. 1. Succus Ribium nigrorum *colatus* mora & quiete ſponte ſpiſſeſcebat in gelatinam claram, liquidiorem; cum oleo tart. p. del. pulchre cæruleſcebat; cum ſolut. aluminis conſtabat color; cum vitriolo martis vix fuſceſcebat.

OBS. 3. E baccis recentibus & probe maturis paratur *Aqua* fermentata, ſubvinoſa, coloris purpurei, refrigerans, ſubaromatica. Baccar. a ſtipit. & pedicellis purgatarum libræ 20 doliolo immittuntur, cum affuſis Spiritus vini gallic. libr. 1 vel 2, & aquæ puræ calidæ congiis 12 vel 14, ſub repetita agitatione dolioli; tandem adjiciuntur fermenti e tartaro cereviſiæ cochlearia 2. Poſt efferveſcentiam per octiduum, hocce vaſis vitreis immittitur, quæ bene obturentur. Si quantitas baccarum augeatur, ſc. ſi bacc. libræ 70 ad doliolum menſuræ cong. 15 ſumantur, & loco fermenti addantur Sacchari Thomæi libræ 10, una cum debita quantitate aquæ frigidæ, obtinetur, juſta fermentatione vinoſa ſubſequente, *Vinum* ſaturate purpureo-

ru-

rubrum, spissiusculum, revera bonum. Baccæ, l. a. fermentatæ, *Spiritum* ardentem largiuntur.

OBS. 4. In Sibiria, inter Tobolsk & Tomsk, baccæ Ribium nigrorum, nuces avellanas magnitudine æquantes, obviæ sunt; C. Fr. von Wreech (*).

OBS. 5. Folia Ribium nigrorum tenella, recentia & citissime in aqua calida infusa, mox siccata, succedanea sunt Theæ Chinensi, & non paucis placent.

98. RIBES Grossularia. Linn. *Sp. pl. 291.* Kniph. *Bot. or. cent. 1.*

Grossularia spinosa sativa. Duham. *Fruit. 1. p. 270. t. 2. f. 1 & 2.*

Uva crispa s. Grossularia. Raj. *Hist. 1484.* * Blackw. *Herb. t. 277.*

Uva crispa. Dodon. *Pempt. 736.*

Culinis GROSSULARIÆ Baccæ immaturæ, maturæ, conditæ.

Locus. Europa; in Helvetia vulgatissimus *Frutex.* Colitur in hortis; propagatur radicibus.

FORMA. rec. Baccæ pedunculatæ, pendulæ, laterales e ramis annotinis ex gemma foliorum, solitariæ, magnitudine Cerasi, quarum majores pondere fere drachmæ 1 sunt, vel ultra, ovali-globosæ, latere interiori nervis longitudinalibus, subramosis, translucentibus; extus glabræ sive hirsutæ: pilis subulatis, rectis, capitulatis; citrinæ, sæpe rubicundæ, pro diversitate varietatum; apice umbilicatæ: umbilico prominente, cylindrico, pubescente, e flore superstite nato; *Parencymate* uniloculari, gelatinoso-succoso, baccæ concolore, polyspermo. *Semina* in parencymate exporrecta, pedunculata, affixa receptaculis 2, lateralibus, op-

(*) *Historie von denen Schwedischen Gefangenen in Russland und Siberien*, p. 174.

oppoſitis; ſingula ovali-oblonga, acutiuſcula, brunnea, glabra, arillata: arillo tenui, membranaceo, laxiuſculo, gibbo, ſucco acido turgido. *Pedunculi* filiformes, baccis fere breviores, pubeſcentes. *Bracteæ* 2, ſupra medium pedunculi ſitæ, a bacca remotiores, parvæ, cuneiformes, pubeſcentes, patentes, oppoſitæ; altera duplo longiore.

PROPR. rec. & matur. baccar. *Odor* debilis; bene maturarum baccarum in baccas Rubi idæi debilius incidens. *Sapor* gratus, dulceſcens, debilius acidulatus, ſubvinoſus; *immatur.* ſapor acidus.

VIRTUS: refrigerans.

USUS. Diæta antifebrilis.

OBS. 1. *Succus* expreſſus baccarum matur. acidulus, ſpiſſus, inſtar mucilaginis, non tamen glutinoſus. Chartam albam vix tingit. Salis tartari ſcrup. 1 requirit, ad ſaturationem, Succi drachm. 13. Sub ſaturatione exſurgit odor fere baccar. Rubi idæi. Bacc. matur. unc. 1 dedit Succi expreſſ. fere unc. ß.

OBS. 2. E baccar. probe maturar. libris 100 & Sacch. non depur. libr. 6, debite contuſ. & cum aqua frigida expreſſis, dolioloque menſur. cong. 15 immisſis, fermentatione vinoſa obtinetur *Vinum* bonum, album, limpidiſſimum, ſubflaveſcens, odore grato, debilius aromatico, ad vinum Champanicum quodammodo accedens. Baccæ fermentatæ pariter *ſpiritum* ardentem dant. E baccar. matur. tonna unica Spiritus ardentis cong. 9 accepit VON AKEN. Baccæ maturæ, caute ſiccatæ in furno, gratum ſaporem acidulum conciliant juſculis, præcipue hordeatis & e Sagu &c. In embammatibus etiam cum ſucceſſu adhibentur, ad piſces, carnes &c. *Gelatina* e Groſſulariis optima fit, ſi ſequenti encheireſi præparetur. Saccharum album coqui

coqui debet in aqua ſimplici, quoad refrigeratione penitus ſolideſcat. Huic ſaccharo, æquali pondere, ſuperaffundatur ſuccus recenter colatus Groſſulariæ, qui ex baccis contuſis, pauxillo aquæ addito, & expreſſis obtinetur. Tum inſequi debent 2 vel 3 breves ebullitiones, namque tenax fieret, ſi ulterius coqueretur. Sic obtinetur Gelatina perſiſtens, ſapida, ſubdiaphana, brunnea. Hæc ſervari debet in vaſis vitreis minoribus, ſuperimpoſita lamella e charta alba, Spiritu vini gallico irrorata, ipſis vaſis alligata charta poſtea obturatis.

69. HEDERA Helix. LINN. *Sp. pl. 292. Mat. med. 98.*

Hedera arborea. DUHAMEL *Arbr. 1. p. 290. t. 115. 116.* BLACKW. *Herb. t. 188.* DODON. *Pempt. 408.*

Corymboſa Hedera. LOBEL. *Hiſt. 336.*

Pharm. HEDERÆ ARBOREÆ Folia, Baccæ, Gummi.

Locus. Europa. *Frutex arboreſcens.*

FORMA. Folia alterna, petiolata, utrinque glabra, firma, venoſa, junioris fruticis quinqueloba: lobis acutis; intermedio productiore; mediæ ætatis fruticis triloba; ſenioris vero cordata ſ. ovata, acuta, integerrima, ſupra lucida, ſubtus pallidiora. *Umbellæ* terminales, ſimplices. *Baccæ* globoſæ, magnitudine ſeminis Piſi, nigricantes, apice ſtellatæ, mucronatæ, ſubquadriloculares. *Semina* angulata. *Gummi:* maſſa *reſinoſa* in glebulis, duriuſcula, uniformis, ſcabra, fuſco-nigricans, inſtar mineræ ferri tophaceæ, fragilis: fracturis ſplendentibus, purpuraſcentibus, granulis diffractis, ſubdiaphanis.

PRO-

PROPRIET. *Folia* nauſeoſa, leniter amaricantia. *Baccæ* recentes acidiuſculæ; ſiccatæ primum *ſapore* reſinoſo, tandem ſubacidæ. *Gummi*, potius *Reſina*, maſticata arenacea, friabilis, ſicca, in ſaliva non ſolubilis. *Sapor* debilis, reſinoſus. *Odor* debilis, ſubfragrans, reſinoſus. In candelæ flamma accenditur, flagrat: flamma albido-luteſcente, fumo graviuſculo, reſinoſo. Candela remota, flammam ſponte ſuſtinet. In oleo expreſſo non ſolvitur, ſed tingit oleum colore luteſcente, & emollitur; nec in oleo ſtillatitio ſolvitur, ſed tingit oleum colore aureo.

VIRTUS: Baccar. purgans; *Reſinæ* vulneraria.

USUS.

OBS. *Infuſum baccarum ſicc.* aquoſum rubro-purpuraſcens, ſubamaricanti nauſeoſum; vitriolo martis leviter purpuraſcit; infuſum *foliorum ſicc.* aquoſ. ſaturate rubicundum, odore & ſapore lixivioſo; vitriolo martis vix mutatur.

100. VITIS vinifera. LINN. *Sp. pl.* 293. *Mater. med.* 97. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 6. DUHAM. *Arb.* 2. *p.* 360. *t.* 106. BLACKW. *Herb. t.* 153. DOD. *Pempt.* 410.

Druiven. CAUSE *Hovenier p.* 64. *t.* 6. MERIAN. *Surin. p.* 34 *t.* 34.

Pharm. VITIS Folia. Paſſulæ majores. Vinum Gallicum album, rubrum, Rhenanum, Hiſpanicum, Portugallicum, Maderenſe. Spiritus vini. Acetum vini. Tartarus.

Locus. Orbis totus temperatus. *Frutex.*

FORMA rec. *Folia* alterna, longius petiolata, plana, ſubpeltata, cordato-ſubrotunda, bi- vel tripollicaria, ſupra viridia, glabra, ſubtus pallidiora, nervoſa, venuloſa, nervis & venulis

pu-

pubescentia, subquinqueloba: lobis rotundatis, inciso-dentatis: dentibus ovatis, acutiusculis; sinubus loborum obtusis. *Cyma* nuda, pendula, ovata, obtusa, pedunculata: pedunculo instructo *cirrho* solitario. *Bracteæ* solitariæ, lineares, obtusiusculæ, concavæ, ad ramos cymæ sitæ. *Pedicelli* baccis fere breviores, teretes, adspersi punctis parvis, callosis, apice margine incrassato. *Baccæ* ovato-globosæ, colore, sapore & magnitudine variantes, subdiaphanæ, baccis uvæ crispæ vix majores, undique glabræ, rore glauco tinctæ, quo abraso nitidiusculæ, apice instructæ puncto parvo, elevato, umbilici loco; *parencymate* mollissimo, pulposo-succoso; post sectionem transversalem æquali, annulo tenui solitario, interrupto, subflexuoso; uniloculari, pentaspermo. *Semina* obcordato-cylindrica, basi emarginata, glabra, receptaculo cylindrico intra baccam insidentia, breviter pedicellata.

PROPR. folior. recent. *Odor* vix ullus. *Sapor* acidulus, herbaceus, substypticus; *masticata* salivam viridi tingunt. *Baccar.* rec. *Odor* nullus. *Sapor* acidulus, humectans. Baccar. recent. unc. 1 dat drachm. 6 Succi expressi tenuis, viridescentis (e baccis viridibus), aciduli. *Passular. Sapor* dulcis, subacidulus.

VIRTUS: folior. leniter adstringens; *Passularum* nutriens, pectoralis, eccoprotica.

USUS: Passularum: culinaris; Tussis.

OBS. 1. *Infus.* folior. rec. aquosum limpidum, odore debili, sapore acidulo; vitriolo martis fuscescit, turbidum evadit, albescit, præcipitatur.

OBS. 2. *Passulæ* s. uvæ maturæ, lege artis siccatæ & præparatæ, semipollicares, fusco-brunneæ, rugosæ, semidiaphanæ, ad tactum læves; *parencymate* di-

 sper-

ſpermo, pulpoſo: pulpa melliginea. Methodum optimam Paſſulas pro bellariis conficiendi tradidit cl. EDV. ANTILL (*); ſcil. uvæ Mallagenſes bene maturæ decerpantur & fervide infundantur (non coquantur) in mixtura, facta ex lixivii alcalini, e cineribus parati & lixivio ſaponario ad dimidium reſpondentis, cong. 4, quibus fervidis, in olla ferrea, ſub ebullitione addantur manipulus unus alterve ſalis culinaris & olei olivar. optimi libr. 1, vel, hujus defectu, butyri recent. libr. 1ß. Hæc omnia probe miſceantur. Dein racemi uvarum in faſces ligentur, & in hac mixtura acervatim infundantur, ut tota ſuperficies mixturæ uvis ſimul occupetur. Poſtea ex olla deſumantur ad ſiccandum, quod fieri debet ſub umbraculo, ex tecto mobili parato, quod tempore diurno & ſereno quotidie amoveatur, repoſitoriis ſtramine ſtratis, quibus faſces uvarum ſimplici ſerie locentur, & compluries vertantur, quoad prorſus ſiccentur; quo facto in amphoras vel ampullas fictiles probe glutinatas immittantur.

OBS. 3. *Vinum* eſt ſuccus baccarum vitis expresſus, & lege artis fermentatus in liquorem ſpirituoſum, dulcem vel acidulum, fragrantem, ſapore, conſiſtentia & dotibus variantem, pro diverſitate climatum, ſolorum, & varietatum vitis viniferæ. Vina probantur odore, ſapore, nitore, colore; *Schol. Salernit.* Vina ſunt exhilarantia, diaphoretica, nimia doſi inebriantia. *Gallicum* rubrum ſubauſterum, ſubadſtringens, tonicum. In aqua dilutum, ex addita ſolutione vitrioli martis purpuraſcit. *Rhenanum* analepticum, ſubrefrigerans, diureticum. *Portugallicum*, *Hiſpanicum* & *Maderenſe* magis ſpirituoſa, calefacientia. *Uſus: Rhenani:* Podagra retropulſa, Debilitas, Exinanitio; *Gallici rubri:* Diarrhoea; *Hiſpanici* & *Maderenſis:* Anorexia.

OBS. 4. *Spiritus vini* eſt liquor fluidiſſimus, limpidisſimus, leviſſimus, volatilis, e fermentatione ſpirituoſa enatus,

---

(*) *American Philoſophical Tranact. vol. 1. p. 194. ſeq.*

tus, destillatione per alembicum exceptus, inflammabilis, combustibilis absque fumo, fuligine, carbone. Igni admotus accenditur, flagrat: flamma parum luminosa, cujus centrum albidum, peripheria vero cærulea. Sub accensione vapores exhalat aquæ simplicissimæ. Miscetur perfectissime cum aqua. Acida omnia liquida dulcificat. Digestus cum acidis fortioribus, resolvitur primum in æthera, tandem in oleum. A salibus alcalinis caussticis sub digestione coloratur. Solvit olea essentialia & resinas, sed non olea expressa, sebum, axungias. Solutio resinarum cum aqua pura præcipitatur. Coagulat sangvinis serum, lympham, salivam; roborat solida, vasorum lumina restringit; hinc contra hæmorrhagias valet, hinc sudore diffluentibus sæpe cordialis. In nervos agit sopiendo, inebriando, uti narcotica, sed insimul calefaciendo, siccando, velut aromata. Ex abusu spirituosorum nervi relaxati, sensus hebetes, solida inertia, viscera obstructa; unde tremor, hebetudo, cachexia, hydrops. *Virtus:* calefaciens, inebrians, resolvens; alcoholisati restringens, vulneraria, antiputredinosa. *Usus.* Gangræna, ambusta. Si pars quædam corporis, recenter ambusta, Spiritu vini mox illinatur, acerba sequela plerumque præcavetur, & cutis in vesicam non elevatur. Spiritus vini gallicus constat ex 56 partibus spiritus, & 44 partibus aquæ.

OBS. 5. *Acetum* vini est liquor acidissimus, fermentationis acescentis ope a vinis enatus, a decompositione principii spirituosi ortus, subspirituosus, fragrans, per alembicum adscendens, congelatione concentratus acerrimus. In crystallos acetum non abit, nisi summe concentratum, ut quod ex ærugine elicitur. Cum salibus alcalinis effervescit, & salia media format, in spiritu vini solubilia. Terras calcareas omnes cum effervescentia solvit. Adulteratur sæpe acido vitrioli, sed fraus facile detegitur, si addatur aceto vini solutio ter-

ræ calcareæ, quæ opalescit, si acidum vitrioli immixtum fuit, terrâ, ex acido vitrioli saturata, in gypsum abeunte, & præcipitata. Pleraque metalla ignobiliora & semimetalla sine strepitu solvit. Syrupum violarum rubro colore tingit. Lac animalium phytophagorum coagulat, sed non carnivororum, neque humanum, nisi diæta prorsus vegetabili nutrita fuerit mulier. *Virtus:* refrigerans, resolvens, antiputredinosa, alexiteria, antibiliosa, antiphlogistica, digestiva, antiscorbutica, diaphoretica. *Usus.* Febres putridæ, Pleuritis, Inflammatio, Mania, Narcotica ingesta, Animi deliquium, Synanche strangulatoria. De Aceti vini egregiis virtutibus medicis bene disseruit Jos. BENVENUTI (*). De felici effectu aceti in mania, larga dosi propinati, observationes pulchras tradidit cl. LOCHER (**). In Synanche strangulatoria, quæ sæpe apud nos epidemica fuit, cum successu vaporem frigidum aceti gallici adhibui, eo modo, ut acetum exceperim linteis, quæ prope lectum ægroti extendenda curaveram; sic tota camera repleta fuit vapore aceti. Insimul vesicatorium applicui asperæ arteriæ, purgantiaque antiphlogistica propinavi. Sangvinem mitti feci, venæsectione vel hirudinibus applicatis. Emulsiones oleosas delibare etiam jussi ægrotos. In initio morbi nunquam fefellit hæc methodus; sed posteaquam tubus in aspera arteria dudum formatus est, atque solidatus, medelæ vix locus.

OBS. 6. *Tartarus* est sal essentiale vini, a vino perfecto crystallisatione depositum, heterogeneum, lapideum, rubrum vel cinereum, sapore acidum, ponderosum, particulis micans. Decoctione in aqua pura, salina pars solvitur, unde crystalli s. cremor tartari. In igne calcinatus, abit in Sal Tartari, alcalinum, fixum. Destillatione e retorta præbet spiritum acidulum, & oleum fœtidum. *OBS.*

(*) *Nov. Act. phys. med. Ac.* N. C. *v.* 2. *p.* 132. *seq.*
(**) *Observ. pract. p.* 68. *seq.*

OBS. 7. *Cremor Tartari* eſt ſalina pars Tartari, imperfecte neutra, conſtans ex alcali vegetabili fixo, cum ſale eſſentiali Tartari ſuperſaturato, albiſſima, cryſtalliſata: cryſtallis lamellatis: lamellis quadrangularibus ſive rhombeis, ſæpe etiam quadrangulato-oblongis, utrinque acutiuſculis, ſupra & ſubtus planis, margine ſupero undique convexiuſculo & in varia parva formato plana, unde cryſtalli multiplici fronte in margine circumcirca rutilant, efformati inſtar adamantis. Solvitur parum in aqua frigida, adeo ut ad gr. 3 ſolvenda opus ſit aquæ frig. unc. circiter 1; at perfectius in calida, cujus unciæ 20 ſolvunt crem. tart. unc. 1; ſed refrigerando ſub forma cryſtallina ſubſidit, vel aquæ innatat. Admixta Boracis quinta parte, valde ſolubilis fit, fere ut Saccharum, ſalva aciditate inſigni. Cremor Tartari in ignis flamma vel carbone candente nigreſcit & ſpargit odorem. *Virtus:* laxans, refrigerans, antiphlogiſtica, aperiens, antibilioſa, digeſtiva, diuretica. *Uſus.* Icterus, Calculus felleus, Obſtructio hepatis, Aſcites, Febres bilioſæ & putridæ, Dyſenteria, Cruditas rancida. In praxi medica uſus Cremoris Tartari ampliſſimus eſt. Utimur illo pæne in omnibus febribus, excepta phthiſi pulmonali; in omni ſaburra rancida, omnique indigeſtione a pingvibus ingeſtis; in dyſenteria & diarrhœa bilioſa; in obſtructione hepatis ejusque duritie, in ictero chronico, in calculo felleo, & in aſcitide, cum pulſus durus, atque urina ſumme bilioſa & parca, heparque obſtructum eſt. Plures cremore tartari & juſculo e Taraxaco curavi a calculo felleo & duritie hepatis. De Cremoris Tartari eximio uſu in quavis ſpecie hydropis, largiori doſi, ad minimum unc. ß, quovis die exhibiti, pulcherrime egit VINC. MENGHINI (*). Cremor Tartari *decomponitur*, ſi cum abſorbentibus, e. gr. cre-

 ta,

(*) *Comment. Bonon. T. 4. p. 260.*

ta, coquatur. Hacce encheiresi verus Tartarus tartarisatus segregatur, & superfluum acidum Tartari combinatur cum Creta, & format Selenitidem tartareum, qui, ab acido vitrioli decompositus, relinquit acidum Tartari liberum, *Sal essentiale Tartari* appellatum. Hoc sal essentiale est ipsum acidum Tartari purum, acidissimum, crystallisatum: crystallis aggregatis lamellatis, parallelis, subacinaciformibus, basi latioribus, sessilibus, pellucidis, albis. Solvitur facile in aqua frigida, sc. salis hujus unc. ß in aquæ scrup. 8, trituratione; & alcalina omnia saturat, unde oriuntur salia media, pro varietate baseos alcalinæ diversa, quæ vero fere ab omnibus aliis acidis, sive sint mineralia, seu vegetabilia, decomponuntur. Si cum alcali fixo vegetabili juste saturetur, fit *Tartarus tartarisatus;* sed si alcali hoc supersaturetur cum hoc sale acido tartari, fit *Cremor Tartari regeneratus*; qui etiam faciliore encheiresi obtinetur, si solutioni Tartari tartarisati instilletur solutio salis essent. tartari, unde Cremor Tartari extempore regeneratur, & ad fundum mox subsidit. Sic oritur sal difficulter solubile ex superaddito acido Tartari puro, quod per se valde solubile erat. Cum alcali minerali saturatum sal ess. Tartari, format *Sal Rupellense*, & cum terra calcarea, Selenitidem calcareum. Ceterum terras metallicas etiam aggreditur hoc Sal acidum, præcipue martis, antimonii & plumbi. Igni expositum aperto & carboni injectum, liquescit, ut observavit cel. TORB. BERGMAN (*), in massam, aquæ instar pellucidam, atque fremit, nigrescit, fumat, flagrat: flamma cærulea; relictis scoriis fuscis, tandem albidis, alcalescentibus. E retorta autem destillatum igne valido, Spiritum & Oleum tartari dat. Itaque in igne decomponitur, pariter ut Succus citri, ceteraque acida

(*) *Diss. de Stibio tartaris. p. 10.*

da vegetabilia essentialia. Varia experimenta cum hoc sale instituit cl. A. J. RETZIUS. (*). Methodum sequentem hoc Sal essentiale Tartari parandi communicavit cl. C. W. SCHEELE, quæ etiam in officinis nostris dudum recepta est (**); Rc. Cretæ alb. subtil. pulver. & in aqua pura bene lotæ libr. 1. Huic affundantur aquæ puræ cong. 2, in aheno stanneo igni superimposito; deinde sensim admisceantur pulv. Crem. tartari libræ 3 ß, h. e. quantum satis ad saturationem justam. Ahenum ab igne deinde remotum collocetur in quiete ad subsidendum, lixiviumque supernatans caute decantetur, & l. a. inspissetur in Tartarum tartarisatum, verum, flavescentem, plerumque odore subnauseoso præditum, qui, scrupulosius collectus, elixiviationibus residui repetitis, commixtis atque una cum lixivio evaporatis, attingit pondus unc. 21. Residuum vero in aheno est Selenites tartareus, qui, edulcoratus & siccatus, pondere est libr. 2ß. Hoc residuum bene lotum saturetur unc. 11 olei vitrioli, in aquæ puræ libris 8 antea diluti, subsequente digestione ex arena per diem, sub frequenti agitatione spathula lignea. Tandem decantetur liquor acidus supernatans, & residuum, h. e. Gypsum verum, bene elixivietur aqua pura, quoad acidum amplius non sapiat; atque hæ omnes elixiviationes commisceri debent & evaporari in consistentiam syrupi tenuioris, qui debite filtratus crystallisetur, vel, si mavis, in siccum vaporet. E Crem. Tartari libr. 3 obtinentur Salis hujus essentialis circiter unciæ 10, ut expertus est SCHEELE. Probatur hoc Sal essentiale tartari, num purum sit atque ab omni acido vitrioli immune, si dissolvatur in aqua pura, & instilletur aceti Lithargyrii pauxillum, unde sedimentum album subsidit, quod extemplo iterum dissolvi debet ab affuso Spiritu Nitri, liquorque pe-

(*) *K. Vetensk. Acad. Handl. vol. 31. p. 207. seq.*
(**) *Pharmacop. Svecic. p. 160.*

penitus reclarefcet, fi purum fuerit acidum Tartari; fin minus, pulverem album in fundo remanentem videbis, quoniam vitriolum plumbi in fpiritu nitri diluto folubile non eft. *Selenites tartareus* in forma pulverulenta eft, albiffimus, ponderofus, atomis fcintillantibus micans ubi luci exponitur, infipidus. Cum aqua agitatus non coit in paftam, fed diluitur ac pulmenti inftar commifcetur, & in quiete pofita mixtura fundum petit, aqua limpida fupernatante. Hinc in aqua frigida Selenites hic tartareus non folvitur, quod etiam comprobatur affufione lixivii Tartari alcalini, a quo nulla præcipitatio. In aqua vero calida folvitur paullulum, fed vix ultra gr. 2 in aquæ bullientis unc. 1. In calore ficcatur, fed in igne aperto folvitur vinculum, acidum tartari deftruitur, & remanet terra calcarea pura. Ex quovis acido minerali affufo decomponitur felenites tartareus, cum effervefcentia, & oriuntur feleniridis fpecies variæ, pro diverfitate cujuslibet acidi adhibiti. Selenites vitriolicus cryftallifibilis & in aqua difficulter folubilis eft, fed ex reliquis acidis mineralibus Selenitides liquidi exfurgunt. Acetum vini gallicum, frigide affufum, felenitidem tartareum non decomponit. Si Cremor ifte Tartari, qui fubinde ab exteris ad nos apportari folet, fcrupulofius examinetur, patebit, illum Selenitidem tartareum fovere, ut recte obfervavit cl. SCHEELE (*); etenim fi cryftalli tartari in aqua bulliente folvuntur, fatis multum non foluti in fundo vafis obfervatur, quod verum felenitidem tartareum efficit. In cryft. tartari libra 1 felenitid. tartar. circiter uncia 1ß continetur, quod a methodo depurandi, Monfpelii ufitata, derivatur, ubi terra calcarea adhiberi folet, ut docuit FIZES (**).

OBS. 8. *Sal Tartari* incineratione Tartari crudi paratur, alcalinum, fixum, albiffimum. Tartari crudi

(*) In *Litteris* ad me datis.
(**) *Memoir. de l' Acad. des fc.* 1725. p. 346.

di libra 1 Salis tartari circiter uncias 4 largitur. *Virtus:* antacida, diuretica, ſtimulans, cauſtica, corroſiva. Recenter paratum ſeu calcinatum, cauſticum eſt; aëri vero expoſitum, vel diutius in vaſis probe non obturatis ſervatum, aëre fixo ſaturatur, unde miteſcit. Si loco humido retineatur, magnes eſt humiditatis, unde deliqueſcit, ſolvitur. *Uſus.* Acidum in primis viis, Scirrhus *externe.* De uſu & utilitate Salis tartari in Rachitide diſſeruit cl. ABILDGAARD (*); ſolvit is Sal. tartari drachm. ß in aquæ puræ vel Decocti Chinchinæ unc. 8, quarum unc. 4 quotidie ſumendæ. In Scirrho maligno ſæpe multum emolumenti præſtat lixivium fortius Salis tartari, extus applicitum, linteo exceptum. Novi Senem honeſtum, ſeptuagenarium, qui per decem annos, & quod excurrit, ſcirrhum revera malignum habuit, quem intra limites retinuit cl. J. THEOPH. NATHORST, ſola hac applicatione. Ante nonnullos annos Medicus magnæ ſatis famæ arceſſitus conſilium dedit, ut abſtineret æger ille a lixivio Tartari, & ejus loco fomentationem ex herba Conii, ſcopo reſolvendi, imponeret, ſed triſti omnino eventu; ſcirrhus enim ſenſim cœpit intumeſcere & maxime dolere, cum cutis diſcoloratione; juſtusque metus erat exulcerationis ſcirrhi; ſed remoto cataplaſmate, & lixivio Tartari denuo impoſito, omnia funeſta evanuerunt, & ſcirrhus in priſtinum ſtatum redactus. Vivit adhuc æger, dum hæc ſcribo, & lixivio ſuo utitur.

OBS. 9. De Vite vinifera ſcripſit J. HORSTIUS (**) a 1587, idque iſto in tempore bene. Recenſet differentias vinorum, eorumque qualitates & uſus. Explicat vina ſimplicia & medicata. Agit etiam de aceto, paſſu-

(*) *Collectan. Societ. med. Havnienſ. v. 1. p. 1.*

(*) *Opuſc. de Vite vinifera ejusque partibus &c.* Marpurgi 1630.

paſſulis &c. Scripſit inſuper P. J. SACHSIUS (*). Tradit hic hiſtoriam Vitis viniferæ, atque plurima in medium affert de cultura Vitis, Vini præparatione ejusque uſu. Nuperrime de cultura Vitis & Vini præparatione elegantiſſime & in extenſo egit cl. EDV. ANTILL (**), ut alios taceam.

101. VITIS apyrena. LINN. *Sp. pl. 293.*
Vitis acino minimo rotundo albido ſine nucleis, Corinthia. DUHAM. *Fruit. v. 2. p. 273. t. 7.*
Vitis corinthiaca ſ. apyrena, BAUH. *Hiſt. 2. p. 72.*
Pharm. PASSULÆ CORINTHIACÆ.
Locus. Græcia, imprimis Inſulæ Cephalonia & Zante. *Frutex.*
FORMA. ſicc. Uvæ maturæ & ſiccatæ, magnitudine ſeminis Piſi, ſubrotundæ, obtuſæ, rugoſæ, molles, ſubſaccharatæ, undique lucidiuſculæ, fuſcæ; *parencymate* pulpoſo, ſubapyreno.
PROPRIET. Odor vix ullus, ſaltem debiliſſimus. *Sapor* dulci-acidulus.
VIRTUS: nutriens, refrigerans, eccoprotica.
USUS: culinaris.

102. VINCA minor. LINN. *Sp. pl. 304. Mat. med. 101.* KNIPH. *Bot. or. cent. 1.*
Clematis daphnoides. DODON. *Pempt. 401.*
Vinca pervinca daphnoides. BLACKW. *Herb. t. 59.*
Pharm. VINCÆ PERVINCÆ Herba.

Locus.

(*) *Ampelographia, ſ. Vitis viniferæ conſideratio.* Lipſ. 1661.
(**) *l. cit.*

Locus. Germania, Anglia, Gallia. *Perennis.* Bene perfert hiemes in Svecia.

FORMA. rec. Caulis procumbens, ſubrepens, teres, glaber, exporrectus, ſubramoſus, folioſus, ſterilis, geniculatus, utrinque exaratus ſulco longitudinali, oppoſito, inter genicula. *Surculi* palmares, cauliformes, erecti, floriferi. *Folia* ad genicula oppoſita, petiolata, ſempervirentia, ovata, acuta, glabra, ſupra lucidiuſcula, pollicaria. *Flores* axillares, pedunculati, ſolitarii. *Pedunculi* foliis longiores, uniflori, nudi, glabri. *CAL. Perianth.* monophyllum, 5-partitum: laciniis linearibus. *COR.* monopetala, violacea, infundibuliformis, calyce multoties longior. *Tubus* cylindrico-turbinatus, albicans, intus baſi piloſus. *Limbus* 5-partitus: laciniis oblique obovatis, obtuſo-rotundatis. *STAM. Fil.* 5, breviuſcula, apici tubi inſerta, in medio geniculato-inflexa, baſi barbata. *Anth.* cuneiformes, obtuſo-rotundatæ, planæ, in medio tubi conniventes, piloſæ. *PIST. Germen* ſuperum, ovatum, bipartitum. *Glandulæ* 2, ovatæ, obtuſæ, carinatæ, oppoſitæ prope germen, longitudine germinis. *Stylus* longitudine ſtaminum. *Stigma* orbiculatum, apice barbatum, antheris conniventibus tectum.

PROPRIET. rec. Odor nullus. *Sapor* amarus, inhærens.

VIRTUS: tonica.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum herbæ recentis luteſcens, odore debili, ſapore intenſius amaro; vitriolo martis fuſco-nigreſcens.

ORDO

ORDO
DIGYNIA.

103. ASCLEPIAS Vincetoxicum. LINN. *Sp. pl. 314. Mat. med. 103.* KNIPH. *Bot. or. cent. 3.*

Vincetoxicum. DODON. *Pempt. 402.* LUDW. *Ectyp. p. 12. t. 25.*

Asclepias albo flore. MILLER. *Figur. t. 53. f. 2.*

Asclepias. LOBEL. *Hist. 356.*

Pharm. HIRUNDINARIÆ Radix, Herba.

Locus. Europa, in glareosis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix oblonga, cylindrica s. planiuscula, horizontalis, repens, breviuscula, bipollicaris, superne cinerea, scabra, notata cicatricibus callosis, truncatis, rugosis, subtus obsessa fibris numerosis, aggregatis, filiformibus, albis, subcarnosis, glabris, descendentibus, elongatis. *Gemmæ* e radice progerminantes, incarnatæ, sparsæ, undique imbricatæ: squamis ovatis, obtusis, adpressis. *Parencyma* radicis solidiusculum, transversaliter sectum variegatum; parencyma vero fibrarum album, transversaliter sectum puncto centrali, subrotundo. *Caules* plures ex una radice majore, e minore radice solitarii, erecti, pedales, teretes, glabri, sed utrinque linea longitudinali pubescente, simplices, virides, geniculati, basi infima purpurascentes, adspersi squamis sparsis, ovatis, acutis, convexiusculis. *Folia* ad genicula alternatim opposita, brevius petiolata, cordata, acuta, bipollicaria, patentia, utrinque glabra, margine minutim ciliata, nervoso-venosa, longitudine internodii. *Petioli* pubescentes, supra canaliculati, subtus convexi. *Corymbuli* florum

rum axillares, ſuboppoſiti, longius pedunculati, ſubnutantes, pubeſcentes. *CAL. Perianth.* monophyllum, turbinatum, ſubpubeſcens, 5-fidum: laciniis linearibus, obtuſis, corollæ adpreſſis, apice patulis. *COR.* monopetala, 5-fida, albida: laciniis ovali-oblongis, obtuſis, patentibus, calyce longioribus. *Nectarium*: margo monophyllus, campanulatus, germen cingens, longitudine calycis, albidus, 5-fidus, quaſi conflatus e ſquamis 5, obovatis, obtuſis, ſubcarnoſis, intus convexis, cohærentibus, erectis. *STAM. Filam.* 5, linearia, erecta, intra nectarium conniventia, longitudine vix nectarii. *Antheræ* membranaceæ, apice includentes orbiculum pentagonum. *PIST. Germina* 2 ovata, glabra. *Styli* breves. *Stigm.* obtuſa.

PROPR. rec. Radic. Odor graveolens. *Sapor* graviuſculus, vix amaricans; *fibrarum ſapor* ſubdulceſcens; *odor* fortis, graveolens, validior quam radicis; *Herbæ odor* debilis; *ſapor* herbaceus. *Siccatæ radicis odor* intenſius graveolens, quam recentis; *ſapor* amaricans, gravis.

VIRTUS: pellens, diuretica, ſudorifera, emmenagoga, alexipharmaca.

USUS. Hydrops.

OBS. Infuſum radicis ſicc. aquoſum, colore inf. Theæ, odore forti, graveolente, ſapore nauſeoſo. Sub digeſtione calida, tota camera odore graveolente repleta fuit. Cum vitriolo martis non variat. Radicis ſiccatæ libræ 10 dant Extracti aquoſi circiter libras 3.

104. HERNIARIA glabra. LINN. *Sp. pl.* 317. *Mat. med.* 104.

Herniaria. DODON. *Pempt.* 114. BLACKW. *Herb. t.* 320.

Pharm.

Pharm. *HERNIARIÆ* Herba.

Locus. Europa, in collibus. *Perennis.*

FORMA. *Radix* perennis, filiformis, ramoſa. *Caules* plures ex una radice, procumbentes, terræ adpreſſi, virides, teretes, vix pubeſcentes, geniculati, ramoſi. *Rami* alterni, breviter ramuloſi. *Folia* alterna, ſubſeſſilia, vel breviter petiolata, ovato-oblongiuſcula, inferne attenuata, apice acutiuſcula, ſubcarnoſa, glabra, lineam fere longa, patentia. *Stipulæ* teneræ, membranaceæ, albidæ, ovato-acutæ, erectæ. *Glomera* florum lateralia, oppoſitifolia, ſeſſilia, ſubrotunda, ſæpe totum ramulum occupantia, unde ſpicas oblongas referunt, folioſas.

PROPRIET. *Odor* nullus. *Sapor ſicc.* vix ullus; *recent.* herbaceus.

VIRTUS.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum herbæ ſicc. rubicundum, infuſum Theæ referens, ſapore herbaceo, leniter amaricante; vitriolo martis fuſceſcens.

105. CHENOPODIUM Bonus Henricus. LINN. *Sp. pl. 318.* *Mat. med. 106.* OEDER *Icon. t. 579.*

Tota bona. DODON. *Pempt. 640.*

Culinis. *BONI HENRICI* Herba.

Locus. Europa, in ruderatis. *Perenne.*

FORMA. rec. *Caulis* pedalis, erectus, ſimplex, teretiuſculus, inæqualiter ſtriatus, glaber, adſperſus farina diaphana, leviſſime adhærente. *Folia* alterna, patentia, petiolata, ſupra glabra, ſubtus glauca, pulverulenta, bipollicaria vel ultra, triangulari-ſagittata: lobis baſeos horizontalibus, obtuſiuſculis, latere inferiore dente obtuſo;

ſo; ſuperiora ſenſim minora. *Petioli* longitudine foliorum, ſupra canaliculati, ſubtus convexi, ſtriati. *Axillæ* foliorum foliolis fecundæ. *Spica* terminalis, conica, nuda, pulverulenta, inferne compoſita, ſuperne glomerata, cylindrica. *Braƈteæ* lineares, ſolitariæ, concaviuſculæ, glomerulis ſubjeƈtæ, illisque ferme breviores. *CAL. Perianth.* monophyllum, 5-partitum: laciniis lineari-cuneiformibus, truncatis, apice tridentatis, margine ſubmembranaceis. *COROLLA* nulla. *STAM. Filam.* 5, ſubulata, longitudine fere calycis. *Antheræ* gibbæ, ſubexſtantes. *PIST. Germen* ſuperum, ovali-oblongum. *Styli* 2, reflexi. *Stigmata* ſimplicia.

PROPR. rec. Odor nullus. *Sapor* Spinaciæ, gratus. *Maſticata* folia tenera, ſaliva virideſcente.

VIRTUS: oleracea, ſublaxans.

USUS: culinaris.

OBS. *Folia* recentia, Spinaciæ inſtar coƈta, ſapida ſunt, ſi in ſolo pingvi culta fuit planta. *Caules* recentes coƈti, & adaptati cum embammate, circa eſum Aſparagi uſitato, medulla ſua tenera eſculenti & ſatis ſapidi ſunt.

106. CHENOPODIUM rubrum. LINN. *Sp. pl.* 318. *Mat. med.* 107.

Pes anſerinus. DODON. *Pempt.* 605. DALECH. *Hiſt.* 542.

Pharm. ATRIPLICIS SYLVESTRIS Herba.

Locus. Europa, ubique in cultis. *Annuum.*

FORMA. rec. Caulis ereƈtus, teres, glaber, ſtriatus lineis longitudinalibus, concoloribus, ramoſus, diffuſus. *Rami* ſparſi, ſtriati, ſimplices, patentes. *Folia* ſubcarnoſa, alterna, petiolata, ovato-oblonga, utrinque glabra, baſi & apice atte-

attenuata, margine inæqualiter dentata: dentibus lanceolatis, obtusiusculis. *Petioli* teretiusculi, supra canaliculati. *Racemi* in caule & ramis frequentes, axillares, sessiles, cylindrici, foliosi, erecti, foliis breviores, compositi e *Spicis* brevibus, alternis, conicis, nudis, sessilibus, foliolis brevioribus. *Flores* sessiles, glomerati. *CAL. Perianth.* pentaphyllum: squamis concavis, obtusis, glabris, margine tenuioribus. *COROLLA* nulla. *STAM. Filam.* 5, capillaria, calyce breviora. *Anth.* subrotundæ. *PISTILL. Germen* superum, ovatum, obtusum. *Stylus* cylindricus, brevis. *Stigmata* 2, subcapitata. *Semina* parva, solitaria, orbiculato-reniformia, utrinque compressa, fusca, nitida.

PROPR. rec. Odor nullus. *Sapor* oleraceus, fere Spinaciæ. *Masticata* folia tenera.

VIRTUS: oleracea.

USUS.

OBS *Infusum* aquosum recentis colore infus. Theæ refert, sapore autem est debili oleraceo; ex vitriolo martis fuscescit.

107. CHENOPODIUM Botrys. LINN. *Sp. pl. 320. Mat. med. 109.* KNIPH. *Bot. or. cent. 9.*

Botrys. DOD. *Pempt. 34.* BLACKW. *Herb. t. 114.* CAMER. *Epit. 598.* LOB. *Hist. 113.*

Pharm. BOTRYOS Herba, Semina.

Locus. Europa australis, in arenosis. *Annuum.*

FORMA. rec. Caulis erectus, vix pedalis, ramosus, angulatus, striatus, hirto-scaber. *Rami* alterni, erecti. *Folia* alterna, petiolata, oblonga, obtusa, glabriuscula, runcinata; lobis alternis, obtusis, angulatis; sinubus obtuse excavatis. *Racemus* terminalis, elongatus, subfoliosus, compositus e racemulis geminis, lateralibus, dichotomis,

tomis, nudis, hirto-ſcabris, ſecundis. *Flores* ſubſeſſiles. *CAL. Perianth.* 5-partitum: laciniis lineari-ovalibus, acutis, hirtis, viridibus. *COROLLA* nulla. *STAM. Filam.* 5, ſubulata, albida, calyce paullo longiora. *Antheræ* trigonæ, albidæ. *PIST. Germen* ſuperum, obtuſo-truncatum. *Styli* 2, capillares, longitudine ſtaminum. *Stigmata* ſimplicia. *Semina* orbiculata, depreſſa, fuſca.

PROPR. rec. Herbæ Odor fragrans, fortis, graviuſculus, balſamicus, non ingratus. *Sapor* odori congruens, aromaticus. Recens planta, manibus tractata, leviter viſcida eſt, manus inquinans; diutius olfacta, temulentiam excitat. *Sicc. odor* & *ſapor* conſimiles.

VIRTUS: herbæ, reſolvens, emmenagoga, antiſpasmodica; *recent.* ſubinebrians. Semina fragrantia.

USUS. Herb. Hyſteria. *Sem.* Vermes.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum herbæ rec. luteſcens, aromaticum; vitriolo martis debiliter fuſceſcit. *Aqua ſtillatitia* fragrans. *Oleum* ſtillatit. ſebaceum; CARTHEUSER.

OBS. 2. Plurimi hanc herbam ut pectoralem commendant, & ut vere bonam in Aſthmate, Orthopnœa, Menſium obſtructione.

108. CHENOPODIUM anthelminthicum. LINN. *Sp. pl.* 320. SCHREB. *Mater. med. Linn.* 113. KALM. *Amer. Reſa*, 2. *p.* 283. *

Chenopodium Lycopi folio, perenne. DILLEN. *Elth. p.* 77. *t.* 66. *f.* 76.

Pharm. CHENOPODII ANTHELMINTHICI Semina.

Locus. Penſylvania, ad vias, ſolo arenoſo. *Perenne.*

FORMA. Semina parva, ſubrotunda, paullulum compreſſa, fuſca, ſplendentia.

PROPR. Semina graveolenti-fragrantia.

VIRTUS: anthelminthica.

USUS. Lumbrici.

OBS. Fide cl. P. KALM hæcce ſemina excito, utpote in Penſylvania communiſſimi uſus; ex propria experientia nihil de illis ſtatuere poſſum.

109. BETA vulgaris. LINN. *Sp. pl.* 322. *Mat. med.* 313. KNIPH. *Botan. or. cent.* 10. & 12.

Beta rubra vulgaris. DOD. *Pempt.* 609. LOB. *Hiſt.* 124. BLACKW. *Herb. t.* 235.

Culinis BETÆ RUBRÆ Radix.

Locus. Colitur ubique. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, craſſa, ſpithamæa, purpurea, transverſaliter rugoſa: rugis annularibus, obſoletis; *parencymate* carnoſo, ſucculento, ſubtunicato, purpureo, transverſaliter ſecto ex annulis albidis & purpureis variegato; centro medullari ſubrotundo, albido.

PROPRIET. recent. Odor debilior. *Sapor* dulceſcens, aromatico-fatuus. *Maſticata* comminuitur, aquoſa ſentitur, ſaliva violacea. *Siccata* radix friabilis, celluloſa, rubro-purpurea, vix odorata; *maſticata* in ore emollitur, ſapore dulceſcente, ſalivam rubro-purpuraſcentem faciens.

VIRTUS: rec. nutriens, refrigerans, mucilaginoſa; *Succi:* errhina.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum radicis ſiccatæ ſangvineum, mucilaginoſum, fere ut mucilago ſeminis Lini, dulceſcens, ſapore Betæ; vitriolo martis non mutatur. Radices

dices recentes rafæ, in olla cum aqua pura coctæ, *decoctum* dant rubro-purpureum. Si hoc evaporetur, obtinetur *Extractum* intenſe dulce, ſapore debili radicis, vix cryſtalliſibile. Radix ſiccatione multum ponderis perdit; radic. rec. libr. 1, ſiccata, exhibet radicis ſicc. unc. 2.

OBS. 2. E pulveris radicis Betæ rubræ libr. ß, ope alcoholis vini & digeſtione debita, *Sacchari* puriſſ. drachm. 2 ß extraxit cel. MARGGRAF (*).

OBS. 3. In culinis notiſſima radix tempore autumnali & hiberno. Elixantur radices recentes in aqua, & in taleolas transverſales deinde ſecantur, poſtea aceto, cum pauxillo aquæ diluto, immittuntur. Sunt qui radices conciſas fermentare faciunt ad aciditatem, perinde ac cum Braſſica capitata acidulata fieri ſolet, & ſic ſapidiores creduntur. Beta rubra albaque apud priſcos Romanos in uſu culinari fuerunt, præcipue apud plebem viliorem, unde MARTIALIS:

Ut ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam ſæpe petet vina piperque cocus!

110. BETA Cicla. LINN. *Syſt. nat. 195. Mat. med. 113.* β.

Beta candida. DOD. *Pempt. 609.*

Culinis BETÆ ALBÆ (*Mangold*) Herba recens.

Locus. Colitur ubique. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, alba, craſſitie pollicis vel longe ultra, transverſaliter rugoſa, apice ſcabra: ſquamis plurimis congeſtis, rigidiuſculis, fuſcis, patentibus. *Caules* plures ex una radice, bi-vel tripedales, erecti, flaccidi, virides, glabri, ſtriato-angulati, ramoſi. *Rami* virgati

(*) *Opuſc. chym. t. 1. p. 221.*

virgati, erecti, alterni, elongati, cauli conformes, ſimplices, glabri, baſi infima noduloſi. *Folia* ſubſucculenta; *radicalia* erecta, viridia, petiolata, ovata, obtuſo-rotundata, inferne latiora, baſi producta in petiolum, brevius decurrentia, margine repanda, utrinque glabra, lævia, ſubbullata, dodrantalia; *caulina* ad nodulos ramorum, alterna, petiolata, ovata, obtuſa, pariter glabra; *ramea* minora, obovata. *Spicæ* filiformes, longiſſimæ; glomerulis florum ſparſis, ſeſſilibus, remotis, ſubtrifloris. *Bracteæ* lineares, anguſtæ, extrorſum paullo latiores, ſolitariæ, glomeribus florum paullo longiores, illisque ſubjectæ. *CAL. Perianth.* monophyllum, truncatum, 5-dentatum: ſquamis lineari-ovatis, obtuſis, concavis, carinatis, patentibus, proxime ſub margine oris calycis inſertis. *COROLLA* nulla. *STAM. Fil.* 5, brevia, intra ſingulas ſquamas calycis ſingula. *Anth.* didymæ, ovatæ, utrinque ſulcatæ. *PIST. Germen* ſubinferum, ſubrotundum, depreſſo-planiuſculum, undique coronatum margine calycis. *Styli* 3, breviſſimi. *Stigmata* 3, cineraſcentia. *PERIC. Capſula* e calyce paullulum indurato, unilocularis. *Semen* unicum, cochleatum.

PROPR. rec. Radic. Sapor Betæ rubræ, ſed ingratior. *Herbæ odor* nullus; *ſapor* herbaceus, debiliſſimus, mitis. *Maſticata* folia firmiuſcula, ſubglutinoſa, ſaliva ſaturate viridi.

VIRTUS: oleracea, ſubeccoprótica.
USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* folior. rec. aquoſum luteſcens; vitriolo martis non variat.

OBS 2. Pulveris radicis Betæ albæ libra ß, in alcohole vini digeſta, dedit Sacchari puriſſ. unc. ß. MARG-

GRAF

GRAF (*). Radix recens ſiccatione perdit tres quartas partes; hinc radic. recent. libra 1 exhibuit rad. ſicc. unc. 4.

OBS. 3. Folia recentia in culinis parantur pro cibo, pari modo ac Spinacia.

III. SALSOLA ſativa. LINN. *Sp. pl.* 323. LÖFLING. *Reſa* 132. *

Kali hiſpanicum ſupinum annuum Sedi foliis brevioribus. JUSS. *Mem. de l'Academ. des ſc.* 1717. *p.* 74. * *t.* 2.

Pharm. SOUDA ALICANTINA.

Locus. Valencia, Murcia, Almeria & Granada Hiſpaniæ, in oris maritimis. *Annua.* Planta ſeritur copioſe, etiam in agris inter ſegetes, & matureſcit ſero autumno.

FORMA. Maſſa ſolida, duriſſima, griſeo-nigricans, ſubcæruleſcens, ponderoſa, ſicca, ſonora, fragmentis poris pertuſis.

PROPR. Odor non ingratus; cum ſaliva fricata Souda, odor excitatur violaceus, alcali urinoſo mixtus. *Sapor* intenſe ſalſus, acris.

VIRTUS: ſtimulans, antacida, diuretica.

USUS.

OBS. 1. *Souda* ex plurimis plantis marinis parari poteſt, ſed optima habetur e Salſolis, & ſpeciatim e Salſola Kali & ſativa; at præſtat Salſola ſativa, quoniam hæc planta verum alcali minerale ſemper præbet, etiam ubi locis a mari remotis conſeritur, modo id in climate calido fiat, ut expertus eſt cl. Abbas MAZEAS; tametſi non diffitendum, ut cel. DUHAMEL etiam obſervat, cum alcali vegetabili commixtum iri, ſi nimis longe a mari ſeratur. Ea vero Souda, quæ ex aliis plantis marinis conficitur, vix ſemper punctum fert. Ægyptii

 tamen

(*) *l. c. p.* 220.

tamen ſatis bonam parant e Meſembryanthemo nodifloro & Reaumuria vermiculata; Angli vero ſuam Soudam, ſub nomine *Kelp* notam, e Fuco Ceranoide aliisque Fuci ſpeciebus veſiculoſis. Souda, quam præbet Salſola Kali, communiſſima nobis, eſtque illa maſſa uniformis, ſicca, fragilis, ſapore ſalſo, obſcure cærulea, nigricans; adulteratur, ſi, loco Salſolæ Kali, Salſola Tragus ſumatur. Salicornia Soudam dat griſeo-cæruleſcentem, cineream, poris pertuſam, fragilem, vix perſiſtentem. Ceterum præſtantiſſima cenſetur Souda alicantina, quæ a Salſola ſativa perficitur; hanc excipit Souda e Carthagena; Souda vero Bourdina mala eſt, ut recte obſervat cl. MARCOKELLE (*); eſt vero hæc maſſa nigra, maculis viridibus variegata, humida, odore fœtido; deterrima tandem Souda, *Varec* dicta, quæ in Normandia ab omnibus plantis marinis, indiſcrete ſumtis, præcipue Fucis, paratur; immo illa in eo damnoſa eſt, quod lintea maculat. Quæ pura eſt, Souda, alcalina eſt, ejusdem indolis ac baſis ſalis culinaris. Syrupum violarum viridem reddit. In aëre non deliqueſcit. In aqua pura ſoluta, cryſtallos promit, principio diaphanas; tum aëre aperto in pulverem album fatiſcentes. Efferveſcit acidis omnibus; cum acido vitrioli ſaturata, format ſal mirabile Glauberi; cum acido tartari Sal rupellenſe, &c. Cum ſulphure vivo, hepatem ſulphuris efficit. Pingvia quævis, ut olea omnia expreſſa, ſebum, axungias, ceram &c. ſolvit, & cum illis in ſaponem abit.

112. ULMUS procerior foliis anguſtioribus, trunco per intervalla viminibus denſe congeſtis infra ramos obſito. GRONOV. *Virg. 39?*
Salve-Bark *vulgo* (Anglis Americanis).

Pharm.

(*) *Memoir. de mathem. & de phyſ. de Paris, vol. 5. p. 547.*

Pharm. CORTEX UNGVENTARIUS.

Locus. America borealis, Jersea nova. *Arbor.*

FORMA. *Cortex* intermedius vimineus, flexilis, albido-cinerascens, longitudinaliter fissilis: fissura capillari-fibrillosa; fragiliusculus, lateribus utrinque minutim rugosus.

PROPRIET. *Odor* vix ullus. *Sapor* vix ullus. *Masticatus* maxime glutinosus.

VIRTUS: emolliens, obtundens, consolidans.

USUS. Vulnera.

OBS. 1. *Infusum* aquosum corticis concisi dilute rubicundum, limpidum, subinsipidum, obscure mucilaginosum; vitriolo martis sangvineum evadit. Cortex infusus inter digitos lubricus sentitur. *Decoctum* aquosum spissa mucilago erat, rubra, limpida vero & subnauseosa. Vitriolo martis saturate sangvineum evasit.

OBS. 2. Nisi omnia me fallunt, Cortex ungventarius desumitur a specie quadam Ulmi; certe tota analogia id svadet; specimen vero arboris, de qua cortex desumtus erat, non vidi. Rever. Præpositus WIKSELL, e Pensylvania a 1774 redux, corticis hujus specimen secum apportavit, mihique obtulit. Ut arcanum hic cortex olim apud barbaros indigenas Americæ habitus fuit, nunc vero etiam Anglis Americanis in usu est, ut optimum consolidans in vulneribus. Methodus adhibendi hæc est. Cortex bene pulveratus miscetur cum lacte bubulo tepido, & agitatur valide, quoadusque in Electuarii consistentiam cocat, & id quidem valde mucilaginosum est. Vulnus consolidandum, si impurum sit, debet antea bene esse depurgatum, quod digestivis l. a. fieri oportet. Americani lotionibus ulcus purgant. Hoc facto, electuarium supradictum vulneri imponendum est, quod mane & vesperi iterari debet; sed si antiqua sint vulnera ulcerave, satis erit semel per diem illud applicare, ne nimis acceleretur consolidatio,

ſæpe tunc perniciofa, quare lotionibus vel digeſtivis iterum id refricare juvat. Vulnera hac medela bene conſolidata vidi, quamvis, ubi caries ſubfuit, conſolidatio tarda apparuerit. Vulnera recentia & pura brevi tempore percurata vidi. Cortex vero ante ſuppurationem inceptam non debet applicari. Agit is conglutinando & emolliendo, ſed ſtyptica qualitate vix ulla.

113. ULMUS campeſtris. LINN. *Sp. pl.* 327. *Mat. med.* 105. OEDER *Icon. t.* 632.

Ulmus. DODON. *Pempt.* 825.

Ulmus campeſtris & Theophraſti. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 367. *t.* 108.

Pharm. *ULMI* Cortex intermedius.

Locus. Europa. *Arbor excelſa.*

FORMA. *Cortex* intermedius ſubvimineus, albidus, fragiliuſculus, longitudinaliter fiſſilis: fiſſura capillari-fibrilloſa; latere interiore adſperſus punctis oblongis, linearibus, frequentibus.

PROPRIET. *Odor* nullus. *Sapor* debilis, ſubamaricans. *Maſticatus* valde glutinoſus ſentitur. Ramulorum cortex magis amaricat, & *maſticatus* magis glutinoſus.

VIRTUS: adſtringens, conſolidans.

USUS. Vulnera, Ambuſta.

OBS. 1. *Infuſum* corticis conciſi aquoſum limpidum, rubicundum, ſubinſipidum; vitriolo martis fuſco-nigreſcit. Cortex infuſus inter digitos lubricus ſentitur. *Decoctum* corticis trunci rubrum, mucilaginoſum, vitriolo martis ſubito nigreſcit; corticis vero ramulorum decoctum obſcurius rubrum eſt, adeo mucilaginoſum, ut in fila ductile ſit; vitriolo martis pariter ſubito nigreſcit.

OBS. 2. Pulchra experimenta practica cum cortice

ulmi

ulmi instituit cl. DAN. LYSONS (*). Casibus 5 comprobat usum hujus corticis in morbis cutis, scilicet scabie inveterata, humida siccaque. Sumit corticis recent. ramorum gracilium (non vero tenellorum) intermedii unc. 4, quas decoquit in aquæ puræ libris 2, ad remanentiam libræ 1. Hoc decoctum non debet nimis mucilaginosum evadere. Si vernali tempore, quando arbor floret, paratur decoctum, purpurascit, reliquo vero anni tempore brunneum fit. Sapor decocti est mitius adstringens. Multum ponderis observationi cl. LYSONS addit casus ultimus, de scabie ferina, quæ salivationem mercurialem eluserat, hocce decocto curata. Propinat decocti unc. 8, mane & vesperi. Non cito curat, sed lente.

114. GENTIANA lutea. LINN. *Sp. pl. 329. Mat. med. 110.* MILL. *Figur. t. 439. f. 2.*

Gentiana caule folioso, foliis ovatis nervosis, floribus rotatis verticillatis. HALLER *Stirp. Helv. 1. p. 283. * It. helv. 2. n. 23.*

Gentiana major vulgaris flore pallido. BARREL. *Icon. 63.*

Asterias. RENEALM. *Spec. p. 63. t. 64.*

Gentiana. DOD. *Pempt. 340. Purg. 69.*

Pharm. GENTIANÆ RUBRÆ Radix.

Locus. Europæ alpes. *Perennis.*

FORMA. sicc. Radix pedalis vel ultra, crassitie digiti, sæpe pollicis, vel longe ultra, cylindrica, rugosa: rugis annularibus approximatis, fusca, subannulata, ramosa; *Parencymate* rubrolutescente.

PROPRIET. Odor debilis. *Sapor* amarissimus.

VIRTUS: tonica, stomachica, anthelminthica, antiputredinosa.

(*) *Medical Transact. vol. 2. p. 204. seq.*

USUS. Atonia, Cachexia, Arthritis, Icterus, Tertiana, Ulcus fistulosum.

OBS. 1. Extrahitur omnibus menstruis, ut aqua, vino, cerevisia, spiritu vini; optime tamen menstruo spirituoso, unde *extractum* spirituosum acrius aquoso. Extracti aquosi tres octo partes obtinuit CARTHEUSER, spirituosi vero unam quartam partem. *Infusum* aquosum rubrum, absque odore, sapore amarissimo; vitriolo martis leviter fuscescit.

OBS. 2. Gentiana lutea crescit copiose in alpibus Striæ. Mulierculæ Tyrolenses alpes has tempore vernali quotannis conscendunt, radicesque hujus Gentianæ colligunt, e quibus *spiritum ardentem* destillant, quem deinde circumcirca divendunt, sub nomine *Entzian-geist*, prout memorat L. BIWALD (*).

115. GENTIANA Centaurium. LINN. *Sp. pl.* 332. *Mat. med.* 112. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 8. OEDER *Icon. t.* 617.

Centaurium minus. ZANNICH. *Venez. t.* 249. BLACKW. *Herb. t.* 452. DOD. *Pempt.* 334.

Erithræa. RENEALM *Specim. p.* 77. *t.* 76.

Pharm. *CENTAURII MINORIS* Herba.

Locus. Europa, in apricis, præsertim maritimis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix cylindrica. *Caules* sæpe plures ex una radice, erecti, spithamæi, teretes, angulo utrinque ancipites, glabri, simplicissimi. *Folia* radicalia congesta, cuneiformi-oblonga, obtusa, integerrima, subsucculenta, in petiolos breves desinentia, glabra, vix pollicaria, patentia; *caulina* opposita, sessilia, linearia, obtusa, erecta, internodiis breviora. *Corymbus* terminalis, sessilis,

(*) *Select. ex Amoen. Acad.* LINNÆI, *p.* 280.

lis, ramis trifloris, foliosus, floribus sessilibus. *Corollæ* sordide & pallide violaceæ, quinquefidæ.

PROPR. siccat. Odor debilis, vix ullus. *Sapor* amarissimus.

VIRTUS: tonica, stomachica, antiputredinosa.

USUS. Atonia, Cachexia, Podagra, Icterus, Tertiana.

OBS 1. Extrahitur omnibus menstruis, optime quidem spirituoso. *Infusum* aquosum inf. Theæ simile, amarissimum; vitriolo martis fuscescit. Herbæ libr. 9 dant Extracti aquosi circiter libr. 2; sed NEUMANN aquosi duas tertias partes respectu herbæ se accepisse dicit, & spirituosi dimidium ponderis herbæ.

OBS. 2. De hac planta differuerunt WEDELIUS (*) & SAM. LEDELIUS (**). Hic signaturam externam rejicit; simplicia præfert compositis; alienis & propriis experientiis Centaurium minus laudat in febribus, ad affectus cutaneos, ulcera, vulnera, vermes.

116. GENTIANA Amarella. LINN. *Sp. pl.* 334. *Mat. med.* 111.

Opsantha. RENEALM. *Specim.* 71.

Pharm. GENTIANELLÆ Herba.

Locus. Europa, in pratis siccis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix fibrosa. *Caulis* palmaris, sæpe spithamæus, viridi-purpurascens, erectus, tetragonus, glaber, ramosus. *Folia* opposita, sæpe terna, sessilia, lanceolata, acutiuscula, pollicaria, integerrima, utrinque glabra, subtus pallidiora, patentia. *Flores* axillares, pedunculati. *Pedunculi* tetragoni, oppositi, foliis breviores, communiter multiflori, flore intermedio priore, longius pedunculato. *CAL. Perianth.* mono- phyl-

(*) *Diss. de Centaurio minori.* Jenæ 1713.
(**) *Centaurium minus, auro tamen majus.* Francof. 1694.

phyllum, turbinatum, pentagonum, quinquefidum: laciniis ovato-oblongis, acutis, margine recurvato, erecto-patentibus. *COROLLA* hypocrateriformis, dilute violacea. *Tubus* craſſus, calyce longior. *Limbus* 5-fidus: laciniis ovato-oblongis, obtuſis cum acumine, patentibus. *Faux* barbata: barba dilute violacea, ſubcriſpa, exſtante, baſi membranacea. *STAMINA* quinque. *STYLUS* bifidus.

PROPR. Odor vix ullus. *Sapor* amariſſimus.

VIRTUS: eadem quæ præcedentium Gentianæ ſpecierum.

USUS: ut in præcedentibus.

UMBELLATÆ.

117. ERYNGIUM campeſtre. LINN. *Sp. pl. 337. Mat. med. 114.* OEDER *Icon. t. 554.*

Eryngium campeſtre vulgare. CLUS. *Hiſt.* 2. *p. 157. c. fig.* DOD. *Pempt. 718.*

Pharm. ERYNGII Radix.

Locus. Europa, in campis ſiccis. *Perenne.*

FORMA. Radix cylindrica, craſſitie vix digiti, geniculis annulata, fuſceſcens; *parencymate* albo. *Siccata* fragilis.

PROPR. Odor leviter aromaticus; *Sapor recentis* dulceſcens; *ſicc.* leniter aromaticus, parum dulceſcens, ſubamaricans.

VIRTUS: diuretica, aperiens.

USUS.

OBS. Radix recens uſui culinari bene inſervit.

118. SANICULA europæa. LINN. *Sp. pl. 339. Mat. m. 115.* OEDER *Icon. t. 283.*

Sanicula Diapentia. BLACKW. *Herb. t. 63.*

Sani-

Sanicula. DODON. *Pempt. 140.*
Diapenſia. CAMER. *Epit. 763.*
Caucalis Sanicula. CRANTZ *Auſtr. 3. p. 228.**
Pharm. SANICULÆ Herba.
Locus. Europa, in ſylvis umbroſis. *Perennis.*
FORMA. rec. Radix perennis. *Caules* ſæpius bini ex una radice, erecti, ſubnudi, undique ſulcati, glabri, ſimpliciſſimi, craſſitie culmi ſecalini. *Folia* radicalia plura, longius petiolata, circumſcriptione reniformia, plusquam pollicaria, utrinque glabra, profunde quinqueloba: lobis cuneiformibus, inciſo-ſerratis: ſerraturis mucronatis; caulino ſolitario, radicalibus conformi, verum minore. *Umbella* terminalis, erecta; univerſalis ſubquinquepartita, partialis tripartita; radii ſæpe 2 ſimplices. *Florum* capitula globoſa, magnitudine ſeminis Piſi. *Involucrum univerſale* triphyllum: foliolis tripartitis, ſerratis, umbella triplo brevioribus; partiale diphyllum, foliolis oppoſitis, linearibus, ſerratis, umbellula duplo brevioribus. *Seminum* capitula echinata, ariſtis uncinatis.
PROPRIET. Odor nullus. *Sapor* herbaceus.
VIRTUS: adſtringens, vulneraria.
USUS.

OBS. *Infuſi* aquoſi color idem qui potus Theæ; vitriolo martis fuſco-nigricans.

119. TORDYLIUM officinale. LINN. *Sp. pl. 345. Mat. m. 145.*
Seſeli creticum. DOD. *Pempt. 311.*
Pharm. SESELI CRETICI Semina.
Locus. Europa auſtralis. *Annuum.*
FORMA. Semina linearia, craſſa, utrinque obtuſa, 3 lineas longa, hinc concava, angulis tribus

tribus parallelis, inde convexa, angulis 4 alatis, interjectis angulis 3 aliis, longe minoribus, singulo intra singulam alam.

PROPR. Odor aromaticus, gravis. *Sapor* aromaticus, amarus, fortis, in semina Cymini incidens.

VIRTUS: carminativa.

USUS.

120. DAUCUS Carota. LINN. *Sp. pl. 348. Mat. m. 142.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 5.*

Daucus sativus. LUDW. *Ectyp. p. 5. t. 9.*

Pastinaca sativa Dioscoridis. LOB. *Hist. 416.*

Pastinaca tenuifolia sativa. DOD. *Pempt. p. 667. f. 1. & 2.* PARKINS. *Theatr. 902.*

Daucus vulgaris. ZANNICH. *Venez. t. 190.*

Pharm. & *Culinis DAUCI SATIVI* Radix recens, Folia, Semina.

Locus. Europa, Japonia. Colitur ubique europæa herba. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix fusiformis, palmaris, sæpe spithamæa vel ultra, lutea, extus sulcis transversali-annularibus, fibrillis capillaribus sparsis; *parencymate* carnoso, undique luteo, post sectionem transversalem centro medullari orbiculato, sæpe angulato, striis radiantibus; corticali peripheria reticulata. *Folia* radicalia primi anni longius petiolata, subtus pubescenti-scabra, supra glabra, duplicato-pinnatifida: pinnulis cuneiformibus pinnatifidis: laciniis oppositis, lanceolatis, acutis, ciliatis, erectis, parallelis. *Petioli* supra concavi, subtus tereti-convexi, scabri. *Semina* ovalia, longitudine 1 vel 2 linearum, utrinque obtusa, hinc plana, lineis tribus elevatis, minutim ciliatis, inde convexa, margine & angulis 2 spino-

ſpinoſo-ciliatis; lineis 3 elevatis, minutim ciliatis, ſingulis inter ſingulum angulum interjectis.

PROPR. Radic. rec. Odor aromaticus, non ingratus; *Sapor* dulceſcens, leniter aromaticus, odori congruens. *Siccata* radix duriuſcula, pariter dulceſcens, magis aromatica; *maſticata* in ore emollitur, ſalivam colore fulvo tingens. *Herbæ* rec. *odor* graviuſculus; *ſapor* graviuſculus, odori analogus. *Semina* aromatica, calidiuſcula, amaricantia.

VIRTUS: radic. nutriens, aperiens, diuretica, anthelminthica; *herbæ* diuretica; *ſem.* carminativa.

USUS. Radic. culinaris; Lumbrici, Cancer ſcrophuloſus, Aphthæ; *Herbæ:* Calculus.

OBS. 1. *Infuſum* radic. ſiccat. pulcherrimum, rutilans, odore debili Dauci, ſapore dulci, aromatico, grato; vitriolo martis non demutatur. Infuſum vero herbæ rec. colore Theam refert; vitr. martis fuſceſcit.

OBS. 2. *Succus* radicis expreſſus & inſpiſſatus dulciſſimus eſt, & ad naturam mellis accedit; ſed in ſaccharum verum non cryſtalliſatur; MARGGRAF (*). Si radices Dauci recentes conſcinduntur, atque cum aqua in aheno coquuntur, dum molliſſimæ fiant; ſique ſuccus deinde exprimitur, & ad juſtam conſiſtentiam inſpiſſatur, obtinetur mellaginis ſpecies, qua incolæ Thuringiæ frequenter utuntur in cibis loco ſacchari, atque etiam in medicina, ut remedium utile in Tuſſi infantum, Phthiſi, atque contra vermes; SCHOBERUS (**). De radicis Dauci recentis & raſæ effectu ſalutari in ulceribus cancroſis, ſub cataplaſmatis forma adhibitæ, pulchre egit cl. SULZER (***), & confirmavit cl. HENR. GIB-

(*) *Opuſc. chym. tom.* 1. *p.* 241.
(**) *Hamburg. Magaz. t.* 8. *p.* 6. *n.* 4. *p.* 610.
(***) *Journal de med. t.* 24. *p.* 68.

Gibson (*). Patet exinde, quod cataplaſma e Dauco raſo, frigide applicato, brevi ſpatio, ſæpe poſt primam applicationem, omnem odorem ulceris fœtidum tollit, dolorem mitigat & ſtillicidium ichoroſum in melius vertit, ſive ſit ulcus cancroſum, ſeu ſiphiliticum, ſcorbuticum, vel ſcrophuloſum. Cancrum penis non curavit, ſed in binis aliis caſibus, ſcilicet in ulcere phagædenico pedis & in ulcere carcinomatoſo glandulæ ingvinalis, conjuncto cum latiſſima exulceratione, curam perfecit hoc cataplaſma, propinato ſimul infuſo maltæ & victu antiſcorbutico ex Naſturtio aquatico & Raphano. Cl. Arth. Nicolson (**) Herbam Conii cum radice Dauci conjunxit in cataplaſma coctum, quod validius operatur in cancro ſcrophuloſo, quam purum cataplaſma e Dauco; ulcusque cancroſum fere ſanatum erat, dum orthopnoea correpta, cum ſtridore dentium, ſubito exſpiravit ægra. Vidi virginem generoſam, cancro ſcrophuloſo afflictam, cui cataplaſma e radice Dauci applicitum fuit, certe cum levamine, tametſi curam non perfecit; quoties cataplaſma mutaretur, illud ſemper quaſi calcarea quadam materia obductum apparuit.

OBS. 3. Pleræque hujus familiæ radices, l. a. fermentatæ, ſpiritum ardentem dant, ſed, quantum mihi adhuc conſtat, radices Dauci & Siſari plurimum omnium.

121. CONIUM maculatum. Linn. *Sp. pl. 349.* Kniph. *Bot. orig. cent. 11.*
Cicuta. Störck *Supplem. de Cicuta, p. 2. t. 1.* Leber *monogr. t. 1.* Lob. *Hiſt. 422.* Rivin. *Pentapet. t. 74.* Blackw. *Herb. t. 451.* Dod. *Pempt. 458.* Hall. *Stirp. Helv. 1 337.* *

Ci-

(*) *Medical Obſervat. and inquir. T. 4. p 183. ſeq.*
(**) *l. cit. p. 363.*

Cicuta major. Zannich. *Venez. t. 284.*
Cicutaria vulgaris. Clus. *Hiſt. 2. p. 200. c. fig.*
Cicuta vulgaris major. Parkins. *Theatr. 933.*
Coriandrum Cicuta. Crantz *Auſtr. 3. p. 211**
Pharm. CONII (Cicutæ) Herba, Succus inſpiſſatus.

FORMA. rec. Radix fuſiformis, craſſitie radicis Dauci, palmaris, ſæpe dodrantalis, alba, ſtriis annularibus approximatis undique rugoſa, fibris & fibrillis ſparſis, odore inter Daucum & Chærophyllum; junior radix lacteſcit. *Caulis* tri- vel quadripedalis, erectus, teres, geniculatus, craſſitie digiti minoris, ſæpe pollicis, maculatus: maculis fuſcis, ſparſis, ſubinde confluentibus, ramoſus, diffuſus. *Rami* alterni, axillares e foliis, erecti, ramuloſi, folioſi. *Folia* ad genicula, alterna, utrinque glabra, ſaturate viridia, lucidiuſcula, lineata, ſubtus pallidiora, erecto-patentia, tripinnata: pinnis oppoſitis; pinnulis pinnatis: pinnulis ſecundariis oppoſitis; inferioribus diſtinctis, ſeſſilibus, pinnatifidis: laciniis oblongis, obtuſis, inciſo-ſerratis; ſuperioribus confluentibus, ſimplicibus, inciſo-pinnatifidis: laciniis lanceolatis, obtuſis; folia *ramea* minora, vaginis petiolata. *Petioli* communes teretiuſculi, fiſtuloſi, ſtriati, glabri, compreſſiuſculi, latere ſuperiore maculati, & inter pinnas infimas carinati; inter pinnas vero ſuperiores ſulcati: ſulco longitudinali; baſi vaginati: vagina concava, amplexicauli, extus undique ſulcata. *Umbellæ* terminales, pedunculatæ; priores axillares e ramulis; *univerſalis* 12-vel 14-partita, concava, glabra; *partialis* plana, circiter 16-partita. *Involucrum univerſale* tetraphyllum: foliolis parviuſculis, lanceolatis, acutis, margine inferne utrin-

que membranaceis, glabris, deflexis; *partiale* triphyllum, latere exteriore situm, foliolis ovato-acutis, margine membranaceis, patentibus. *Perianth.* proprium vix ullum. Margo superus. *COROLLA universalis* æqualis, uniformis; flosculi omnes fertiles; *propria* alba, *petalis* 5, obcordatis, supra carinatis, sinu inflexo, patentibus. *STAM. Fil.* 5, subulata, alba, patentia, longitudine corollæ. *Anth.* didymæ. *PIST. Germen* subrotundum, compressiusculum, viride, undique striato-angulatum: angulis tuberculatis. *Nectarium* superum, album, planum, germen superne tegens, crenatum. *Styli* 2, albi, erecti, patentes. *Stigmata* obtusa. *Semina* subrotunda, obtusa, compressiuscula, undique sulcato angulata: angulis 10 vel 12, tuberculato-crenatis. *Obs.* Quod sic descripsi, specimen, loco pingvi consitum erat.

PROPR. rec. Odor plantæ totius fœtidus, murinus; *siccat.* fortior. *Sapor rec.* leniter aromaticus, herbaceus, subnauseosus.

VIRTUS: narcotica, resolvens, suppurationem promovens, diuretica.

USUS: Ulcera sordida & siphilitica, Scabies, Morbi cutis, Gonorrhœa, Leucorrhœa, Phthisis, Impotentia virilis, Rheumatismus chronicus, Scrophulæ.

OBS. 1. *Infusum* aquosum herbæ *sicc.* limpidum, adspectu tenue, sapore debili, odore Conii; vitriolo martis nihil demutatur. *Succus inspissatus* parari debet ex succo herbæ, sub fine inflorescentiæ, dum semina ponere incipit planta, collectæ, expresso, quiete subsidente, limpidiore supernatante decantato, inque melliginis consistentiam leni igne inspissato, tum magisterio s. fæculis adjectis, & sine igne probe commixtis. Hic suc-

ſuccus inſpiſſatus fœtidus eſt, ſubſalſus, ætate ſal eſſentiale nitroſum deponens. Ex ſucco inſpiſſato, adjecto pulvere foliorum, formatur maſſa pilularum, quæ uſui ſervatur. Sub inſpiſſatione ſucci totum laboratorium, immo tota domus, tetro Conii odore repletur.

OBS. 2. In *vero Cancro* Conium adeo non boni quidquam præſtat, ut potius noceat, ſtillicidium materiæ ichoroſæ augendo, adeoque contabeſcentiam promovendo, nec non id efficiendo, ut citius ſtadia percurrat morbus, morsque ſic acceleretur, prout longa & conſtans experientia ſatis ſuperque evicit. Nob. PETRUS AF BIERKÉN, qui theoriam Cancri tam ſolide enucleavit (*), plurima experimenta inſtituit, quibus hæc theſis ſtabilita & extra dubium poſita eſt. Et ne parca doſi peccaremus, Conium in ſucco vel in pilulis, ad unciam ß vel plus, immo ad unciam I, quotidie propinavimus, unde didicimus, pro aſſvetis haud opus eſſe, ut doſi arcti quidam ponantur limites. Idem valet etiam de infuſo Conii; namque vidi ægrotos, qui infuſum Conii ſaturatum ad plures libras, absque incommodo, quotidie hauſerunt. Interim tamen ſemper expedit initio a parca incipere doſi, præſertim cum ſæpe fiat, ut Conium ſubjecta ſenſibiliora valde commoveat, vertiginem & debilitatem, immo & cæcitatem periodicam, inducendo. In *cancro ſcrophuloſo*, in *ulceribus ſordidis* & *ſiphiliticis*, Conium ſæpe multum boni efficit, ſæpe etiam curam perſolvit, quod ſubinde mihi experiri licuit. *Impotentiam virilem* ſub uſú Conii curatam obſervavi, in viro quodam plusqúam quadragenario, qui omnem erectionem penis perdiderat, poſtinde tamen plures liberos procreavit. In *Leucorrhœa* lotiones ex infuſo Conii multum levant, præcipue ſi uſus Conii internus iis jungatur. *Gonorrhœas*

(*) *Tal om Kråftſkadors, ſcrophulöſe och veneriſka ſårs och ſvulnaders igenkånnande.* Stockh. 1772.

rhœas recentes cum pilulis Conii, & infuſo inſimul largiter hauſto, ſæpiſſime intra menſem ſecure curavi; in gonorrhœis inveteratis Conium cum mercurio ſublimato conjungo. Plurimos *ſcabioſos* ſolo Conio ſanatos vidi. Atque hæc vis antiſcabioſa videtur tantum non ad omnes umbellatas pertinere. Sic Cerefolium, Cicuta viroſa &c. in morbis cutis multum valent. Cl. R. PULTENEY (*) de *Oenanthe crocata* annotavit, quod ſcabiem quandam leproſam penitus curaverit ſuccus radicis, tempore vernali expreſſus, quovis mane ad dimidium cochlearis ſumtus, apud virum quendam, qui diu hacce ſcabiei ſpecie afflictus fuerat, plurimis remediis fruſtra adhibitis. Fama conii apud Medicos apprime convaluit, ex quo L. B. ANT. STÖRCK primum ſuum publicavit libellum *de Cicuta*, Vindob. 1760. Poſtmodum hoc pharmacon materies litis extitit per totam Europam, in diverſum abeuntibus Medicis, quorum alii aſſenſu exceperunt, alii vero infirmarunt Conii vim contra Cancrum.

122. ATHAMANTA cretenſis. LINN. *Sp. pl.* *352. Mat. m. 143.*

Daucus creticus. CAMER. *Epit. 536.*

Daucus creticus ſemine hirſuto. BAUH. *Hiſt. 3. p. 56.*

Libanotis Daucus creticus. CRANTZ *Auſtr. 3. p. 219.* *

Daucus creticus verus Dioſcoridis. PARKINS. *Theatr. 896.*

Pharm. DAUCI CRETICI Semina.

Locus. Helvetia. *Perennis.*

FORMA. Semina ſubulata, 2 lineas longa, baſi obtuſa, apice ſtylo perſiſtente coronata, hinc ſulco concavo notata, inde ſemiteretia, tomentoſa. *PRO-*

(*) *Philoſ. Transact. vol. 62. p. 469.*

PROPR. Odor aromaticus, gratus, fere Origani. *Sapor* gratus, aromaticus, in Daucum incidens, calidiusculus.

VIRTUS: carminativa.

USUS.

123. ÆTHUSA Meum. LINN. *Syst. veget. 237.*
Athamanta Meum. LINN. *Sp. pl. 353. Mat. med. 144.*
Ligusticum Meum. CRANTZ *Austr. 3. p. 199.*
Daucus Meum. CLUS. *Hist. 2. p. 198. c. fig.*
Daucus creticus. LOBEL. *Icon. 777.*
Meum. LOBEL. *Hist. 449.* DOD. *Pempt. 302.*
Meum vulgatius. PARKINS. *Theatr. 888.*
Pharm. MEU Radix.

Locus. Alpes Europæ australis. *Perennis.*

FORMA. sicc. Radix fusiformi-cylindrica, apice ramosa, crassitie digiti minoris, fusco-cinerea, rugis transversalibus, annularibus, approximatis, vertice instructa setis numerosis, fasciculatis, penicilli instar rasorii; *parencymate* ferrugineo.

PROPRIET. Odor & sapor aromaticus, gravis cum svavitate, fere Dauci Carotæ.

VIRTUS: diuretica, lactifera.

USUS.

OBS. *Infusum* aquosum ex vitriolo martis nequicquam variat.

124. PEUCEDANUM officinale. LINN. *Sp. pl. 353. Mat. m. 126.*
Peucedanum. BAUH. *Histor. 3. p. 36.* DODON. *Pempt. 314.*
Peucedanum vulgare. PARK. *Theatr. 880.*
Peucedanum minus germanicum. BAUH. *Hist. 3. p. 36.*

Pharm. *PEUCEDANI* Radix.

Locus. Europa auftralis, in pratis humidis. *Perenne.*

FORMA. *Radix* longa, cylindrica, fufco-nigricans, (in officinis plerumque cuticula abrafa occurrit); *parencymate* pallide cinereo, friabili; centro medullari albo, angulato-ftellato.

PROPR. *Recens* radix fœtida, lactefcens: lacte luteo. *Sicc.* *odor* fœtidiufculus, rancidus; *fapor* amaricans, gravis, ingratus, diu inhærens; *mafticata* radix falivam lactefcentem reddit.

VIRTUS: antihyfterica, diuretica, emmenagoga.

USUS.

OBS. *Infufum* aquofum Theæ infufo fimile, fapore amaro atque naufeofo; vitriolo martis nil demutatur.

125. FERULA Affa fœtida. LINN. *Sp. pl.* 356. *Mat. med.* 118.

Hingifch umbellifera Levifitico affinis, foliis inftar Pœoniæ ramofis, caule plano maximo, femine foliaceo nudo folitario, Brancæ urfinæ vel Paftinacæ fimili, radice Affam fœtidam fundente. KÆMPF. *Amœn. p.* 535. *t.* 536.

Pharm. *ASSÆ FOETIDÆ* Gummi.

Locus. Perfia, in campis circa Heraat, inter civitates Lar & Gamròn, & in jugis montium provinciæ Lar, folo fabulofo, faxofo & arido. *Perennis.*

FORMA. *Gummi-refina* in glebis, plaftica, conflata e variis grumis lucidis, albidis, lutefcentibus vel rubicundis.

PRO-

PROPR. Odor fœtidiſſimus, alliaceus. *Sapor* amaricans, acris, mordens, diutiſſime inhærens, etiamſi os faucesque compluries eluerem aceto vini vel ſpiritu vini diluto. *Maſticata* primum plaſtica, deinde ſenſim ſoluta: ſaliva lactea, inſtar cremoris lactis, lingvam & palatum albo tingente. Solvitur Aſſa fœtida ſecundum partem in oleo expreſſo: ſolutione turbida, ſordide luteſcente. In oleo ſtillatitio non ſolvitur, ſed tingitur paullulum colore ſubluteſcente. In aqua pura ſi digeratur loco tepido, tota ſuperficies primum albeſcit, deinde maceratione protracta reducitur in ſubſtantiam cretiformem, gummoſa parte ſoluta: ſolutione ſqualide rufeſcente. Ex Aſſæ fœtid. ſcrup. 1, digeſtioni ſubmiſſo, tota camera fœtido repleta fuit odore, qui in poſterum diem duravit, etiamſi aër ſæpius agitaretur. Si Aſſa fœtida trituratione ſolvitur in aqua frigida, abit in ſolutionem lacteſcentem.

VIRTUS: carminativa, emmenagoga, antiſpasmodica, roborans, reſolvens, anthelminthica, pecoribus fœnivoris ſalutaris.

USUS: Hyſteria, Tympanites; Indis cibi condimentum.

OBS. 1. Gummoſa pars duplo fere major eſt reſinoſâ. *Tinctura* ſpirituoſa lutea, fœtida, ſtimulans. *Aqua ſtillatitia* fœtida, oleo eſſentiali parco, fœtidiſſimo.

OBS. 2. Veram Tympanitidem, ex febre prægreſſa ortam, curatam vidi clyſmatibus fœtidis, ex Aſſæ fœtidæ drachm. 2, quotidie ſemel vel bis applicatis, propinato ſimul Rheo quovis mane. Novi etiam virum, pediculis ingvinalibus per plures annos infectum, qui, Empl. antihyſterico Edinb. ventri ſolum applicato, ab iisdem ſe liberatum dixit, quod quidem fœtori Aſſæ

fœtidæ adſcribo. Ceterum Febribus intermittentibus protractis Aſſa fœtida ſæpe medetur. Quin immo parem etiam effectum præſtant varia hujus familiæ ſemina & ſucci. Nob. DAV. VON SCHULZENHEIM caſu reperit, pilulas fœtidas Pharm. Sv. tertianam protractam brevi ſuſtuliſſe. Idem poſtmodum plurimis nobis conſtitit experimentis. Curant revera hæ pilulæ ſæpe febres intermittentes, ſæpe tamen fallunt. Si curabunt, febris erit paullulum inveterata; in recente febri nunquam mihi ſucceſſerunt. Sumendus ſcr. ß harum pilularum ter vel quater de die, ſub remiſſione. Sæpe expedit has pilulas cum Chinchina jungere. Idem porro præſtant ſemina Paſtinacæ, Coriandri, Leviſtici, Phellandrii &c.

OBS. 3. Aſſa fœtida eſt ſuccus lacteus concretus, qui e radice plantæ recente, transverſaliter ſecta, uberrime defluxit, candidiſſimus, liquidus, pingvis, cremori lactis ſimillimus. In aëre vero exſiccatus, colorem demutat. Recenter exſiccatus fœtidiſſimus, aſt ætate debilitatur. Aſſæ fœtidæ recentis drachma 1 plus fœtoris ſpargit, quam 100 libræ vetuſtioris, quare etiam recens nonniſi difficillime navibus in Indiam devehitur, quoniam ceteras merces, præcipue liquores potulentos, corrumpit. KÆMPFERUS.

OBS. 4. Aſſa fœtida culinaris eſt Banianis Indiæ orientalis, qui quidem, ab eſu carnium abhorrentes, nec ſpirituoſis indulgentes, aromata ſibi neceſſaria ducunt, quæ etiam omni cibo immiſcent; horum primarium eſt Aſſa fœtida, quam cordialem putant & ad cibum digerendum idoneam; interim peſſime ipſi olent, non oris halitu ſolum, ſed etiam tranſpiratione. J. H. GROSE (*).

OBS. 5. Semina Aſſæ fœtidæ ex alpibus Gilanenſibus Perſiæ habui, quæ admodum fœtida fuerunt.

126.

(*) *Voyage aux Indes orient. p. 336.*

126. LASERPITIUM latifolium. LINN. *Sp. pl. 356. Mat. med. 123.*

Seseli æthiopicum herba. DODON. *Pempt. 310.* CLUS. *Hist. 2. p. 194.*

Laserpitium glabrum. CRANTZ *Austr. 3. p. 181.**

Laserpitium. RIVIN. *Pentap. t. 21.*

Libanotis Theophrasti major. PARKINS. *Theatr. 952.*

Pharm. GENTIANÆ ALBÆ Radix.

Locus. Europa, in pratis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix crassa, ultra pollices 2, cylindrica, pedalis vel ultra, fusco-cinerascens, rugis annularibus, approximatis, vertice penicilliformi: setis filiformibus, vix semidigitalibus; *parencymate* albo, carnoso, sublactescente; transversaliter secto linea spongiosa incurva, subsemicirculari, dentata; siccato vero parencymate toto spongioso, albo.

PPOPR. recent. & *sicc. Odor* fragrans, fere Angelicæ; *Sapor* intensius amarus, inhærens; recens radix *masticata* carnosa, principio calida, fere ut Angelica, post amaricans; sed siccatione augetur amarities.

VIRTUS: tonica, stomachica.

USUS: Pecoribus.

OBS. 1. *Infusum* aquosum cerevisiæ simile, intense amarum, aromaticum; vitriolo martis non variat.

OBS. 2. Radix hæc præstantissima a Medicis negligitur.

127. LASERPITIUM Siler. LINN. *Sp. pl. 357. Mat. med. 124.*

Siler montanum. CLUS. *Hist. 2. p. 195.* CRANTZ *Austriac. 3. p. 185. t. 1. f. 7.* MORIS. *Hist. 3. f. 9. t. 3. f. 1.* DOD. *Pempt. 308.*

Seſeli. Blackw. *Herb. t. 426.*

Pharm. SILERIS MONTANI Semina.

Locus. Auſtria, Gallia. *Perenne.*

FORMA. Semina linearia, 2 lineas longa, baſi obtuſa, apice tuberculo trigono, hinc convexa, ſulcato-angulata: angulis tribus membranaceis (ſæpe deraſis in ſiccis ſeminibus), inde plana, ſtriis tribus elevatis, fuſco-cineraſcentia.

PROPR. Odor aromaticus, fragrans. *Sapor* calidus, aromaticus, amarus.

VIRTUS: carminativa, ſtomachica.

USUS.

128. LIGUSTICUM Leviſticum. Linn. *Sp. pl. 359. Mat. m. 119.* Crantz. *Auſtr. 3. p. 196.* *

Leviſticum. Blackw. *Herb. t. 275.* Dodon. *Pempt. 309.*

Leviſticum vulgare. Moris. *Hiſt. 3. ſ. 9. t. 3. f. 1.*

Leviſticum vulgare germanicum. Parkins. *Theatr. 936.*

Pharm. LEVISTICI Radix, Herba, Semina.

Locus. Alpes Italiæ. Colitur ubique. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, dodrantalis vel ultra, extus ferruginea, undique notata rugis parvis reticulatis, apice fuſco-rugoſa, ſulcis annularibus, approximatis; parum ramoſa, fibroſa. *Parencyma* carnoſum, album, transverſaliter ſectum centro medullari ampliore, luteſcente, ovato, undique dentato, verſus marginem ſtriato: ſtriis obſoletis; cinctum corticali parte alba, obſolete ſtriata; ſucco limpidiuſculo. *Caules* plures ex una radice, orgyales, erecti, teretes, perforati, craſſitie pollicis, undique ſtriati, glabri, geniculati, ſimplices, ſuperne vix ramoſi. *Folia* alterna, petiolata, duplicato-ternata: foliolis

olis cuneiformibus, bipollicaribus, utrinque glabris, venosis, trilobatis, superne incisis; inferioribus sessilibus; intermedio longius pedicellato; folia suprema vaginis petiolata, simpliciter ternato-pinnatifida: foliolis trilobatis: laciniis lanceolatis, integris. *Petioli* communes teretes, perforati, striati, pariter glabri, basi vaginati: vagina subovata, concava, amplexicauli, stricta, marginibus antice se invicem decussantibus. *Corymbus* terminalis, trichotomus, glaber, constans *umbellis* pluribus terminalibus; *universalis* circiter 15-partita, convexa; *partialis* circiter 20-flora, convexa, floribus pedicellatis, minutim pubescentibus. *Involucrum universale* submembranaceum, polyphyllum: foliolis circiter 8, lineari-lanceolatis, acutis, glabris, venoso-striatis, reflexis; *partiale* consimile, circiter decaphyllum, pariter reflexum, membranaceo-albidum. *COROLLA* universalis æqualis, uniformis; *propria* alba. *Petala* 5, ovata, acuta, inflexa, decidua. *STAM. Filam.* 6, longitudine corollæ. *Anth.* subrotundæ. *PIST. Germen* inferum, subrotundum, truncatum, compressum, undique sulcato-angulatum. *Nectaria* 2, ovata, plano-convexa, conniventia, margine crenata, lutescentia, germen coronantia. *Styli* 2, parvi. *Stigmata* simplicia. *Semina* ovalia, lineas fere 2 longa, subincurva, basi truncato-retusa, apice tuberculo pyramidali terminata, glabra, hinc plana, carina obsoleta, inde convexa, dorso angulis tribus parallelis, latere undique margine subalato.

PROPRIET. rec. Radic. Odor fragrans, fortis, gravis, in odorem Meliloti cærulei incidens, sed longe gravior & ingratior. *Sapor* fortis, gravis, calidus, Angelica ingratior. *Herbæ* rec.

odor

odor fragrans, fortis, gravis. *Sapor* conformis, vix amaricans. *Semin.* ficcat. *odor* fortis, aromaticus, graviusculus, fere Angelicæ. *Sapor* fortis, calidus, aromaticus, Angelica ingratior.

VIRTUS: alexiteria, diuretica, carminativa, emmenagoga, lactifera.

USUS. Pecoribus.

OBS. Ligustici frequentissimus erat usus in culinis veterum Romanorum, tempore TRAJANI, & omni fere cibo imponebatur, ut patet ex APICIO COELIO. Sed id nostrum Levisticum non fuit, verum *Laserpitium Siler* LINN. Ex mente autem DODONÆI, nostrum Levisticum *Laser* veterum præbuit, quod succus inspissatus erat, in culinis Romanorum & Græcorum usitatissimus, tametsi insimul oppido carus. Tanti hoc Laser æstimatum fuit, ut PLINIUS illud *inter eximia naturæ dona* numeraverit; - - - *ad pondus argentei denarii pensum.*

129. ANGELICA archangelica. LINN. *Sp. pl. 360. Mat. med. 120.* OED. *Icon. t. 206.* KNIPH. *Bot. or. cent. 4.*

Archangelica. PARKINS. *Theatr. 940.*

Imperatoria sativa. GARID. *Aix. t. 54.*

Angelica major. DOD. *Pempt. 316.*

Angelica. BLACKW. *Herb. t. 496.*

Pharm. *ANGELICÆ SATIVÆ* Radix, Semina.

Locus. Alpes Lapponicæ, Pyrenææ. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix fusiformi-cylindrica, crassitie pollicis vel longe ultra, pro varietate soli & ætatis, rugosa, cinereo-rufescens, undique instructa fibris elongatis, teretibus, descendentibus, crassis: *Parencyma rec.* carnosum, albidum, lactescens: succo lutescente; *sicc.* subspongiosum.

giosum. *Semina* ovalia, utrinque obtusa, 2 vel 3 lineas longa, pallido-cinerea, hinc plana, sulco longitudinali, inde convexa, dorso elevato: angulis tribus parallelis, latere undique marginato.

PROPR. radic. Odor aromaticus, fragrans, gratus. *Sapor* aromaticus, fortis. *Masticata* primum subdulcescens, mox graviusculus, calidus, acris; sub masticatione salivam sollicitat, mordet in lingva & faucibus cum calore. *Seminum odor* aromaticus, fragrans, gratus. *Sapor* calidus, aromaticus.

VIRTUS: alexiteria, stomachica, sudorifera, carminativa.

USUS.

OBS. 1. *Infusum* aquosum radicis rubro-purpurascens, debiliter aromaticum, amaricans; vitriolo martis non transformatur. Radix perfectius extrahitur menstruo spirituoso, quam aquoso. Sub destillatione pauxillum *olei stillatitii* adscendit, odore Angelicæ.

OBS. 2. Succus lacteus radicis exsiccatus abit in *Gummi-resinam*, odore & sapore Angelicæ.

OBS. 3. Radix recens, l. a. fermentata, *spiritum ardentem* dat, Moschi odore; ill. v. HALLER (*).

OBS. 4. Petioli & rami recentes, saccharo conditi, gratissimi sunt, & mensis magnatum imponuntur. Caules ante florescentiam a Færoënsibus, Lapponibus aliisque borealibus gentibus avidissime eduntur crudi, detracta cute fibrisque, quandoque etiam in prunis tosti vel in lacte elixati; LUC. DEBES (**); CANUT. LEEM (***).

130. ANGE-

(*) *Hist. Stirp. Helvet.* 1. *p.* 359.

(**) *Færoæ & Færoa reserata, p.* 112.

(***) *Commentatio de Lapponibus Finmarchiæ, p.* 127.

130. ANGELICA sylvestris. LINN. *Sp. pl. 361. Mat. med. 121.* DODON. *Pempt. 318.* PARKINS. *Theatr. 940.*

Pharm. ANGELICÆ SYLVESTRIS Radix.

Locus. Europa frigidior, locis humidis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix alba, majuscula, basi trunco subcylindrico, breviusculo, transversaliter rugosa: rugis annularibus, approximatis, scabriusculis: dentibus brevibus, subulatis; ramosa: ramis cylindrico-fusiformibus, elongatis, tuberculatis, ceterum lævibus, fibrillosis: fibris subfuscis; transversaliter secta centro medullari oblongo s. rotundato, constante e striis transversalibus, approximatis, sæpe spongioso, cincto disco profunde transversaliter striato; corticali parte tenui, pelliculato.

PROPRIET. rec. Odor fere Angelicæ sativæ, verum minus fragrans, ingratior. *Sapor* debilior, minus aromaticus. Radix recens tempore æstivali lactescit.

VIRTUS: præcedentis.

USUS.

131. SIUM Sisarum. LINN. *Sp. pl. 361.* SCHWENCK. *Gewaff. 76.*

Sisarum. DODON. *Pempt. 670.* LOBEL. *Hist. 408.*

Sifer vulgare. PARKINS. *Theatr. 945.*

Culinis SISARI Radix.

Locus. Colitur ubique in hortis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radices plures, (4 vel 5) aggregatæ, inferne liberæ, descendentes; singulæ tuberosæ, cylindricæ, rectæ, subflexuosæ, albæ, undique transversaliter sulcatæ sive rugosæ, sæpe

pe torulosæ, palmares, spithameæ s. dodrantales pro diversitate soli, crassitie digiti, glabræ, absque fibris vel cicatricibus. Apex radicis undique germinat: *surculis* pluribus, bulbosis, aggregatis, basi radicantibus: fibris filiformibus, albis. *Parencyma* radicis niveum, carnosum, firmum, fragile, transversaliter sectum æquale, centro medullari subrotundo, incarnato, parviusculo.

PROPR. rec. Odor debilior, in radicem Petroselini incidens. *Sapor* gratus, subdulcescens, odori congruens. *Masticata* radix cruda firmiuscula, sicciuscula sentitur, comminuitur.

VIRTUS: nutriens, subdiuretica.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Hæc planta seminibus serius propagatur, citius vero surculis, ex apice radicis divulsis. Si ipsa tubera terræ mandantur, non germinant. Hiemes rigidas bene perfert, quare vere potissimum effodiuntur radices.

OBS. 2. Radices, tempore vernali vel autumnali effossæ, & in radula rasæ, *amylum* sistunt album & pulchrum, quale ex Solano tuberoso habetur, coctione gelatinescens, glutinans. Hoc amylum fundum petit, dum radix rasa in superaffusa aqua sedulo agitatur, subsequente quiete. Aqua supernatans opalescens est, rubescens, dulcescens. Dulcedo proinde radicis amylum non ingreditur. Si principium hoc dulce ex radice extrahitur, obtinetur Saccharum verum, sive radix recens, seu siccata sumatur. Cl. MARGGRAF (*) obtinuit Sacchari puriss. drachm. 3 e radicis hujus siccatæ libra ß, digestione in Spiritu vini rectificatissimo. Sed ipsa planta supra terram, utpote caulis, folia, flores, nihil sacchari largitur. Itaque e duplici principio nutriunt hæ radi-

---

(*) *Opusc. chym. t. 1. p. 236.*

radices, nempe amylaceo & ſaccharino. Hinc radices, l. a. fermentatæ, largiter dant *Spiritum ardentem.*

OBS. 3. In culinis radices recentes juſculis incoquuntur. Infunduntur etiam cito in Spiritu vini gallico, addito pauxillo cinnamomi & caryophylli. aromat. non contuſ., ſaccharoque, tum eximuntur & obliniuntur paſta laxa, parata e farina tritici, ovis, cerevifia vel lacte vinove, poſteaque in butyro elixantur. Alii alio modo radices has parant, unde etiam ſapidæ evadunt. Elixantur in aqua, ut molleſcant, tum eximuntur & macerantur ſupra ignem in butyro, addito pauxillo decocti harum radicum & farinæ vitelloque ovi; poſtea ſuperaffunditur brodium hocce.

132. SISON Ammi. LINN. *Sp. pl.* 363. *Mat. med.* 140.

Fœniculum luſitanicum minimum acre. SHAW *Afric. n.* 232. *t. f.* 232.

Ammi. CAMERAR. *Epit.* 522.

Pharm. *AMMIOS VERI* Semina.

Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Annuum.*

FORMA. *Semina* linea breviora, ovata, utrinque obtuſa, undique ſtriata, bipartibilia; plerumque partita occurrunt, hinc plano-concava, inde convexa, quinquangulata.

PROPR. *Odor* aromaticus, gratus. *Sapor* aromaticus, amaricans, calidus.

VIRTUS: carminativa, diuretica.

USUS.

OBS. *Oleum* ſtillatitium aromaticum dant hæc ſemina, pariter ac ſemina congenerum, in ſatis larga copia, aromate plantæ.

133. BUBON macedonicum. LINN. *Sp. pl.* 365. *Mat. med.* 133.

Petro-

Petroſelinum macedonicum, Blackw. *Herb. t. 382.* Lobel. *Icon. 708. Hiſt. 406.* Dodon. *Pempt. 685.* Parkins. *Theatr. 924.*

Pharm. PETROSELINI MACEDONICI Semina.

Locus. Mauritania. *Bienne.*

FORMA. Semina caudata, utrinque acuta, oblonga, ſtriata, villoſa, lineæ longitudine, hinc convexa, inde plana.

PROPR. Odor balſamico-aromaticus, graviuſculus. *Sapor* aromaticus, amaricans, fortis, calidus.

VIRTUS: carminativa, diuretica.

USUS.

134. BUBON Galbanum. Linn. *Sp. pl. 364. Mat. med. 132.* Berg. *Pl. Cap. 77.* *

Aniſum africanum fruticeſcens, folio & caule rore cæruleo tinctis. Pluken. *Almag. 31. t. 12. f. 2.*

Ferula africana galbanifera, folio & facie Liguſtici. Herm. *Paradiſ. 163. t. 163.* Raj. *Suppl. 252.* *

Pharm. GALBANI Gummi.

Locus. Africa, Cap. b. ſp. *Frutex.*

FORMA. Gummi-reſina in maſſa, plaſtica, inter digitos ductilis inſtar ceræ, digitis tenaciter adhærens, facie reſinoſa, fuſco-cineraſcente, fragmentis ſplendentibus inſtar colophonii. Occurrit *varietas* magis pallida, ſicca, fragilis: fragmentis maculoſis, parum ſplendentibus, digitis, quibus tractatur, vix adhærens.

PROPR. Odor gravis, ad Ammoniacum accedens. *Sapor* gravis, amaricans. *Maſticata* plaſtica, vix ſolubilis, ſed fere ut cera cum ſaliva

circumvolubilis, & diutius in ore retenta palato adhæret. In ignis flamma accenditur, & flagrat: flamma albida, fumo copioſo, aromatico, relicto carbone. Solvitur tum in ſpiritu vini, tum etiam in aqua vel aceto vini, ſed non in oleis; in oleo expreſſo digeſta, neque ſolvitur, nec tingitur; neque etiam in oleo ſtillatitio ſolvitur, ſed inficitur colore luteſcente. Aquæ puræ infuſa, loco calido digeſta, in formam paſtæ argillaceæ molliſſimæ vertitur, quæ paſta refrigerata indureſcit. Menſtruum, compoſitum e Spiritus vini partibus 2 & aquæ parte 1, ſolutionem perfectam efficit. Itaque reſinoſa pars Galbani in dupla proportione eſt ad gummoſam. Trituratione cum aqua frigida ſolvitur in liquorem lacteum, qui in quiete ſponte præcipitatur.

VIRTUS: emmenagoga, maturans, antiſpasmodica.

USUS. Aſthma, Hyſteria, Tumores maturandi.

OBS. 1. Galbanum bene purificatur, ſi veſicæ incluſum in aqua bulliente liquetur, & tum coletur.

OBS. 2. Sub deſtillatione Galbani cum aqua pura, ſeparatur *oleum* eſſentiale luteſcens, vigeſima circiter parte ponderis Galbani, quod aquæ ſtillatitiæ innatat; Lewis. Si vero Galbanum ex retorta deſtilletur, abſque additione, oleum dat empyreumaticum, cæruleum, ex purpureo variegatum; Neumann. *Infuſum* aquoſum amarum, luteſcens, odore & ſapore gravi; vitriolo martis nil mutatur.

135. CUMINUM Cyminum. Linn. *Sp. pl. 365. Mat. med. 139.*

Cuminum Dioſcordis. Lobel. *Hiſt. 428.*

Cuminum ſativum. Camerar. *Epit. 518.* Dodon. *Pempt. 298.* Cu-

Cuminum vulgare. PARKINS. *Theatr. 887.*
Pharm. CYMINI Semina.
Locus. Ægyptus. Colitur in Sicilia & Melita. *Annuum.*

FORMA. Semina ovali-linearia, hinc plano-concaviuſcula, inde convexa, undique ſulcata, ſcabrida, duas lineas longa, fuſco-cinerea. Sæpe fructus integri occurrunt, h. e. ſemina duo compoſita.

PROPR. Odor fortis, gravis. *Sapor* aromaticus, in Carum incidens, ſed acutior, gravior, ingratus.

VIRTUS: diſcutiens, carminativa.

USUS: externus; Tumores frigidi, Sacculi reſolventes.

OBS. Aqua ſtillatitia aromatica. *Oleum* ſtillatitium intenſius odoratum, odore ſeminum. E ſemin. cymini recent. libr. 25 olei ſtill. citrini unc. 12 obtinuit BAUMÉ.

136. PHELLANDRIUM aquaticum. LINN. *Sp. pl. 366.* SCHWENCK. *Gewaſſ. 79.* VOGEL *Mat. med. 173.*
Phellandrium. DODON. *Pempt. 580.* ERNST. *Phellandrol. t. 1.*
Cicutaria paluſtris tenuifolia. PARKINS. *Theatr. 933.*
Pharm. PHELLANDRII Semina.
Locus. Europa, in foſſis. *Bienne.*

FORMA. Semina integra, oblonga, lineari-ovalia, truncata, compreſſiuſcula, glabra, obſolete ſtriata, purpuraſcentia, inferne viridia, nitidiuſcula, lineas vix duas longa, coronata margine parvo 5-dentato, & ſtylis 2, perſiſtentibus, ſubulatis.

PROPR. rec. Odor gravis; *ſapor* aromaticus, gravis, amaricans, calidus.

VIRTUS: diuretica, vulneraria.

USUS.

OBS. De hiſce ſeminibus integrum tractatum ſcripſit ARTH. CONR. ERNSTINGIUS (*). Laudat hæc ſemina ut vulneraria, ad omnina ulcera, externa ſ. interna, ſananda; vim ſeminum antifebrilem pariter laudat in febribus intermittentibus, ſi drachm. 1 vel ultra, usque ad unc. ß, ante paroxyſmum, & dimidia hæc portio extra paroxyſmum, mane & veſperi, propinetur. Cl. J. HENR. LANGE (**) confirmat uſum in vulneribus recentibus, & ulceribus ſcorbuticis, cancroſis & fiſtuloſis.

137. CICUTA viroſa. LINN. *Sp. pl. 366. Mat. med. 129.* GUNNER. *Flor. norv. 1. p. 26. t. 2. f. 1. 2.*

Pharm. CICUTÆ AQUATICÆ Herba.

Locus. Europa, in lacubus & foſſis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix magna, ramoſa, alba, annulata: annulis inſtructis punctis ſubrotundis, ſerie annulari. *Caulis* erectus, bi-vel tripedalis, craſſus, teres, undique ſtriatus, glaber, geniculatus, ramoſus: geniculis inſtructis punctis diſcretis ſerie annulari, caulem fere ambiente, ſubſolitaria. *Rami* alterni, erecti, diviſi, cauli conformes. *Folia* alterna, petiolata, duplicato-pinnatifida: foliolis ſimplicibus, linearibus, planis, acutis, argute ſerratis, utrinque glabris, venoſis. *Petioli* teretes, baſi vaginati. *Umbellæ* florum plures, in ramulis terminales, pedunculatæ; *univer-*

(*) *Phellandrologia ſ. de medicamento novo, vulgo Peer-ſaat dicto, &c.* Brunſv. 1739.

(**) *Waſſerfenchel, p. 19. ſeq.*

niverſalis plano-convexa, 12-vel 15-partita, radiis glabris, ſtriatis; *partialis* circiter 30-partita, convexa. *Involucr.* univerſale nullum, *partiale* lineari-ſubulatum, breviuſculum, ſtria carinali, reflexo-patens. *Perianth.* proprium ſuperum, quinquedentatum, parvum, erecto-patens. *COROLLA* univerſalis æqualis. *Propria* alba: *petalis* 5, ovatis, acutis, apice inflexo. *Nectarium* ſuperum, germini impoſitum, carnoſum, album, plano-convexum, germen coronans, ovale, margine undique rotundato, in medio bipartitum, connivens, perſiſtens. *STAM. Filam.* 5, ſubulata, alba, corolla longiora, erecta. *Antheræ* didymæ, incarnatæ. *PIST. Germen* inferum, viride, ſubturbinatum, ſtriatum. *Styli* duo breviſſimi, conniventes, erecti. *Stigmata* ſimplicia. *Semina* ſubgloboſa, compreſſa, viridia, ſubdidyma, decemſtriata, obtuſe angulata, coronata perianthii dentibus, nectario & ſtylis binis, ſubulatis, divaricatis.

PROPR. recent. herbæ. *Odor* (contuſorum foliorum) fortior, in Apium graveolens incidens, magis acutus. *Sapor* fere Petroſelini, non ingratus. *Sicc.* odor debilis; ſapor herbaceus.

VIRTUS: rec. virulenta; *ſicc.* fere effœta.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* herbæ recent. aquoſum luteſcens, odore & ſapore nauſeoſo; vitriolo martis fuſceſcit.

OBS. 2. Radix recens, tempore vernali reſecta, ſubſtantia corticali lacteſcit ex cellulis propriis: *lacte* luteſcente, valde viroſo, hominibus & bobus letali; GUNNERUS (*); GADD (**). De vi venenata Cicutæ recentis conſulantur

(*) *l. c. p.* 27.
(**) *K. Vetenſk. Acad. handl. vol.* 35. *p.* 233.

lantur WEPFERUS (*) & SPROEGEL (**). Certe plurimæ plantæ umbellatæ, in udis & aquosis provenientes, semper virulentæ, dum recentes sunt; siccatione vero prorsus fere mitescunt. Recentem Cicutam nunquam adhibui; pilulas vero e succo Cicutæ expresso & inspissato, cum pulvere foliorum formatas, dedi fœminæ, cancro vero mammarum laboranti, incipiendo a parca dosi, sensim adscendendo ad drachm. 3 quotidie; sed nullum effectum inde sensit, neque bonum, nec malum. Præscripsi famulo cuidam Decoct. saturat. herbæ Cicutæ siccatæ libr. 4, quod externe adhiberet, sed per errorem intra binas horas totam ebibit laguunculam, absque ullo tamen insequente damno.

138. CORIANDRUM sativum. LINN. *Sp. pl. 367. Mat. med. 135.* KNIPH. *Bot. or. cent. 10.*

Coriandrum vulgare. PARKINS. *Theatr. 918.* LOBEL. *Hist. 403.*

Coriandrum. CAMERAR. *Epit. 523.* BLACKW. *Herbal t. 176.*

Pharm. & Culin. CORIANDRI Semina.

Locus. Italia, in agris. Colitur ubique. *Annuum.*

FORMA. Semina globosa, apice umbilicata, minutim rugosa, undique sulcato-angulata, linea paullo longiora.

PROPR. rec. Odor graveolens, fœtidiusculus. *Sicc. odor* aromaticus, graviusculus, subgratus; *sapor* congruens.

VIRTUS: rec. suspecta, subnarcotica; *sicc.* carminativa.

USUS: culinaris.

OBS.

(*) *Hist. Cicutæ aquat.* Basil. 1679 & 1716.

(**) *Experimenta circa venena.* Gotting. 1753. *p. 15. seq.*

OBS. 1. *Infusum* aquosum, in balneo digestione paratum, odore & sapore est debili; vitriolo martis non demutatur. *Olei* still. unc. 5 ß, citrini, liquidi, ex Semin. Coriandri sicc. libr. 164 obtinuit BAUMÉ.

OBS. 2. Panem confecturi, ruricolæ nostrates, Coriandri semina pastæ crebro immiscent.

139. SCANDIX odorata. LINN. *Sp. pl. 368.* KNIPH. *Bot. or. cent. 4.*

Myrrhis. DODON. *Pempt. 689.* BLACKW. *Herb. t. 243.*

Myrrhis major vulgaris, s. Cerefolium majus. PARKINS. *Theatr. 935.*

Culinis CEREFOLII HISPANICI Herba virens.

Locus. Alpes Europæ australis. Colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix majuscula, fusiformis, alba, pedalis, cinerea, rugis transversalibus, apice punctis elevatis scabra, inferne in ramos divisa; *parencymate* carnoso, albo, dulcescenti, aromatico. *Caulis* bipedalis, erectus, teres, lanuginosus, scabridus, undique longitudinaliter striatus, dilute viridescens, geniculatus, superne ramosus. *Rami* alterni, erecti. *Folia* ad genicula, alterna, petiolata, triplicato-pinnata: pinnis planis, oppositis, remotis: pinnulis propriis lanceolatis, acutis, supra glabriusculis, subtus nitidiusculis, pubescentibus, pinnatifido-incisis: laciniis obtusis, inciso-serratis, ciliatis. *Petioli radicales* elongati, erecti, teretes, cauli similes, scabridi, sulco longitudinali supra inter pinnas; *caulini* vaginati: vagina ovato-oblonga, obtusa, concava, pallida, longitudinaliter sulcato-angulata, lanuginosa, amplexicauli. *Umbellæ* plures

terminales, nudæ, pedunculatæ, erectæ; *univerſalis* multipartita, circiter 12-vel 16-partita; *partialis* circiter 20-partita. *Involucrum* univerſale nullum, *partiale* pentaphyllum: foliolis lanceolatis, acutis, albidis, ciliatis, longitudine umbellulæ. *COROLLA univerſalis* difformis, radiata; Floſculi radii fertiles, diſci abortientes. *Propria* alba, petalis 5, cuneiformibus, obtuſis, profunde retuſis, cum ſinu inflexo, patentibus, ſupra carinatis; floſculorum radii tribus petalis exterioribus majoribus; diſci vero æqualibus. *STAM. Filam.* 5, ſubulata, alba, corolla longiora, erecta. *Anth.* ovato-trigonæ, erectæ. *PIST. radii: Germen* inferum, viride, ovato-turbinatum, undique ſtriato-ſulcatum, glabrum. *Styli* duo conici, baſi gibbi, conniventes, albi. *Stigm.* obtuſa. *Diſci: Germen* obſoletum. *Styli* nulli, verum corpora duo ſubgloboſa, conniventia. *Stigmata* nulla.

PROPR. rec. herbæ: *Odor* gratus, fere Aniſi; *ſapor* dulceſcens, ad Aniſum accedens; *maſticata* folia teneriora.

VIRTUS: pectoralis, diuretica.

USUS: cibarius.

OBS. 1. *Infuſum* herbæ rec. aquoſum, rubicundum, odore fere Aniſi, ſapore debiliore; vitriolo martis fuſco-nigreſcit, turbatur.

OBS. 2. Folia recentia apud nos culinaria ſunt. Ingrediuntur una cum aliis vernali tempore juſcula oleracea. Radix non uſurpatur, etſi, quamdiu junior teneraque, ſatis ſapida eſt. In Sileſia culinaris radix, haud ſecus ac radix Petroſelini apud nos; C. SCHWENCKFELT (*).

140. SCAN-

(*) *Stirp. & foſſil. Sileſ. catal. p.* 259.

140. SCANDIX Cerefolium. LINN. *Sp. pl. 368. Mat. med. 137.*

Chærefolium. DOD. *Pempt. 688.* BLACKW. *Herb. t. 236.*

Chærophyllum Cerefolium. CRANTZ *Auſtr. 3. p. 191.* *

Pharm. & Culinis CEREFOLII Herba, Succus inſpiſſatus.

Locus. Europa, in agris & arvis. Seritur in hortis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, apice fibrilloſa. *Caulis* erectus, teretiuſculus, ſtriatus, ſubangulatus, glaber, virideſcens, geniculatus: articulis apice incraſſato-nodoſis; pedalis vel ultra, dichotomus. *Rami* ad genicula, ſolitarii, alterni, erecto-patentes, cauli ſimiles, ad ſingula genicula inferne ſubpubeſcentes. *Folia* ad genicula, alterna, petiolata, utrinque glabra, tenera, duplicato-pinnata: pinnis remotis: pinnulis propriis ovatis, acutiuſculis, inciſo-pinnatifidis, margine minutiſſimo ciliatis; coſta ſubtus pubeſcente: pilis rectis, albis. *Petioli* communes ſtriati, canaliculato-vaginati, ſubamplexicaules, latere utrinque excurrente in membranam tenuiſſimam, ciliatam; partiales teretiuſculi, ſubtriquetri, ſupra canaliculati, glabri. *Stipulæ* nullæ; verum annulus albido-piloſus ad inſertionem petioli, caulem ambiens. *Umbellæ* floriferæ pedunculatæ, terminales; fructiferæ ſeſſiles, laterales, exceptis umbellis e dichotomia caulis; *univerſalis* 3-vel 4-fida, pubeſcens; *partialis* circiter 8-fida, glabra. *Involucrum* univerſale nullum; verum foliolum caulinis ſimile, ſolitarium, involucri loco; *partiale* 2-vel 3-phyllum: ſquamis lineari-lanceolatis, parviuſculis, ciliatis, reflexis, perſiſten-

tibus. *Perianth.* vix ullum. *COROLLA* univerſalis uniformis; floſculi diſci paullo poſteriores. *Propria* alba, petalis 5, obcordatis, ſupra carinatis, ſubtus canaliculatis, patentibus, apice ſubincurvis, ſubæqualibus; exterioribus paullo majoribus. *Nectarium:* orbiculus ſuperus, planus, albus, angulatus, in medio fiſſus, perſiſtens, germini impoſitus. *STAM. Filam.* 5, ſubulata, alba, patentia, longitudine fere corollæ. *Anth.* rufæ, ſubrotundæ, didymæ, incumbentes. *PIST. Germen* inferum, viride, lineare, truncatum, didymum. *Styli* 2, ſubulati, craſſiuſculi, erecti, breviuſculi, albi, perſiſtentes. *Stigmata* ſimplicia.

PROPRIET. rec. Odor gratus, balſamicus, debilis niſi fricetur; in ſiccata penitus evaneſcit. *Sapor* aromatico-balſamicus, ad Aniſum accedens, gratus. *Sicc.* debilior.

VIRTUS: aperiens, pectoralis, diuretica, lactifera, vulneraria.

USUS: culinaris; Phthiſis, Tuſſis inveterata, Herpes, Hæmoptyſis, Icterus.

OBS. 1. *Succus* expreſſus, caute inſpiſſatus, aroma herbæ recentis adhuc ſervat, atque ſapore ſalſo eſt; loco frigidiuſculo ſervatus, temporis tractu veras cryſtallos Nitri deponit. *Infuſum* herbæ ſiccatæ aquoſum leviter aromaticum, colore infuſi Theæ, ſapore levi Cerefolii; vitriolo martis non demutatur. *Oleum* ſtillatitium parce dat, odore fere Fœniculi; LEWIS.

OBS. 2. Uſum Cerefolii in phthiſi, tuſſi protracta, & hæmoptyſi abunde demonſtrat praxis quotidiana. Paramus ſerum lactis cerefoliatum, quod ita præparari debet, ut Cerefolium recens & conciſum in ſero lactis calide infundatur, poſteaque bene exprimatur. Pilulas præſcribimus, ex ſucco inſpiſſ. Cerefolii & pulv. folior. Ceref. paratas. Expectoratio nimia ſæpe ægrum

ægrum vexat poſt peripneumoniam & pleuritidem, illumque prorſus emaciat, ſed Cerefolio communiter cedit. Vidi fœminam nobilem, ictero chronico laborantem, tandem curatam ſucci Cerefolii rec. & inſpiſſ. ana unc. 1, quotidie cum aqua Selterana ſumta. Adverſus ſcabiem morbosque cutis Cerefolium præſtans deprehendi; immo etiam adverſus tumores duros, quos identidem bene reſolvit. Ceteroqui videtur vis illa aperiens & reſolvens toti huic ordini naturali adhærere, nec Conio aut Cerefolio pecularis eſſe.

141. CHÆROPHYLLUM ſylveſtre. LINN. *Sp. pl.* *369. Mat. m. 134.*

Pharm. *CICUTARIÆ* Herba.

Locus. Europa, ad pagos, in cultis. *Bienne.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, cylindrica. *Caules* plures ex una radice, pedales vel ultra, erecti, teretiuſculi, undique ſulcato-angulati, pubeſcentes, articulati: articulis apice incraſſatis; dichotomi; ramis erectis, inferne nudis. *Folia* alterna, petiolata, duplicato-pinnata: pinnis remotis; pinnulis ovatis, utrinque glabris, lucidis, ſupra ſaturate viridibus, lineatis, minutim ciliatis, inciſo-pinnatifidis: laciniis lineari-ovalibus, acutis, integerrimis. *Petioli* trigoni, minutim ſtriati, parce pubeſcentes, ſupra canaliculati, baſi vaginati: vagina amplexicauli, ſulcata, concava. Folia ſuperiora vaginis ſolum petiolata. *Umbellæ* terminales, geminæ florentes octofidæ; intermedia priore, fructifera, decemfida; partiales 12-fidæ. *Involucrum* univerſale nullum; *partiale* pentaphyllum: foliolis ovato-lanceolatis, acutis, reflexis, glabris, umbellula paullo brevioribus. *COR.* univerſalis æqualis; flores Radii hermaphroditi; diſci vero maſculi, paullo minores, abor-

abortientes; *Propria* alba, petalis 5, patentibus, obovatis, obtusis; unico sc. exteriore paullo majore, obcordato. *Nectarium* superum, germini impositum, album, lucidiusculum, convexum, bipartitum, connivens, persistens. *STAM. Filam.* 5, subulata, longitudine corollæ, erecta. *Antheræ* subrotundæ, didymæ. *PIST. Germen* inferum, turbinatum, utrinque compressiusculum, striatum, lucidum. *Styli* 2, albi, parviusculi. *Stigmata* simplicia.

PROPR. rec. *Odor* herbæ contusæ fortior, ingratus. *Sapor* amaricans, subnauseosus.

VIRTUS.

USUS.

142. IMPERATORIA Ostruthium. LINN. *Sp. pl.* 371. *Mat. m.* 122.

Imperatoria. BLACKW. *Herb. t.* 279. GARID. *Aix. t.* 55.

Astrantia. DODON. *Pempt.* 317.

Magistrantia. CAMER. *Epit.* 592.

Pharm. IMPERATORIÆ Radix, Herba.

Locus. Helvetia, Austria, in subalpinis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix carnoso-tuberosa, ovalis, bipollicaris, rugis elevatis fuscis & sulcis annularibus glabris profundis, proferens ramos undique excrescentes, simplices, palmares, teretes, crassitie pennæ anserinæ, geniculatos, sæpe ramosos, albos, erectos, apice desinentes in tuber, primario simile, subrotundum vel cylindricum, sæpe proliferum. Fibræ radicantes filiformes, e geniculis exeuntes. Radix stolones repentes sub terra edit, sæpe pedales, cylindricos, geniculatos, tandem in folia excrescentes. *Parencyma*

ma carnoſum, transverſaliter ſectum centro medullari ampliſſimo, orbiculato, centro ſolido, peripheria punctata: punctis lacunoſis; circumdato annulo fuſco; corticali parte cinerea. Radix recens ſecta *lac* fundit albidum, ſubluteſcens, amarum, e punctis lacunoſis parencymatis proveniens. *Caulis* pedalis vel ultra, erectus, teretiuſculus, ſimplex, glaber, ſtriatus, geniculatus. *Folia* ad genicula alterna, petiolata, triternata: lobis ovatis, acutiuſculis, rugoſis, utrinque glabris, ſeſſilibus, inæqualiter ſerratis, ſupra ſaturate viridibus, ſubtus pallidioribus; intermedio cuneiformi, trifido; lateralibus ſubconfluentibus; radicalia folia longius petiolata. *Petioli* teretes, ſtriati, glabri, baſi vaginati: vagina firma, tumidiuſcula, concava, ſtriata, glabra, amplexicauli, ſubdivaricata; *partiales* ſupra canaliculati. *Umbella* terminalis, pedunculata; ſæpe ſimul duæ laterales, minores, e vaginis axillares; *Univerſalis* multifida, plano-concava; *partialis* multifida, convexa. *Involucrum* nullum. Perianthii loco *margo* ſuperus, minimus, crenulatus. *COROLLA* univerſalis æqualis, uniformis, alba; *propria* petalis 5, obcordatis, patentibus, parvis, ſupra carinatis. *STAM. Fil.* 5, ſubulata, alba, erecta, corolla longiora. *Anth.* ſubrotundæ, didymæ. *PIST. Germen* inferum, ſubrotundum, ſtriatum, truncatum, infra viride, ſupra album. *Styli* 2, ſubulati, patentes, ſtaminibus paullo breviores. *Stigm.* obtuſa.

PROPRIET. rec. radicis. Odor gravis. *Sapor* gravis, acris, amarus; *maſticata* acris & calida ſentitur, fauces & lingvam pungit. *Herbæ* rec. folia contuſa ſubgraveolentia, ſapore radici congruente.

VIRTUS: alexiteria, ſudorifera, emmenagoga, carminativa.

USUS. Hyſteria.

OBS. *Infuſum* herbæ ſicc. aquoſum ſaturat. rubrokermeſinum, nauſeoſum; vitriolo martis purpuraſcit; ſed ſi debile eſt infuſum, vix mutatur. Radix inter pulverandum narium fibras irritat.

143. PASTINACA ſativa. LINN. *Sp. pl.* 376. *Mat. m.* 130. KNIPH. *Bot. or. cent.* 6.

Paſtinaca. BLACKW. *Herb. t.* 379.

Paſtinaca latifolia ſativa. DOD. *Pempt.* 669. PARKINS. *Theatr.* 944.

Paſtinaca domeſtica vulgaris. LOBEL. *Hiſt.* 407.

Pharm. & *Culinis PASTINACÆ* Radix, Semina.

Locus. Europa auſtralis, in ſubhumidis. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, ſubpedalis, albida, rugis transverſalibus undique rugoſa, fibris filiformibus ſparſis; *parencymate* carnoſo, albo, poſt transverſalem ſectionem centro medullari orbiculato ſ. angulato, ſtriis radiantibus, obducto diſco æquali, ſtriis minutiſſimis picto. Radix recens, ſecta vernali tempore, lacteſcit. *Semina* ovalia, utrinque compreſſo-plana, obtuſo-rotundata, undique marginata, glabra, hinc concaviuſcula, ſubcarinata, inde ſtriata.

PROPR. rec. radic. Odor fragrans; *ſapor* dulceſcens, aromaticus. *Sicc.* leviuſcula, ſubfriabilis, aromatica; *maſticata* in ore emollitur, ſapore dulceſcente, ſalivam vix tingens. *Semin. odor* debilis, gravis; *ſapor* intenſius gravis, empyreumaticus.

VIRTUS:

VIRTUS radicis: nutriens, diuretica. *Seminum:* diuretica.

USUS radicis: culinaris; *ſemin.* Tertiana vernalis.

OBS. 1. *Infuſum* radic. ſicc. lactеſcens, odore & ſapore Paſtinacæ debiliore, dulceſcente. E radice Paſtinacæ ſiccata, ope ſpiritus vini alcoholiſati, pauxillum Sacchari puri extraxit MARGGRAF., *Extractum* ſpirituoſum dulce. Deſtillatione elicitur e radice *olei ſtillat.* pauxillum, aromate radicis; LEWIS.

OBS. 2. Radix recens in culinis pro cibo paratur; incoquitur juſculis carnium, vel elixatur in aqua ſimplici, & editur cum embammate ex butyro acidulato. Caveant ſibi bene coqui, ne radices Hyoſcyami pro Paſtinaca per errorem ſumant, quod primo vere facile accidit, antequam folia progerminaverint.

144 PASTINACA Opoponax. LINN. *Sp. pl. 376. Mat. m. 131.*

Panax Paſtinacæ folio. MORIS. *Hiſt. 3. ſ. 9. t. 17. f. 2.*

Panaces peregrinum. DOD. *Pempt. 306. c. fig.*

Pharm. OPOPONACIS Gummi.

Locus. Europa auſtralis. *Perennis.*

FORMA. Gummi-reſina in glebulis ſ. fruſtis, rubro-luteſcens; maſſa conglomerata e grumulis & glandibus, friabilis.

PROPRIET. Odor hujus Gummi gravis ad G. ammoniacum accedens. *Sapor* amaricans, diu inhærens, nauſeoſus; *maſticatum* inter dentes primum friabile, dein ſolubile, Leviſticum referens: ſaliva lactea. Candelæ flammæ admotum accenditur cum flamma, flagrat: fumo Ammoniacum referente. Trituratione ſolvitur in aqua: ſolutione lacteſcente. In oleo expreſſo digeſtum, non

non ſolvitur nec emollitur, non mutatum manet, nec oleum tingit. In oleo expreſſo neque ſolvitur, nec emollitur, verum tingit oleum colore ſubviridi-luteſcente. Reſinoſa pars ſolvitur in ſpiritu vini: *Tinctura* luteſcente, aromate ipſius gummi. Deſtillatione *aquam ſtillatitiam* fragrantem ſiſtit.

VIRTUS: reſolvens, emmenagoga, ſubeccoprotica.

USUS. Hyſteria, Aſthma humorale.

OBS. *Extractum* aquoſum ad dimidium ponderis obtinuit NEUMANN; ſpirituoſi vero ultra unam tertiam partem.

145. ANETHUM graveolens. LINN. *Sp. pl.* 377. *Mat. m.* 147.

Anethum. PARK. *Theatr.* 886. LOB. *Hiſt.* 449. DOD. *Pempt.* 296.

Pharm. & *Culinis ANETHI* Herba, Flores, Semina.

Locus. Europa auſtralis, inter ſegetes. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix fuſiformi-cylindrica, deſcendens, ramoſa, alba. *Caules* ſæpius plures ex una radice, erecti, bipedales, glabri, undique ſtriati: ſtriis parallelis, alternis albis, glabris, rore glauco & tenui tinctis, alternis rubicundis, punctulatis; geniculatus, parcius ramoſus: ramis alternis, erectis, remotis. *Folia* ad genicula, alterna, glabra, petiolata, duplicato-pinnata: pinnis pinnatifidis: laciniis ſubulatis, acutis, ſupra planiuſculis. *Petioli* teretes, viridi-rubicundi; ſtriis albis, baſi vaginati: vagina lanceolata, concava, ſtriata, arcta, baſi amplexicauli. *Umbellæ* terminales, amplæ, planæ, nudæ, pedunculatæ; *univerſalis* circiter 30-partita; *partialis* conſimilis.

lis. *Involucrum* nullum. *COROLLA* universalis æqualis, uniformis. *Propria* lutea, petalis 5, sessilibus, ovatis, obtusis, supra carinatis, apice involutis. *STAMINA. Filam.* 5, setacea, lutea, corolla longiora, erecta. *Antheræ* trigonæ. *PISTILL. Germen* inferum, turbinatum, teretiusculum, truncatum, compressiusculum, lutescens, striatum, glabrum. *Nectarium* superum, germen tegens, ovale, luteum, convexiusculum, in medio bifidum, lobis conniventibus, persistens. *Styli* 2, brevissimi, approximati. *Stigmata* simplicia. *Semina* ovata, utrinque compresso-plana, undique striata, glabra, longitudine duarum linearum, apice tuberculo bipartito, bipartibilia.

PROPR. Foliorum recent. *Odor* gratus, fragrans; contusæ vero herbæ graviusculus, vix gratus; *Sapor* aromaticus, odori congruens, gratus; *masticata* folia calidiuscula, satis tenera sentiuntur, saliva rubicundo-viridescente. *Flores* magis aromatici, magis calidi. *Semina* aromate herbæ, odore item & sapore, at magis calida.

VIRTUS: carminativa, hypnotica, lactifera.

USUS: Colica, Vomitus.

OBS. 1. *Aqua stillat.* Anethi fragrans aromate anethi. *Oleum stillat.* colore aureo, odore anethi, graviusculo, sapore consimili, calido, & in frigore congelatur. Ex herbæ Anethi recent. libris 60, mense Septembris destillatis, olei still. unc. 1 ß obtinuit BAUMÉ, colore dilute citrino; sed e semin. Anethi sicc. libr. 4 olei still. unc. 2 accepit, præcedenti similis, sed fragrantioris.

OBS. 2. Herba Anethi tenerior in culinis adhibetur; coquitur cum carne, muræna angvilla, cancris, &c. qui inde aromate Anethi imbuuntur. Sed aviculis noxium creditur Anethum; certe semina Loxiæ Pyrrhu-

P læ

læ deleteria obſervavit P. (*). Aqua ſtillat. lectos ægrotorum inſpergunt aniculæ, ad ſomnum conciliandum.

146. ANETHUM Fœniculum. LINN. *Sp. pl.* 377. *Mat. med.* 146.

Fœniculum. DOD. *Pempt.* 291. PARKINS. *Theatr.* 884. LOB. *Hiſt.* 448. BLACKW. *Herb. t.* 288.

Pharm. FOENICULI DULCIS Radix, Herba, Semina.

Locus. Europa auſtralis, in rupibus cretaceis. *Trienne.*

FORMA. rec. Radix tenera fuſiformis, alba; adulta ramoſa. *Caules* plures ex una radice 3- vel 4-pedales, ſæpe ultra, erecti, teretes, undique ſtriati: ſtriis rubro-viridibus, longitudinalibus, alternis glabris, dilutioribus, alternis punctatis; rore glauco tincti, geniculati, ramoſi: ramis alternis. *Folia* ad genicula, ſaturate viridia, glabra, diffuſa, bipinnata: pinnis pinnatifidis: laciniis filiformibus, acutis, ſupra ſulco longitudinali, ſubtus ſtriis tribus remotis. *Petioli* teretes, undique ſtriati, baſi vaginati: vagina cylindrica, concava, undique ſulcata, baſi amplexicauli. *Umbellæ* in ramis terminales, pedunculatæ, nudæ, glabræ; *univerſalis* circiter 20-partita, ampla, concava; *partialis* conſimilis. *Involucrum* nullum. *COROLLA* univerſalis æqualis, uniformis. *Propria* lutea, petalis 5, ſeſſilibus, ovatis, obtuſis, emarginatis, ſupra carinatis, apice involutis. *Nectarium* ſuperum, germini impoſitum, luteum, carnoſum, ovale, convexum, germine paullo latius, margine crenu-

(*) *Stralſund. Magaz. p. 1. p. 56.*

nulatum, in medio bifidum, connivens, persistens. *STAMINA* lutea. *Filam.* 5, subulata, longitudine corollæ. *Antheræ* ovatæ, compressæ, didymæ. *PIST. Germen* inferum, ovato-cylindricum, truncatum, glabrum, undique striato-angulatum, viridi-lutescens. *Styli* duo, crassi, breves, erecti, ex nectario nati. *Stigm.* truncata. *Semina* ovali-linearia, tereriuscula, undique profunde sulcata, bipartibilia, 2 lineas longa.

PROPR. rec. folior. Odor debilis, nisi fricata fuerint, tunc vero fragrans, aromaticus, gratus. *Sapor* aromaticus, subdulcescens, debilior; *masticata* subsucculenta, comminuuntur, saliva rubro-viridi. *Radix* rec. & tenera, secundum aroma & saporem, herbæ conformis, sed gratior & dulcior; *adulta* vero radix debiliter aromatica. *Florum* rec. *odor* foliorum conveniens; *sapor* seminum, calidiusculus, graviusculus. *Seminum odor* aromaticus, suavis; *sapor* aromaticus, dulcescens, calidiusculus, gratus.

VIRTUS: radic. & herbæ: diuretica; *semin.* carminativa, pectoralis, lactifera.

USUS. Tormina infantum.

OBS. 1. *Oleum stillatit.* colore aqueo, odore fœniculi, sapore Fœniculi forti, subdulci, calido. In frigore congelatur, pari modo ac oleum Anisi, & butyraceum fit; sed non incipit hoc facere ante gradum 5 sub puncto congelationis in thermom. Reaumurii. E semin. fœnic. libr. 6 olei still. unc. 2 obtinuit Baumé; sed cum semin. libr. 75 unica vice destillasset, olei still. unc. 30 accepit. *Oleum expressum* mite. *Aqua still.* semin. aromatica, leniter opalescens. *Infus.* semin. aquosum, aromaticum; vitriolo martis non demutatum.

OBS. 2. Fœniculum dulce copiosissime colitur in Italia & Sicilia, quarum regionum clima plus illi con-

ciliat dulcitatis, quam in Gallia attingere poteſt, quare etiam planta junior, cum radice & herba, frequenter ibi eſtur cruda cum ſale & pane; LABAT (*). Apud nos ſemina duntaxat culinaria ſunt.

147. CARUM Carvi. LINN. *Sp. pl. 378. Mat. m. 158.*
Carum. DOD. *Pempt. 297.* LOB. *Hiſt. 418.*
Carum vulgare. PARK. *Theatr. 910.*
Apium Carvi. CRANTZ *Auſtr. 3. p. 218.**
Pharm. CARVI Semina.
Locus. Europa borealis, in pratis. *Bienne.*
FORMA. rec. Fructus ovatus, compreſſus, utrinque obtuſus, glaber, undique ſulcatus, coronatus ſtylis duobus perſiſtentibus, divaricatis, bipartibilis in *ſemina* parviuſcula, lineæ longitudine, vel paullo ultra, ſubincurva, hinc planoconcaviuſcula, carinata, inde convexa, quinquangulata: angulis pallidis; glabriuſcula, fuſcobrunnea, utrinque obtuſa.
PROPR. Odor aromaticus, ſubgraviuſculus. *Sapor* aromaticus, calidus, ſatis gratus.
VIRTUS: diſcutiens, carminativa, lactifera.
USUS: culinaris.
OBS. 1. *Oleum ſtillat.* pallide citrinum, odore Carvi, ſapore conſimili, forti, calido. Cl. BAUMÉ e ſemin. Carvi non contuſ. libr. 6 olei ſtill. unc 4 ß accepit, colore aqueo. *Aqua ſtill.* aromatica. Spiritus vini ex hiſce ſeminibus plus ſapidi, aqua vero plus odorati extrahit. *Extractum* aquoſum iners; ſpirituoſum aromaticum.
OBS. 2. Semina Carvi ſatis communiter adhibentur ad condiendum panem. Ruſtici noſtrates eſitant juſculum e pane, ſeminibus Carvi & cerevifia coctum. Deſtillatores ſeminibus Carvi utuntur in rectificatione Spi-

(*) *Voyage en Eſpagne & en Italie, t. 5. p. 167. 170.*

Spiritus frumenti, ut ille acuatur oleo ſtillatitio carvi, utpote calefaciente, unde ſpiritus fortior apparet. Tartari Nogajenſes, iter facientes, ſecum ferunt ſuum *Talcan*, h. e. farinam ſeminum Cumini, quam lacte equino, vel, hujus defectu, aqua ſimplici diluunt, & ſic ſorbent, ut unicum nutrimentum; DE LA MOTRAYE (*). Tartari Circaſſenſes panis ſpeciem parant ex ſeminibus Carvi, quam ſub cineribus coquunt (**).

OBS. 3. Vulgus colicam curare annititur ſeminibus Carvi, vel aliis carminativis. Si colica frigida, ſæpe bene procedit; ſed ſi quid inflammatorii vel bilioſi ſubeſt, cum damno ægroti ſumuntur hæc ſemina.

148. PIMPINELLA Saxifraga. LINN. *Sp. pl.* 378. *Mat. m.* 125. CAMER. *Epit.* 775.

Saxifraga parva. DOD. *Pempt.* 312.

Pimpinella ſaxifraga hircina minor. PARK. *Th.* 947.

Pharm. *PIMPINELLÆ ALBÆ* Radix, Herba, Semina.

Locus. Europa, in paſcuis ſiccis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, ſubfuſiformis, bi-vel tripollicaris vel ultra, undique alba, ſtriis annularibus approximatis rugoſa, parcius fibrilloſa; *parencymate* ſubcarnoſo, albo, poſt ſectionem transverſalem centro medullari orbiculato, radiato-ſtriato; obducto diſco albo, poris pertuſo. *Caulis* dodrantalis, erectus, ſimplex, ſuperne parce ramoſus: ramis alternis, brevibus; teres, undique ſtriatus, pubeſcens. *Folia* radicalia petiolata, patentiſſima, pinnata: pinnis oppoſitis, ſeſſilibus, ovatis, obtuſis, utrinque minutim pubeſcentibus, venuloſis, margine inciſo-ſerratis, ungviculari-

 bus,

(*) *Voyag. en Europe, Aſie &c. t. 2. p.* 43.
(**) DE LA MOTRAYE *l. c. p.* 99.

bus, patentibus; extima trifida; folia *caulina* pubeſcentia, pinnatifida: laciniis lineari-ſubulatis, acutis; quibusdam pinnatifidis. *Petioli* radicalium foliorum teretes, longiuſculi; caulini nulli, verum *vaginæ*, petioli loco, lineares, ſubmembranaceæ, glabræ, ſtriatæ, concavæ, pollicares; ſuperiores nudæ, acutæ. *Umbella* terminalis plana, in caule prior, in ramis poſterior, pedunculata, univerſalis, 12-vel 16-partita; partialis conſimilis. *Involucrum* nullum. *COR. univerſalis* æqualis, uniformis. *Propria* alba, Petalis 5, ovatis, acutis, emarginatis apparentibus ex apice inflexo, ſupra carinatis, patentibus. *Nectarium* ſuperum, germini impoſitum, album, carnoſum, ſubrotundum, convexum, bifidum, connivens. *STAM. Filam.* 5, ſubulata, alba, longitudine corollæ, patentiſſima. *Anth.* ſubrotundæ, trigonæ. *PIST. Germen* inferum, ovatum, truncatum, compreſſiuſculum, glabrum, undique ſtriatum. *Styli* 2, ſubulati, albi, erecti, breves, conniventes. *Stigm.* ſimplicia. *Semina* ovata.

PROPR. rec. radicis: Odor fragrans, ſubgraviuſculus. *Sapor* amaricans primum, *maſticata* radix ſubdulceſcens, aromatica, calida, fauces lingvamque calefaciens. *Foliorum odor* fere herbæ Angelicæ ſylveſtris; *ſapor* amaricans, ingratus. *Semina* calida.

VIRTUS: reſolvens, diaphoretica, ſtomachica, diuretica.

USUS. Anorexia, Angina feroſa.

OBS. Radix Pimpinellæ menſtruo ſpirituoſo perfecte extrahitur; aquoſo autem imperfecte. *Infuſum* aquoſum luteſcens, ſubdulceſcens, odore fere butyri frixati; vitriolo martis immixto color conſtat.

149. PIM-

149. PIMPINELLA magna. LINN. *Mantiſſ.* 2. *p.* 219.

β. Tragoſelinum majus umbella candida, radice ſuccum cæruleum fundente. DE BERGEN *Francof. p.* 180.

Daucus cyanopus. CORD. *Hiſt. p.* 155.

Saxifraga Pimpinella germanica major. CLUS. *Hiſt.* 2. *p.* 197.

Pharm. PIMPINELLÆ NIGRÆ Radix.

Locus. Marchia. Colitur ad Francofurtum. *Perennis.*

FORMA. Radix cylindrica, craſſitie digiti, palmaris, apice ramoſa, extus fuſco-nigra; *parencymate* recentis cæruleo, ſuccum cæruleum fundente.

PROPR. rec. Odor gratus; *color* nigreſcenti-cæruleus; *Sapor* dulceſcens, mite aromaticus.

VIRTUS: diuretica, reſolvens.

USUS.

OBS. 1. Radix deſtillata largitur *aquam ſtillatitiam* cæruleam, cum *oleo ſtillatitio* ſapphirini coloris, ut oleum Chamomillæ. Si radix in ſpiritu vini maceratur, & deinde deſtillatur, Spiritus colore cæruleo tingitur.

OBS. 2. Scripſit de hac radice J. A. HARNISCH (*), & 16 caſibus uſum ejus extollit in arthritide vaga, malo iſchiadico, hyſterico, anaſarca, teſticulo venereo, ſterilitate ex fluore albo, ulcere manante in genis ex morbillis retropulſis, calculo. Addit etiam, quod tabernarii & deſtillatores Francofurtenſes hac radice utuntur ad aquam vitæ colore cæruleo tingendam.

150. PIMPINELLA Aniſum. LINN. *Sp. pl.* 379. *Mat. med.* 141. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 2.

(*) *Meditat. de Pimpinella nigra.* Lipſ. 1757.

Anisum vulgare. Clus. *Hist.* 2. *p.* 202.
Anisum. Blackw. *Herb. t.* 374. Dod. *Pempt.* 297 Park. *Theatr.* 911. Lobel. *Hist.* 415.
Pharm. *ANISI* Semina.
Locus. Ægyptus. Colitur in Europa. *Annua.*
FORMA. *Semina* pedunculata, exquisite ovata, bipartibilia, minutim villosa, striata, linea vix longiora.
PROPR. *Odor* aromaticus, suaveolens. *Sapor* aromaticus, dulcescens, calidiusculus, gratus.
VIRTUS: carminativa, lactifera, pectoralis.
USUS. Tormina infantum.

OBS 1. *Oleum stillatitium* citrinum, odore Anisi, sapore dulci valide anisato, acuto. In frigore lenissimo congelatur, in substantiam albam, crystallinam, sc. gradu 12. thermom. Svecici supra punctum congelationis, sed postquam vetustum & subrancidum evasit, hanc proprietatem amittit, ut observat Baumé. Olea Anisi & Fœniculi in frigore per se congelantur, sed vix reliqua olea stillatitia, nisi addatur Sperma ceti, unde pleraque in frigore coguntur. E semin. Anisi rec. libr. 8 olei still. unc. 2 & drachm. 6 accepit idem Baumé. Sed alia vice, quando eandem quantitatem seminum destillavit, affusa aqua stillatitia anisi, olei unc. 3 ß obtinuit. *Aqua stillatitia* aromatica, grata. *Tinctura* spirituosa aromate Anisi. *Extractum* aquosum iners est, sed spirituosum efficax.

OBS. 2. Oleum Anisi præsentaneum est venenum Columbis, si paucæ guttulæ ipsarum rostro instillentur & capiti infricentur, ut observavit Rud. A. Vogel (*), & confirmavit P. (**). Haustulus olei anisi, a viro quodam degluritus, delirium subitaneum induxit, emeticis sistendum; Trew (***). 151.

(*) *Hist. Mater. med.* 161.
(**) *Stralsund. Magaz. p.* 1. *p.* 56.
(***) *Commerc. litt. Norimb.* 1743. *p.* 152.

151. APIUM Petroſelinum. Linn. *Sp. pl. 379. Mat. med. 127.*

Petroſelinum vulgare. Parkins. *Theatr. 923.*

Apium hortenſe Dodon. *Pempt. 682.*

Pharm. & *Culinis PETROSELINI* Radix, Herba, Semina.

Locus. Sardinia, juxta ſcaturigines. *Bienne.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, alba, ſpithamæa, extus rugis annularibus approximatis, *parencymate* albo, carnoſo, poſt ſectionem transverſalem centro medullari orbiculato, radiato-ſtriato, obducto diſco obſolete ſtriato-radiato, corticali parte teneriore, albidiore. *Caulis* bipedalis, erectus, teres, undique ſtriatus, glaber, ſaturate viridis, geniculatus, ſuperne ramoſus: ramis alternis, patentibus. *Folia* radicalia *primi anni*, petiolata, pinnato-ternata: pinnis longius petiolatis, tripartitis: foliolis cuneiformibus, pollicaribus, utrinque glabris, nitidis, venuloſis, planis, trifidis, margine inciſis: laciniis oblongis, obtuſiuſculis cum acumine; radicalia *ſecundi anni* duplicato-pinnata, paullo anguſtiora & minus inciſa; *caulina* alterna; *inferiora* longius petiolata, duplicato-pinnata: pinnis pinnatifidis: pinnulis ſ. laciniis linearibus, obtuſis cum acumine, planis, integris, glabris, ſuperioribus inciſis; *ſuperiora* vaginis petiolata, biternata: foliolis linearibus, integerrimis, dependentibus, petiolello intermedio duplo fere longiore; *ſumma* longe minora, ſimpliciter ternata. *Petioli* elongati, teretiuſculi, glabri, ſupra canaliculati, baſi vaginati. *Vaginæ* lanceolatæ, ſtriatæ, glabræ, margine ſubmembranaceo. *Umbellæ* terminales in ramis; *univerſalis* decempartita, plano-convexa; *partialis* patens, 20-partita. *Involu-*

crum univerſale nullum ; partiale hexaphyllum, ſæpe octophyllum: foliolis ſubulatis, compresſiuſculis, acuminatis, umbella brevioribus, inæqualibus, patentibus. *COR. univerſalis* æqualis, uniformis; *Propria* viridis, pentapetala: *petalis* ovatis, patentibus, ſupra carinatis, apice longius acuto, inflexo. *Nectarium* ſuperum, germini impoſitum, convexum, viride, lucidum, margine germine paullo latiore, crenulato, bifidum, connivens. *STAM. Filam.* 5, ſubulata, virideſcentia, corolla duplo longiora, patentia. *Antheræ* virides, ſubrotundæ, trigonæ. *PIST. Germen* viride, inferum, ovatum, compreſſum, truncatum, undique ſtriatum, glabrum. *Styli* 2, ſubulati, breves, erecti. *Stigmata* obtuſa. *Semina* lineæ longitudine, hinc plana, inde convexa, quinquangulata.

PROPRIET. radic. rec. Odor & *ſapor* leniter aromatici; *ſiccata* fragilis, ſubfriabilis; *maſticata* in ore emollitur, ſapore dulci, levius aromatico. *Herbæ rec. odor* fragrans, gratus; *ſapor* aromaticus, ſubcalidiuſculus, odori congruens; *maſticata* folia ſatis tenera, ſucculenta, lingvam & fauces debiliter calefaciunt, ſaliva rubicundo-viridi. *Semina* aromatica, calida.

VIRTUS: radicis: nutriens, aperiens, diuretica; *herbæ:* reſolvens, diuretica.

USUS: radicis: culinaris, Icterus; *herbæ rec.* Punctus apum, Suppreſſio urinæ; *ſeminum:* Pediculi.

OBS. 1. *Oleum ſtillatitium* Petroſelini dilute luteſcens, limpidum, odore Petroſelini graviuſculo, ſapore Petroſelini. Radices deſtillatæ parum olei ſtill. dant, adeo ut e Radicis libr. 200 olei ſtill. drachmæ duntaxat 2 vel 3 obtineantur, quod quidem oleum par-

partim aquæ ſupernatat, partim butyraceum eſt; e Folior. libr. 200 olei ſtill. drachmæ 10 obtinentur; e Semin. libris 3 olei ſtillat. unc. 1 elicitur; LEWIS. Aliam proportionem ſtatuit cl. BAUMÉ, qui ex herbæ Petroſel., floribus erumpentibus collectæ, libris 60 olei ſtill. unc. ß, ſaturate viridis, conſiſtentia butyri accepit. *Infuſum* aquoſum radicis ſiccatæ opaleſcens, ſapore dulci; ex vitriolo martis nihil variat color.

OBS. 2. In culinis radices recentes juſculis carnium incoquuntur. Folia recentia pariter juſculis & embammatibus immittuntur, tenuiſſime conciſa; ceterum Petroſelino etiam condiuntur piſces, olera, carnes. Aſt aviculis venenatum eſt Petroſelinum, ut plurimi obſervarunt, atque ipſe ſubinde vidi.

152. APIUM graveolens. LINN. *Sp. pl. 379. Mat. med. 128.* KNIPH. *Bot. or. cent. 5.*

Eleoſelinum. DODON. *Pempt. 683.*

Apium. BLACKW. *Herbal t. 445.*

Apium vulgare ſ. paluſtre. PARKINS. *Theatr. 926.*

Pharm. & *Culinis APII* Radix, Herba, Semina.

Locus. Europa, in humidis. *Bienne.*

FORMA. rec. Radix alba, fuſiformis, ſubovata, ramoſiſſima: ramis ſimplicibus; *parencymate* carnoſo, albo, firmo, fragiliuſculo, poſt ſectionem transverſalem marmorato. *Caules* plures ex una radice, erectiuſculi, glabri, geniculati, angulati, undique ſtriato-ſulcati, pedales, ramoſi: ramis alternis, brevibus, longitudine internodiorum, erectis. *Folia* alterna, ad genicula, petiolata, ternata: lobis cuneiformibus, inciſis, utrinque glabris, utrinque lucidis, pollicaribus; intermedio pedicellato; *ſuperiora* vaginis ſolum-

ſolummodo petiolata. *Petioli* longitudine folii, undique ſulcato-angulati, baſi vaginati: vagina parviuſcula, quinquangulari, amplexicauli, margine utrinque membranacea. *Umbellæ* in ramis terminales, unde laterales apparent, ſubſeſſiles; *univerſalis* rara, 12-partita: radiis patentibus; quorum 6 exteriores longiores, 6 vero interiores duplo minores; *partialis* 18-partita, contracta, plana. *Involucrum* univerſale nullum. *COR. univerſalis* æqualis, uniformis; *propria* alba, *petalis* 5, patentibus, ovatis, ſupra carinatis, apice inflexo. *Nectarium* ſuperum, germini impoſitum, bifidum: lobis ovatis, obtuſis, baſi truncatis, conniventibus. *STAM. Filam.* 5, capillaria, corolla longiora. *Anth.* didymæ. *PIST. Germen* inferum, ovatum, truncatum, compreſſum, ſtriatum. *Styli* nulli. *Stigmata* ſimplicia. *Semina* parviuſcula, hinc plano-concava, inde convexa, quinquangulata: angulis tribus intermediis majoribus.

PROPR. Radicis rec. Odor aromaticus, intenſior, ſubgraveolens; *Sapor* ſubdulceſcens, ſubaromaticus. *Siccata* radix fragilis, magis calida, magis graveolens: *maſticata* duriuſcula, tandem emollitur, ſapore graviuſculo. *Herbæ* rec. *odor* gravis, in Leviſticum incidens; *ſapor* aromaticus, gravis, calidus, odori congruens. *Seminum* odor gravis; ſapor ingratus, amaricans, calidus.

VIRTUS: diuretica, emmenagoga, ſubnarcotica.

USUS: radicis: culinaris.

OBS. 1. Oleum ſtillatitium ſeminum parcum, aromate ſeminum. *Extractum* ſpirituoſum radicis dulceſcens. E radice ſiccata cum alcohole vini ſaccharum obtinetur; Lewis. *OBS.* 2.

OBS. 2. In culinis ſecantur radices crudæ in taleolas, & eduntur juxta carnes aſſatas, aceto atque oleo conditæ. Quando elixantur, tenerrimæ evadunt. Herba Apii virens, cum terra tecta ſub increſcentia, luteſcens fit & ſapida.

ORDO
TRIGYNIA.

153. RHUS coriaria. LINN. *Sp. pl.* 379. *Mat. med.* 150. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 3. MUNTING. *Aardgewaſſ.* t. 107. DODON. *Pempt.* 767.

Rhus Sumach officinarum. LOBEL. *Hiſt.* 539.
Rhus ſive Sumach. BAUH. *Hiſt.* 1. *p.* 555.
Rhus obſoniorum & coriariorum. CLUS. *Hiſt.* 1. *p.* 17. PARK. *Theatr.* 1450.
Rhus folio ulmi. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 218. *t.* 52.

Pharm. SUMACH Folia, Flores, Baccæ.
Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Arbor.*
FORMA. Flores albido-luteſcentes. *Baccæ* ſubrotundæ, compreſſæ, magnitudine ſeminis Lentis, vix pubeſcentes, uniloculares. *Semen* unicum lentiforme, ſubrotundum, compreſſum, glabrum, capſulæ adnatum hilo.
PROPR. Folior. & Flor. Sapor ſtypticus. *Bacc. rec.* Sapor acidulus, ſtypticus. *Semina ſicc.* dura.
VIRTUS: Folior. & Flor. adſtringens, coriaria. *Baccar.* ſtomachica.
USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum Baccar. ſicc. fuſco-virideſcens; a vitriolo martis non alteratur.

OBS. 2.

OBS. 2. Conferitur in Europa auftrali, & furculi cubitales, e radice excrefcentes, quovis anno prope radicem cæduntur & comminuuntur, ficque opificibus ufui funt. Adeo ftyptici funt, ut bonum coriarium efficiant.

OBS. 3. *Baccæ*, olim in condimentum cibi adhibitæ, nunc in culinis obfoletæ funt. Adhuc tamen ufuales Turcis, majorum moribus pertinaciter inhærentibus, qui carnes ipfis condiunt, five folis, feu fale & Allio mixtis.

154. CASSINE Peragua. LINN. *Mantiff.* 2. *p.* 220.
Caffine foliis ovato-lanceolatis ferratis, floribus corymbofis axillaribus. MILL. *Figur. p.* 55. * *t.* 83. *f.* 1.
Pharm. PERAGUÆ Folia.
Locus. Florida, Paraguay. *Frutex.*
FORMA. Folia minutim concifa ad nos veniunt.
PROPR. Odor fuburinofus. *Sapor* amaricans, acerbus.
VIRTUS: diuretica, adftringens, corroborans.
USUS: diæteticus.

OBS. 1. *Infufum* aquofum, paratum ex folior. Peraguæ drachm. 1, & aquæ bullientis unc. 1 ß, eft odore fuburinofo, forti, fapore amaricante, acerbo, colore fufco-brunneo; vitriolo martis momento nigrefcit. Infufi hujus guttæ 10, aquæ puræ unc. ß inftillatæ, addito vitriolo martis, colorem nigro brunneum ftiterunt; guttæ vero 20 infufi, colorem penitus nigrum, in brunneum incidentem; largior demum infufi portio quafi atramentum formavit. Si infufum adhuc faturatius paratur, nigro-brunneum fit, ut potus Coffeæ, atque fubnaufeofum, vitrioloque martis addito intenfius nigrefcit. Si poftea oleum tartari p. del. fuperadditur, con-

confeſtim coagulatur mixtura, & gelatineſcit: mucilagine ſpiſſa lateribus vitri adhærente.

OBS. 2. In India occidentali haud ſecus invaluerunt folia Peraguæ ad potum diæteticum, ac folia Theæ Chinenſis in India orientali & Europa. In Peruvia & Chili infuſum debilius, ſub nomine *Maté*, paratur e foliis conciſis, vaſi e cucurbita lagenaria effićto immiſſis, aqua frigida primum emollitis, deinde addita aqua bulliente extractis, idque celeriter, ne nimis purpuraſcens evadat infuſum. Tum ſorbillatur ope cannulæ ab incolis utriusque ſexus ac conditionis, quovis mane, loco Chocolatæ, poſtea abſtinendo ab omni cibo per aliquot horas. Sunt qui etiam poſt prandium hoc infuſum bibunt. Interdum ſapori conſulunt, addendo ſuccum citri floresque aromaticos. Apportantur hæc folia conciſa e Paraguay in Peruviam, & ingens inde emergit commercium, ſingulis annis circiter ad 50000 arrobas (*) exſurgens. FREZIER; ULLOA. Sed in Florida alio modo præparatur; etenim foliis toſtis, & vaſis deinde fictilibus immiſſis, tantum aquæ calidæ affundunt, ut infuſum vinum modice rubrum referat. Hoc infuſum calidum bibunt e grandibus conchis marinis, magna delectatione, tam barbari, quam Europæi ibi degentes, quorum quidam ſe morituros credunt, ſi aliquo die non hauſerint. Poſt ſeſquihoram a potu, incredibilem urinæ dejiciunt vim, pæne per horulæ ſpatium, idque fere continuo. Quando alvum purgare volunt barbari, ſimul aquam marinam bibunt. Ceterum mos apud hos invaluit, ut comitia ſua ordiantur hocce infuſo, quod bibunt cuncti, incipiente duce. Credunt nimirum, illud virtute corroborante ſimul & nutriente pollere; unde ſpondent ſe per integrum nycthemeron potu & cibo carere poſſe, poſtquam hoc infuſum largius hauſerunt; atque ideo in excurſionibus bel-

(*) Una Arroba continet 25 libras.

bellicis ſæpe ſolam Caſſinem vel ejus infuſum ſecum portant. De Laët; De Mourgues; Bossu.

155. SAMBUCUS Ebulus. Linn. *Sp. pl. 385. Mat. med. 149.*

Sambucus caule herbaceo ramoſo foliis dentatis. Mill. *Figur. t. 226.*

Ebulus. Dod. *Pempt. 377.* Zannich. *Venez. t. 286.* Camer. *Epit. 979.* Dalech. *Hiſt. 1. p. 269.* Blackw. *Herb t. 488.*

Pharm. EBULI Radix, Folia, Flores, Baccæ.

Locus. Europa. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix teretiuſcula, repens, ſubcarnoſa, elongata, craſſitie digiti vel ultra, alba. *Caulis* orgyalis, herbaceus, teretiuſculus, glaber, undique ſtriato-ſulcatus, ſubgeniculatus: geniculis compreſſis; ſuperne ramoſus, ramis oppoſitis, erectis. *Folia* oppoſita, pinnata, quadrijuga cum impari: foliolis lanceolatis, baſi inæqualibus, ſpithamæis, acutis, venuloſis, ſupra glabris, ſubtus pubeſcentibus, glaucis, margine ſerratis, æqualibus; impari paullo majore; caulina folia petiolata; ſumma ſubſeſſilia. *Petioli* teretes, undique ſtriato-angulati. *Stipulæ:* foliola quatuor oppoſita, petiolata, cordata, acuta, ſerrata; quarum ſupremæ falcatæ; *partiales*, h. e. ad pinnas foliorum (excepto infimo pari) binæ, ſubæquales, reliquis ſimiles, verum minores. *Corymbus* terminalis, tripartitus, baſi folioſus: ramis ſubnudis; exterioribus teretiuſculis, ſupra 5-ſtriatis; intermedio compreſſo, undique ſtriato-ſulcato; corymbus compoſitus e *cymis* pluribus pedunculatis, nudis, faſtigiatis, floribus pedicellatis. *Bracteæ* ſolitariæ, lineari-ſubulatæ, ſubſerrulatæ, ad ramos cymarum; longe

ge minores ad pedicellos. *CAL. Perianth.* margo ſuperus, parvus, 5-dentatus: dentibus ovato-acutis, erectis, purpureis. *COR.* monopetala, albida. *Tubus* brevis, craſſus. *Limbus* profunde 5-fidus: laciniis lanceolatis, acutis, margine undique inflexo concaviuſculis, apice inflexo obtuſis, ſuperne extus purpureis, rugoſis, patentibus, intus albis. *STAM. Filam.* 5, tereticuſcula, craſſa, rugoſa, alba, tubo inſerta, longitudine corollæ. *Anth.* geminæ, parallelæ, teretiuſculæ, acutæ, ſupra ſulcatæ. *PIST. Germen* inferum, turbinatum, glabrum. *Styli* nulli. *Stigm.* 3, reniformia, in apice germinis picta. *Baccæ* orbiculatæ, apice depreſſæ, umbilico parvo 5-fido, adpreſſo, undique glabræ, nitidiuſculæ, nigricantes, magnitudine ſeminis Piſi minoris; *parencymate* ſuccoſo, purpureo, triſpermo. *Semina* undique rugoſa, ovata, ſubtrigona, dorſo convexa, antice ſubcarinata.

PROPR. Radicis ſicc. Odor debilis; *ſapor* amarus, ingratus, nauſeoſus; *maſticata* ſublignea ſentitur. *Folior.* rec. *odor* fœtidus; *ſapor* initio fœtidiuſculus; *maſticata* intenſius amara & valde nauſeoſa, ſaliva ſaturate rubro-virideſcente. *Flor.* rec. *odor* foliis congruens, at gratior; *ſapor* intenſius amarus, ſed poſtea fœtidiuſculus. *Baccar. rec. odor* nullus; *ſapor* acidulo-amaricans; *maſticatæ* ſuccoſæ, ſaliva purpurea. *Succus* baccarum recens, chartæ albæ illinitus, illam colore pulchre violaceo inficit.

VIRTUS: radic. rec. purgans hydragoga, emetica, diuretica; *folior.* reſolvens; *flor.* ſudorifera; *Baccar.* diuretica; *ſemin.* diuretica, ſubemetica.

USUS: Hydrops.

OBS. 1. Semina, in aqua macerata, *oleum expreſſum* dant.

OBS. 2. *Infusum* radicis sicc. aquosum rubescens, amaricans, subaromaticum; vitriolo martis haud demutatum.

OBS. 3. *Decoctum* corticis Ebuli amarum est, & haustum fortem vomitum cum purgatione alvi facit. Urinam etiam movet, sæpeque curam persolvit in hydrope, ubi alia remedia fefellerunt. BROCKLESBY (*).

156. SAMBUCUS nigra. LINN. *Sp. pl. 385. Mat. med. 148.* OEDER *Icon. t. 545.*

Sambucus vulgaris. BAUH. *Hist. 1. p. 544.* DUHAM. *Arbr. 2. p. 253. t. 65.*

Sambucus. BLACKW. *Herb. t. 151.* DODON. *Pempt. 832.* DALECH. *Hist. 1. p. 266.* CAMERAR. *Epit. 975.*

Sambucus fructu in umbella nigro. ZANNICH. *Venez. t. 265.*

Sambucus flore albo. MERIAN. *Eruc. ort. p. 24. t. 64.*

Pharm. *SAMBUCI* Cortex interior, Folia, Flores, Baccæ, Semina.

Locus. Europa. *Frutex excelsior, arborescens.*

FORMA. rec. Caulis fruticoso-arboreus. *Rami* cinerei, scabridi: punctis sparsis, elevatis. *Ramuli* oppositi, teretes, geniculati, viridescentes, erecti, scabridi. *Folia* in ramulis solum, ad genicula opposita, petiolata, pinnata: pinnis ovato-oblongis, acutis, serratis, minutim ciliatis, glabris, venosis, subtus venis scabridis, bipollicaribus; inferiora folia in ramulis sensim minora. *Petioli* teretiusculi, pubescenti-scabri, supra canaliculati, subtus convexi, striati, angulati: angulis albidis, emarcidis, basi petioli incrassatis, subtus amplexicaulibus, se invicem inter-

(*) *Oeconomic. and Medical observations, p 277.*

intercuſſantibus. *Cyma* terminalis, convexo-plana, ampla, nutans, decompoſita, alba, ſcabrida, nuda, pedunculata: pedunculo palmari, cylindrico, undique ſtriato-angulato, albo, ſcabrido. *Flores* albi, ſeſſiles & pedicellati. *CAL. Perianth.* ſuperum, parvum, album, 5-dentatum: laciniis ovatis, acutiuſculis, minutim ciliatis, ſubtus pubeſcentibus. *COR.* rotata, utrinque plana, nivea, quinquefida: laciniis ovatis, obtuſis. *Tubus* nullus. *Stam. Filam.* 5, alba, intra ſinus corollæ adnata, ſubulata, corollæ longitudine, patentiſſima. *Anth.* luteæ, didymæ. *PIST. Germen* inferum turbinatum, glabrum, albidum; ſuperum ovatum, glabrum, niveum, longitudine calycis. *Styli* nulli. *Stigmata* 3, ſubrotunda, carnoſa, alba. *Baccæ* magnitudine ſeminis Piſi minoris, ovales, nigræ, nitidiuſculæ, apice obtuſæ, ſubmucronatæ, umbilicatæ: umbilico convexo, ſtellato: radiis quinque obtuſis; *parencymate* ſuccoſo, triſpermo. *Semina* approximata, ovali-linearia, utrinque obtuſa, utrinque plano-convexiuſcula, minutim rugoſa, linea paullo longiora, cruſta ſuboſſea, fragiliuſcula, intra baccam obducta ſucco ſubgelatinoſo.

PROPR. Corticis intermed. rec. *color* viridis; *ſapor* primum dulceſcens, dein amaricans, acris, nauſeoſus. *Folior. rec. odor* fœtidus; *ſapor* herbaceus, graviuſculus, nauſeoſus. *Florum* rec. *odor* fragrans, fœtidiuſculus, ſubnauſeoſus; *ſapor* amaricans, odori congruens; *ſicc.* flores conſimiles, fere fortiores. *Baccar.* rec. *odor* debilior; *ſapor* acidulus; *maſticatæ* non ingratæ, ſuccoſæ, ſaliva purpuraſcente. *Succus* baccarum virideſcenti-rubicundus, non tingens; ſed pulpa

mollis, tenuis, corticem baccæ latere interiore obliniens, charta alba fricatus, illam, pariter ac manus quibus tractatur, violaceo colore inficit, pertinaciter inhærente.

VIRTUS: Corticis rec. purgans, hydragoga, ſubemetica; *Folior. rec.* purgans, reſolvens; *Flor. ſicc.* diaphoretica, lactifera, diſcutiens; *rec.* eccoprotica; *Baccarum:* ſudorifera, refrigerans; *Semin.* purgans.

USUS: corticis: Hydrops; *fol. rec.* Tumores œdematoſi; Hæmorrhoides cæcæ; *Flor. & baccar.* Eryſipelas, Febres, Rheumatiſmus, Arthritis, Exanthemata.

OBS. 1. *Infuſum florum* aquoſum rubrum, fragrans aromate florum, vix amaricans; cum vitriolo martis nigreſcit; infuſum *baccar.* ſicc. nigro-rubicundum, odore & ſapore ut rob ſambuci; dilutum aqua pura rubrum; cum vitriolo martis purpuraſcit. *Flores* deſtillatione dant *aquam ſtill.* fragrantem, & pauxillum *olei ſtill.* butyracei, ut docet Lewis. *Semina*, perinde ut Ebuli ſemina, *oleum expreſſum* dant.

OBS. 2. *Rob* ſambuci e baccis maturis parari debet. Succus expreſſus baccarum, addito Saccharo, caute evaporandus in mellis ſpiſſitudinem. Acidulum eſt rob, obſcure rubrum, ſatis gratum. Bacc. Sambuci libræ 15 Rob circiter libr. 2 dant.

OBS. 3. Baccæ recentes, addito ſaccharo, cum vel ſine aromatibus, l. a. fermentatæ, *vinum* præbent; v. Haller (*); ſed liquorem vinoſum, quem ego præparavi, nauſeoſum deprehendi. *Spiritus* æque bene ex hiſce baccis, ac ex plurimis fructibus pulpoſis, elici poteſt.

OBS. 4.

(*) *Hiſt. ſtirp. Helvet. p.* 299.

OBS. 4. Uſitatiſſimi ſunt flores Sambuci in praxi medica, atque ſub forma infuſi frequenter bibuntur in Eryſipelate, Rheumatiſmis, Variolis, &c. Siccati externe applicantur eryſipelati, œdemati, rheumatiſmis; plerumque tamen commiſcentur cum floribus Chamomillæ vulgaris. Succus corticis præclara præſtat in Hydrope, ſed nauſeoſus eſt & identidem emeſin movet. Rob ſambuci ad plures uncias ſumitur, ubi ſudandum. Medicina eſt domeſtica in Svecia, certe permultum opportuna, quippe quæ refrigerans, ſimulque ſudorem pellens & ſublaxans eſt.

OBS. 5. De Sambuco ſcripſit MART. BLOCHWICH (*). Remedia ſambucina, quæ a variis partibus hujus arboris præparari poſſunt, deſcripſit, quibus ſubjunxit uſum in diverſis morbis. Latine conſcriptus liber, ſed in lingvam Anglicam translatus, & a Societate regia ſcientiarum Anglica commendatus.

157. TAMARIX gallica. LINN. *Sp. pl.* 386. *Mat. med.* 154. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 2.
Tamarix floribus pentandris. MILL. *Figur. p.* 175. *t.* 262. *f.* 1.
Tamariſcus narbonnenſis. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 300. *t.* 84. ZANNICH. *Venez. t.* 186. *f.* 1. LOB. *Icon.* 2. *p.* 218.
Tamariſcus. BLACKW. *Herb. t.* 331.
Pharm. TAMARISCI Cortex.
Locus. Europa auſtralis. *Frutex.*
FORMA. ſicc. Cortex extus fuſco-cineraſcens, glabriuſculus, ſemiconvolutus, latere interiore fuſco-rufeſcens, lineolis elevatis abruptis undique ſcaber, parum craſſus.

(*) *Anatomia Sambuci, or the anatomy of the Elder &c.* Lond. 1677.

PROPR. ficc. Odor vix ullus. *Sapor* leviter austerus; *masticatus* salivam rubro tingit.

VIRTUS: adstringens.

USUS.

OBS. 1. *Infusum* aquosum saturate rubrum, ut vinum gallicum rubrum pauxillum dilutum, sapore subaustero. *Decoctum* aquosum nigricans, ingratum, subausterum; vitriolo martis infusum & decoctum protenus nigrescunt.

OBS. 2. Cineres ligni Tamaricis gallicæ elixiviatos verum Sal mirabile Glauberi dare, statuit cl. MONTET (*).

OBS. 3. Omnes medici Tamariscum ut bonum aperiens respiciunt; & vero veteres lienem consumturum crediderunt.

ORDO
TETRAGYNIA.

158. PARNASSIA palustris. LINN. *Sp. pl.* 391. *Mat. med.* 155. ZANNICH. *Venez. t.* 51.

Hepatica alba. GESNER. *Fasc. p.* 9. *t.* 4. *f.* 11.

Gramen Parnassi. LOBEL. *Hist.* 330. GESNER. *Icon.* 122. *t.* 17. *f.* 145.

Gramen Parnasium. DOD. *Pempt.* 554.

Pharm. HEPATICÆ ALBÆ Herba.

Locus. Europa, in uliginosis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix bulbosa; bulbis aggregatis, magnitudine vix seminis Pisi, fibris filiformibus, radicantibus. *Caules* plures aggregati, filiformes, simplicissimi, pentagoni, glabri, adspersi atomis sparsis, subnudi. *Folia* subcarnosa, cordata, obtusa, glabra, semipollicaria; radicalia

(*) *Memoir. de l'Academ. des sciences*, 1757. *p.* 555.

calia petiolata; caulinum ſolitarium, in medio caulis ſeſſile. *Petioli* triquetri, baſi membranacei. *Flos* terminalis, ſolitarius, erectus. *CAL. Perianth.* glabrum, quinquepartitum: laciniis ovato-oblongis, obtuſiuſculis, decurrentibus, patentibus, nervis lucidis pictis; perſiſtens. *COR.* alba. *Petala* 5, ovata, obtuſa, lineata, patentia, calyce duplo longiora, ſeſſilia. *Nectarium: Squamæ* 5, perſiſtentes, ſpathulatæ, calyce breviores, inferne albæ, ſuperne luteſcentes, inſtructæ filamentis circiter 13 vel 16, ſubulatis, longitudine fere ſtaminum, quorum intermedia ſenſim longiora; ſingula terminata glandula virideſcente, ſubdiaphana; quarum inferiores ſubrotundæ, ſuperiores conicæ.. *STAM. Filam.* 5, ſubulata, alba, corolla breviora, erecta. *Antheræ* oblongæ, ſulcatæ, incumbentes. *PIST. Germen* ſuperum, magnum, albidum, conicum, glabrum. *Stylus* nullus. *Stigmata* 4, obtuſa.

PROPR. ſicc. ſubinſipida, inodora; *rec. odor* debilis; *ſapor* amaricans.

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum herbæ ſicc. & rec. rubicundum, ſapore amaricante; vitriolo martis nigro-purpuraſcens. *Infuſ.* florum dilutius, vitriolo martis pariter nigreſcit.

ORDO
PENTAGYNIA.

159. STATICE Limonium. LINN. *Sp. pl. 394. Mat. med. 159.*

Limonium. BLACKW. *Herb. t. 481.*

Limonium Behen rubrum. LOBEL. *Hiſt. 157.*

Pharm. *BEHEN RUBRI* Radix.

Locus. Arabia. *Perennis.*

FORMA. ſicc. *Radix* cylindrica, craſſitie pollicis vel ultra, rugoſa, transverſaliter minutim ſtriata, in fruſtula palmaria vel ultra ſecta; *parencymate* ſolidiuſculo. rubicundo.

PROPR. *Odor* debilis. *Sapor* leniter auſterus.

VIRTUS: adſtringens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum obſcure ſangvineum, ſapore ſtyptico; dilutum pulchre rubrum; vitriolo martis illico nigreſcit.

160. LINUM uſitatiſſimum. LINN. *Sp. pl.* 397. *Mat. med.* 156. KNIPH. *Bot. or. cent.* 9.

Linum ſativum. DODON. *Pempt.* 524.

Linum. BLACKW. *Herb. t.* 160.

Pharm. *LINI SATIVI* Semina; Oleum expreſſum.

Locus. Europa auſtralis, inter ſegetes. Conſeritur in agris. *Annuum.*

FORMA *Semina* ovato-oblonga, compreſſa, apice ſenſim attenuata, obtuſiuſcula, lævia, nitida; linea paullo longiora, olivacea.

PROPR. *Odor* vix ullus; *ſapor* fatuus; *maſticata* mucilaginoſa.

VIRTUS: relaxans, emolliens, obtundens.

USUS. *olei:* Paſſio iliaca, Pleuritis, Colica nephritica, Hæmoptyſis a calculo pulmonum, Teneſmus; *ſemin. farinæ:* Tumores emolliendi, Hernia incarcerata, Angina, Stranguria.

OBS. 1. Semina integra, aquæ ferventi in balneo immiſſa, *mucilaginem* dant, eamque limpidiſſimam, ſubinſipidam; in aqua vero frigida infuſa, absque balneo, loco frigido, mucilaginem non dant. Si Semin. drachm.

drachm. 5 in aquæ fervidæ unc. 6 infunduntur, infusum fit limpidum, colore subaqueo, odore & sapore debili seminum Lini, mucilaginosum, in fila ductile.

OBS. 2. *Oleum* semin. Lini frigide expressum luteo-viridescens, mucilaginoso-pingve, ingratum. E semin. Lini libr. 1 obtinetur olei expr. unc. 2 ß. Hoc oleum in frigore non cogitur, quare facile rancescit; sed medebitur rancori, si cum aqua tepida probe agitetur. De præstantia olei Lini in passione iliaca pulchre disseruit cl. J. G. Gallesky (*). Utilissima certe est praxis, oleum Lini recens in volvulo propinare, una cum balneis tepidis frequenter adhibitis. Sæpe oleum Lini in hoc morbo purgat, ubi drastica fallunt.

OBS. 3. *Vernicem* oppido eximiam, elegantis Chinensis tantum non æmulam, ex oleo Lini parant incolæ tractus Sibiriæ circa Newjansk, quam variis utensilibus cupreis, ferreis & ligneis, ut vasculis pro Thea, pateris, hypocrateris &c., imponunt. Compositionem methodumque applicandi docuit cel. P. S. Pallas (**). Scilicet coquunt oleum Lini cum Lithargyrio, usquedum spissescat, tum adjiciunt fuliginis q. s. ad nigredinem justam. Postea debent hæc bene digeri in furno calido, per aliquod tempus, ut eo intimior evadat mixtio. Atque hanc vernicem digitorum ope vasculis deinde tenuissime illiniunt, idque sæpius, octies vel decies, iterant, semper observando, quod vascula, post singulum linimentum, in furno calido siccanda sint.

161. LINUM catharticum. Linn. *Sp. pl. 401. Mat. med. 157.* Kniph. *Bot. orig. cent. 8.* Blackw. *Herb. t. 368.*

Linum pratense flosculis exiguis. Zannich. *Venez. t. 258.*

(*) *von Miserere oder von der Darmgicht.* Mietau 1767.

(**) *Reise durch verschied. provintzen des Russisch. Reichs,* T. 2. p. 187.

Spergula bifolia Lini capitulis. LOESEL. *Pruſſ.* *261. t. 86.*

Pharm. *LINI CATHARTICI* Herba.

Locus. Europa ſeptentrionalis, in paſcuis humidiuſculis. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix filiformis, deſcendens, apice fibrilloſa. *Caulis* filiformis, palmaris vel ſpithamæus pro diverſitate ſoli, erectus, teres, glaber, inferne ſimplex, ſuperne dichotomus: ramis patulis. *Folia* semiungvicularia, oppoſita, ſeſſilia, ovali-linearia, acutiuſcula, glabra, nervo longitudinali ſubcarinata, integerrima, erecta, internodiis breviora; inferiora proximiora. *Flores* pedunculati, paniculati, terminales. *Bracteæ* lineares, oppoſitæ, ad pedicellos, illisque breviores. *CAL. Perianth.* 5-partitum: foliolis ovato-oblongis, acuminatis, glabris, minutim ciliatis, concavis, carinatis, æqualibus, erectis, perſiſtentibus. *COR.* campanulata, pentapetala, alba, inferne luteſcens, decidua; *petalis* ſubſeſſilibus, cuneiformibus, obtuſis, trinerviis, calyce duplo longioribus, erecto-patentibus. *STAM. Filam.* 5, membranacea, inferne latiora, ovata, imbricata in tubum ovatum, ſuperne ſubulata, longitudine calycis. *Anth.* ſubrotundæ. *PIST. Germen* ovatum, viride, glabrum, ſubangulatum. *Styli* 5, capillares, longitudine ſtaminum. *Stigmata* ſubrotunda, lutea. *Capſula* globoſa, veſtita calyce, pentagona: angulis rotundatis, ſulcatis; decemlocularis, quinquevalvis. *Semina* in ſingulo loculamento ſolitaria, ovato-acuta, compreſſa, nitida.

PROPR. rec. *Odor* debilis; *ſapor* amarus, ſubacris. Herba recens *maſticata* tenax eſt, & vix comminuitur.

VIR-

VIRTUS: purgans.
USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum herbæ rec. colore potum Theæ refert, luteſcens, odore nullo, ſapore intenſius amaro; vitriolo martis nigreſcit.

162. DROSERA rotundifolia. LINN. *Sp. pl. 402. Mat. med. 158.*

Ros ſolis. BLACKW. *Herb. t. 432.* DOD. *Pempt. 471.*

Rorida ſ. ſolis ros. LOB. *Hiſt. 472.*

Pharm. ROSSOLIS Herba.

Locus. Europa, America ſeptentrionalis, in paludibus. *Biennis.*

FORMA. rec. Radix filiformis, fibroſa, nigricans. *Folia* radicalia omnia, petiolata, orbiculata, dilute virideſcentia, lineas 2 longa, ſubtus glabra, ſupra hirta: pilis brevibus capitulatis; margine ciliata: pilis ſubulatis, mollibus, capitulatis, ſupra diſcum folii prope marginem expanſis; teneriora folia minora, ciliis & pilis omnibus inflexis, diſcum folii glabrum tegentibus. *Petioli* teretes, hirſuti, patentiſſimi, foliis duplo longiores, baſi inſtructi ungve lineari-plano, glabro, petiolo latiore; penicillo ſetarum mollium longiore ſupra, ſtipulæ loco, ad ungves petiolorum. *Scapus* radicalis, palmaris, ſpadiceus, erectus, filiformis, teres, glaber, ſimpliciſſimus. *Racemus* terminalis, erectus, ſecundus, floribus pedunculatis. *CAL. Perianthium* monophyllum, glabrum, tubo brevi turbinato, minutim quinquangulato, limbo quinquefido, tubo longiore: laciniis linearibus, obtuſis, erectis, minutim venuloſis. *COROLLA* pentapetala, alba, calyce paullo major. *STAMINA. Filam.* 5, ſubulata, longitudine calycis,

lycis; *Anth.* parviusculæ. *PIST. Germen* subrotundum. *Styli* 5, longitudine staminum. *Stigmata* simplicia.

PROPR. rec. *Odor* nullus; *sapor* leniter acidulus & amaricans, acriusculus, substypticus.

VIRTUS.

USUS.

OBS. *Infusum* herbæ rec. lutescens, odore paludoso, sapore debili; vitriolo martis fusco-nigrescit.

CLAS-

CLASSIS VI.

HEXANDRIA.

ORDO

MONOGYNIA.

163. ALLIUM Porrum. LINN. *Sp. pl.* 427. *Mat. med.* 165.

Porrum. BLACKW. *Herb. t.* 421. DODON. *Pempt.* 677.

Porrum ſativum latifolium. MORIS. *Hiſt.* 2. *ſ.* 4. *t.* 15. *f.* 2.

Porrum vulgare. LOBEL. *Hiſt.* 77.

Purio *Svecis.*

Pharm. PORRI Semina.

Culinis PORRI radix.

Locus. Colitur ubique, *Bienne.*

FORMA. rec. Bulbus conicus, bipollicaris vel ultra, albus, ſtriatus, baſi undique ſulcatus, vaginis membranaceis veſtitus; radicans fibris pluribus albis, deſcendentibus. *Parencyma* album, carnoſum, tunicatum, transverſaliter ſectum centro medullari ſubrotundo.

PROPR. radic. Odor fragrans. *Sapor* ſubdulceſcens, fragrans, mitius acris.

VIRTUS: alexiteria, diaphoretica.

USUS: culinaris.

OBS. Radices Porri juſculis carnium frequenter incoqui ſolent.

164. ALLIUM Victorialis. LINN. *Sp. pl.* 424. *Mat. m.* 163.

Allium radice oblonga, reticulo obducta, foliis ovato-lanceolatis, umbella sphærica. HALLER *Stirp. Helv.* 2. *p.* 111.

Victorialis longa. CLUS. *Hist.* 1. *p.* 189.

Allium angvinum. CAMERAR. *Epit.* 329.

Pharm. VICTORIALIS LONGÆ Radix.

Locus. Alpes Helveticæ. *Perenne.*

FORMA. sicc. Bulbus simplex, vel plures paralleli, cylindricus, fibrillosus, rugis annularibus profundis undique cinctus, hirsutus, involutus *vaginis* numerosis, reticularibus, siccis, singulari spectaculo.

PROPR. Rad. rec. Odor alliaceus; *siccata* radix, &, ut in officinis nostris provenit, effœta, insipida, inodora, cariosa.

VIRTUS: Allii sativi, si recens, sed debilior.

USUS.

165. ALLIUM sativum. LINN. *Sp. pl.* 425. *Mat. m.* 164. MORIS. *Hist.* 2. *s.* 4. *t.* 15. *f.* 9.

Allium. CAMERAR. *Epit.* 328. DODON. *Pempt.* 671. LOBEL. *Hist.* 80.

Hvitlök *Svecis.*

Pharm. & *Culinis ALLII* Radix.

Locus. Sicilia. Colitur frequenter in hortis. *Perenne.*

FORMA. rec. Bulbus subrotundus, obvelatus tunica integra, quadrivalvi, sicca, chartacea, alba; conflatus ex bulbulis plurimis, duplici vel triplici ordine fasciculorum: singulo fasciculo propria tunica obvelato. *Bulbuli* circiter 5 vel 6, subæquales, paralleli, oblongi, incurvi, acuti, hinc plani, inde convexi, singuli propria tunica

nica involuti, bivalvi: valvula exteriore chartacea; interiore tenui. Bulbuli in fasciculo supremo, membrana vaginiformi interstincti. *Parencyma* album, carnosum, spongiosum, subvariegatum, succo limpidissimo prægnans.

PROPR. rec. bulb. Odor fragrans, validus, graveolens. *Sapor* subdulcescens, acris; *masticatus* comminuitur, halitu oris fragrantissimo, diu inhærente. Succus, quem radix concisa plorat, si digitis fricetur, siccatur, illosque splendentes facit; si chartæ albæ illinitur, illam rigidam facit, postquam siccatus est, atque etiam diaphanam, perinde ac si oleo fricata fuisset.

VIRTUS: alexiteria, emmenagoga, diuretica, diaphoretica, epispastica, maturans, anthelminthica, pectoralis, stomachica.

USUS. Hysteria, Colica frigida, Tussis, Tænia, Hydrops, Herpes, Cophosis.

OBS. 1. *Decoctum* Allii, ebullitione protracta, odorem allii deponit, & odorem Cepæ coctæ assumit, atque dulcescens fit; saporem tamen Allii retinet, turbidum evadit & spissiusculum, sed non viscosum; vitriolo martis affuso color persistit, sed mucilaginosum præcipitatur, quod etiam fit cum spiritu vini rectificato. *Oleum stillat.* fragrantissimum, citrinum, in aqua subsidens. Ex Allii decortic. libr. 6 olei still. drachmam 1 accepit cl. SPIELMANN.

OBS. 2. In culinis nostris Allium parcius adhibetur. Sunt qui carnes assatas Allio distingvunt condiuntque. Condiuntur etiam Cucumeres sæpe Allio & semin. Sinapios.

OBS. 3. Quoniam transpirationem alit allium, nautis maxime prodest. In febribus quoque autumnalibus repullulantibus præclara identidem præstat. Vidi plures eodem curatos, etiam quos Quartana vexaverat. Incipi-

cipiendum a bulbulo unico mane & vefperi, fed quotidie unus bulbulus fuperaddendus, usquedum 4 vel 5 bulbulos fumferit æger qualibet vice. Si febris tunc evanuit, diminuenda erit dofis, & fufficit poftea fumere unicum, vel etiam binos bulbulos, mane & vefperi, per plures feptimanas. Serum lactis alliatum in tuffi valde fructuofum eft. Succus allii, herpeti illinitus, fæpe curat. In furditate rheumatica fæpius levamen attulit, lanam bombycinam fucco allii imbibere, illamque auri intrudere, repetitis vicibus per diem unicum. Meatus auditorius inde rubet, dolet & fenfibilis fit per diem unum alterumque, tum prurit, tandemque defquamatur, redeunte fæpe auditu. Sunt qui bulbulum allii deglutiunt femel vel bis de die, ad ftomachum firmandum, flatusque difcutiendos, atque colicæ frigidæ occurrendum. Gallinis faluberrimum Allium eft, & a Pavonibus maxime expetitum.

166. ALLIUM Cepa. LINN. *Sp. pl. 431. Mat. m. 166.*

Cepa rotunda. DODON. *Pempt. 675.*

Rödlök *Svecis.*

Pharm. & *Culinis CEPÆ* Radix.

Locus. Seritur ubique in hortis. *Bienne.*

FORMA. rec. Bulbus orbiculatus, depreffus, ruber, magnitudine Rapæ minoris, undique tectus membrana corticali chartacea, glabra, ftriis longitudinalibus undique picta. Varietas *alba* paullo major eft, fubrotunda, non depreffa. *Parencyma* incarnatum, carnofum, fragile, tunicatum: tunicis carnofis, concentricis; Cepæ *albæ* albisfimum, mollius, magis dulcefcens. Radix virens, menfe Julii & Augufti transverfaliter fecta, *lactefcit.* In menfe Augufti lacteus hic fuccus magis fpiffefcit, inftar lactis. *PRO-*

PROPRIET. Odor fragrans, validior. *Sapor* ſubdulceſcens, acris, odori congruens. Reſciſſa radix oculos volatili ſuo ferit & lachrymantes facit.

VIRTUS: ſtimulans, rubefaciens, maturans, alexiteria, diaphoretica, diuretica; *cocta* ſ. aſſata radix mitior.

USUS: culinaris; Tumores maturandi.

OBS. 1. Cepæ recentes deſtillatæ dant aquam ſtill. fragrantem, vix acrem, & nullum olei ſtill. veſtigium obſervare potuerunt cl. SPIELMANN & NEUMANN.

OBS. 2. Cepæ uſus in culinis frequens eſt & multiplex. Certe condimentum ſatis præſtans. Conſervatur bene Cepa, ſi in ſalſugine maceretur, & deinde in aceto vini coquatur.

167. ALLIUM Scorodopraſum. LINN. *Sp. pl.* 425. β.

Allii genus Ophioſcorodon dictum quibusdam. BAUH. *Hiſt.* 2. *p.* 559. *c. fig.*

Scorodopraſum 2. CLUS. *Hiſt.* 191. *c. fig.*

Rocambole *vulgo.*

Culinis SCORODOPRASI Radix, Bulbuli.

Locus. Colitur ubique in hortis. *Bienne.*

FORMA. rec. Bulbus ſubgloboſus, magnitudine ovi columbini, obductus tunica cineraſcente, bivalvi, ſicca, nervoſa; baſi fibris radicans, apice obtuſo-rotundatus, ſolidus, albus, extus notatus ſtriis longitudinalibus, parallelis. *Parencyma* carnoſum, album, ſubſucculentum; poſt ſectionem transverſalem centro medullari oblongo, obſoleto. *Capitulum* ſubrotundum, magnitudine ovuli, bulbiferum: *bulbulis* turbinatis, obtuſis, inferne pallidis, ſuperne purpureis, glabris, lineis fuſcis ſtriatis, ungviculáribus; *parencymate*

te albido-luteſcente, carnoſo; transverſaliter ſecto centro medullari ſubrotundo, parvo, viridi. *Spatha univerſalis* lanceolata, acuta, membranacea, alba, capitulo longior; *partiales* plurimæ, lineari-lanceolatæ, bulbulis multo longiores, pariter membranaceæ, albæ; ſingulæ ſingulos diſtinguentes bulbulos. *Rudimentum* florum pedunculatorum intra bulbulos.

PROPR. radic. Odor fragrans, in allium ſativum incidens. *Sapor* acerrimus, amaricans, ſubcepaceus, graviuſculus. *Maſticata* comminuitur, valde pungit in lingva & faucibus. *Bulbulor.* radicis proprietati conformis.

VIRTUS: ſtimulans, rubefaciens, ſtomachica, diaphoretica, diuretica.

USUS: culinaris.

OBS. Hujus in culinis noſtris uſus rarior. Adhibetur ut cibi condimentum; ſed nimis fortis inasſvetis hæc ſpecies Allii. Radix & bulbuli promiſcue ſumuntur.

168. ALLIUM aſcalonicum. LINN. *Sp. pl. 429.*
Cepa aſcalonica. MORIS. *Hiſt. 2. p. 383. ſ. 4. t. 14. f. 3.*
Eſchallottes *vulgo.*
Culinis CEPÆ ASCALONICÆ Radix.
Locus. Palæſtina. Colitur ubique in hortis.

FORMA. rec. Bulbi plures congeſti, ovati, laterales minores, ſubcompreſſi, magnitudine nucis avellanæ; centrali majore, fere ut ovum columbinum; undique obducti tunica duplici, ſingula integra, libera, glabra; exteriore rubro-ferruginea ſ. colore ſtramineo, nitidiuſcula, longitudinaliter ſtriata; interiore nervoſa: nervis parallelis, diſtantibus; intra quas membrana tenuis, bul-

bulbo adpreſſa. *Parencyma* carnoſum, ſubdiaphanum, dilute cærulefcens; poſt ſectionem transverſalem centro medullari ovato ſ. orbiculato, ſæpe duplici, libero, cincto diſco conformi.

PROPR. Odor Cepæ, at gratior, oculos non ita fortiter feriens. *Sapor* Cepæ, ſed mitior, leniter acris, vix ſubamaricans. *Maſticata* inter dentes ſubcrepula, tenera. Bulbus vigens parce lacteſcit.

VIRTUS: ſtimulans, rubefaciens, ſtomachica, diaphoretica, diuretica.

USUS: culinaris.

169. ALLIUM fiſtuloſum. LINN. *Sp. pl.* 432.
Cepa oblonga. DODON. *Pempt.* 675.
Cepa. LOBEL. *Hiſt.* 73.
Kållök *Svecis.*
Culinis CEPÆ OLERACEÆ Radix, Herba virens.

Locus. Colitur ubique in hortis *Subperenne.*

FORMA.rec. Bulbi 2 vel 3 congeſti, ovali-oblongi, hinc plani, inde convexi, pollicares, albi; *parencymate* carnoſo, ſolidiuſculo, quod, transverſaliter ſectum, centrum medullare oſtendit ovatum, tunicis 3 vel 4 carnoſis obductum. *Vaginæ* 2 vel 3 membranaceæ, bulbum tegentes, albæ, ſtriatæ, tubuloſæ, ſcapum foliaque veſtientes, integræ, truncatæ, glabræ. *Scapus* pedalis vel ultra, fiſtuloſus, teretiuſculus, in medio amplior, verſus baſin & apicem ſenſim attenuatus, glaber, colore virideſcenti-cereo, ſubdiaphano, intus ſtriato. *Folia* 2 vel 3 verſus baſin ſcapi, alterna, fiſtuloſa, ſcapo conformia, illisque breviora, acuta, erecta, baſi vaginata: vagina virideſcente, vaginis radicalibus ſimili; ore oblique truncato,

integro. *Umbella* terminalis, globoſa, capitulum mentiens, magnitudine ovi columbini vel ultra, nuda. *Spatha* membranacea, tenuis, alba, diaphana, picta nervis rectis, capitulum tenerum undique obvolvens, & tunc integra, ſub floreſcentia vero rupta in 2 vel 3 fiſſuras, ſubrevoluta. *COR.* campanulata, albida, in formam trigonam plicata, hexapetala: petalis ovatis, acutis, carinatis: carina virideſcente; tribus compreſſis, concavis, erectis; tribus aliis planis, inflexis, in triangulum conniventibus. *STAM. Filam.* 6, ſubulata, alba, corolla longiora, ſingula ſingulo petali ungvi adnata; quorum tria priora. *Anth.* luteæ, cordato-oblongæ, obtuſæ, utrinque ſulcatæ, erectæ. *PIST. Germen* ſuperum viride, ſubrotundum, obtuſum, triquetrum: angulis rotundatis, ſulcatis. *Stylus* albus, ſubulatus, longitudine vix ſtaminum. *Stigma* obtuſum.

PROPR. rec. Radicis: Odor debilius fragrans. *Sapor* ſubdulceſcens, cepaceus, debilior, gratus, acris. *Herbæ* rec. *odor* ſubcepaceus, debilior; *ſapor* acris, herbaceo-cepaceus.

VIRTUS: ſtimulans, ſtomachica, diaphoretica.

USUS: culinaris.

OBS. Bulbi hujus ſpeciei tempore verno & æſtivo ſubſtituuntur ſæpe pro Cepa ſectili. *Folia* juſculis oleraceis incoquuntur.

170. ALLIUM Schœnopraſum. LINN. *Sp. pl.* 432.
Schœnopraſum. DOD. *Pempt.* 678.
Schœnopraſon aſcalonica. LOB. *Hiſt.* 77.
Cepa ſectilis juncifolia. MORIS. *Hiſt.* 2. *ſ.* 4. *t.* 14. *f.* 2.
Gräslök *Svecis.*

Cu-

Culinis SCHOENOPRASI Herba.

Locus. Colitur ubique in hortis. *Perenne.*

FORMA. rec. Bulbi plures congeſti, parvi, albi, conici, glabri, baſi fibris elongatis radicantes, tunicati. *Folia* ſubulata, acuta, fiſtuloſa, glabra, undique ſtriata, ſaturate viridia, ſubſpithamæa, erecta, baſi vaginata: vaginis tubuloſis, cylindricis, radicalibus, pallide viridibus, ſcapum arcte involventibus. *Scapus* ſubulatus, foliis ſimilis, illisque longior, erectus, nudus. *Umbella* ſimplex, globoſa, terminalis, capitulum mentiens. *Spatha* membranacea, ſubrotunda, nervoſa, ſordide violacea, plerumque trifariam rupta, umbella multum brevior. *COR.* campanulata, hexapetala, dilute violacea, *petalis* ovali-lanceolatis, acutis, nitidiuſculis, linea fuſca carinatis. *STAM. Filam.* 6, ſubulata, alba, corolla breviora, ungvibus petalorum adnata. *Antheræ* cordato-lineares, fuſceſcentes, incumbenti-erectæ. *PIST. Germen* ſuperum, ovatum, obtuſum, trigonum: angulis rotundatis, ſulcatis. *Stylus* ſubulatus, albus, longitudine ſtaminum. *Stigma* obtuſum.

PROPR. rec. herbæ: Odor fragrans, gratus. *Sapor* cepaceus, calidiuſculus, primo ſubdulceſcens, dein debilius acris, inhærens; *maſticata* folia fauces & lingvam leniter mordent: ſaliva virideſcente. *Bulbi* ſapidi, mitiores.

VIRTUS: ſtomachica, diaphoretica, diuretica.

USUS: culinaris.

OBS. Embammatibus incoquitur ad varias piſcium ſpecies. Nonnulli crudum conſciſſum eſitant una cum pernis ſuillis anſeribusque ſalitis.

171. ALLIUM quod Cepa fiſſilis. LINN. *Hort. upſ.* 79. CAMERAR. *Epit.* 326.

Johannis-lök *Svecis.*

Culinis CEPÆ SECTILIS Radix.

Locus. Colitur in hortis.

FORMA. rec. Bulbus ovatus, ſæpe ovali-oblongiuſculus, albidus, baſi fibrilloſus, magnitudine ovi columbini vel ultra, veſtitus tunicis 2 aridis, ſtriatis: ſtriis longitudinalibus parallelis, remotis; exteriore tunica membranacea; interiore coriacea, tenuiore, colore ſordide ſtramineo; *Parencyma* albidum, ſublutefcens, tunicatum: tunicis carnoſis, concentricis; poſt ſectionem transverſalem annulatum; centro medullari ſubrotundo, ſæpe duplici vel triplici.

PROPR. Odor Cepæ, fragrans. *Sapor* cepæ, ſubdulceſcens, acris. *Maſticata* ſubtenera, inter dentes ſubcrepula, calefacit in lingva & faucibus. Radix conſciſſa oculos ferit, ſed lachrymas non elicit; menſe Julii radix vigens ſecta lacteſcit.

VIRTUS: Eadem quæ priorum Allii ſpecierum.

USUS: culinaris.

OBS. *Uſus culinaris* variarum Allii ſpecierum latiſſime per orbem invaluit. Et vero antiquiſſimus idem fuit. Notum eſt, Iſraelitas in deſerto commurmuraſſe ob privationem cepæ, porri & allii, quæ in Ægypto eſitaverant (*); conſtat etiam ex HERODOTO, pro operariis ad ſtruendam unam pyramidem Ægyptiacam ingentem auri vim variis allii & leguminum ſpeciebus impenſam, 1600 nimirum talenta, h. e. 700 myriades francorum gallicorum (**). 172.

(*) *Numer. c. 2. v. 5.*

(**) Cfr GOGUET *de l'origine des loix, des arts & des ſciences, t. 3. p. 61.*

172. LILIUM candidum. LINN. *Sp. pl. 433. Mat. m. 173.* KNIPH. *Bot. or. cent.* 7. DOD. *Pempt. 197.* LOBEL. *Hist. 33.*

Lilium album. BLACKW. *Herb. t. 11.* SELIGM. *Hort. t. 16.*

Pharm. LILII ALBI Radix, Flores.

Locus. Oriens, colitur ubique in hortis. *Perenne.*

FORMA. recent. Bulbus ovatus, magnitudine ovi, constans squamis imbricatis, pollicaribus, carnosis, oblongis, albis, acutiusculis, incurvatis, glabris, lævibus, extus convexis, intus planis, laxiusculis. *Flores* plures terminales, alterni, pedunculati, cernui. *Bracteæ* lineares, acutæ, carinatæ, in medio pedunculi solitariæ. *CAL.* nullus. *COR.* nivea, campanulato-turbinata, trigona, hexapetala: petalis lanceolatis, obtusis, erectis, apicibus revoluto-patentibus, inferne attenuatis; tribus alternis paullo angustioribus, margine utrinque erecto concaviusculis; tribus aliis alternis planis, paullo majoribus, extus carinatis, juxta carinam utrinque longitudinaliter sulcata, intus longitudinaliter canaliculata. *STAM. Fil.* 6, subulata, alba, erecta, corolla breviora. *Anth.* subcylindricæ, incumbentes, luteæ. *PIST. Germen* cylindrico-trigonum, obtusum, glabrum, viride, sexsulcatum. *Stylus* cylindricus, albo-viridescens, apice incrassatus, trigonus, longitudine corollæ. *Stigma* clavatum, trigonum, obtusum, tomentosum.

PROPR. Radic. rec. *Odor* nullus, *sapor* vix ullus; *masticata* tenera subinsipida, valde mucilaginosa, fere plastica. *Sicc.* Squamæ separatæ, rubescentes, fragiles, duriusculæ. *Florum* rec. *Odor* fragrans, validus, temulentans. *Sapor* sub-

dulcescens, glutinosus; petala rec. *masticata* tenera, lubrica. *Sicc.* flores inodori.

VIRTUS: rad. emolliens; *flor.* anodyna, emolliens.

USUS: Tumores emolliendi.

OBS. 1. Principium odoriferum e floribus recentibus cum aqua, oleo expresso & spiritu vini excipitur, exsiccatione vero perditur; hinc oleum infusum florum, & aqua stillatitia, caute præparata, fragrantia. Oleum stillatitium nullum. *Infusum* radicis sicc. aquosum colore infusi Theæ, spissiusculum, amaricans; vitriolo martis non demutatur; alcohole vini mucilaginosum præcipitatur. Infusum radicis rec. mucilaginosum. *Decoctum* radic. rec. spissiusculum, vix coloratum, debilius odoratum, sapore insipido, acriusculo. Infusum florum sicc. rubicundum, amaricans; cum alcohole vini parum præcipitatur.

OBS. 2. De Lilio albo scripsit MATTH. TILINGIUS librum crassum, 576 paginis constantem (*), qui tamen perparum fructuosi continet. In parte botanica varias species bulbosas enumerat, & Caprifolium Liliis includit. In medica vero, Lilium hoc ad omnes pæne morbos commendat, non quidem ex propria experientia, sed indiscriminatim ex auctoritate auctorum, quos sedulo compilavit.

173. SCILLA maritima. LINN. *Sp. pl. 442. Mat. m. 162.*

Scilla hispanica. CLUS. *Hist. 1. p. 171.*

Scil-

(*) En titulum integrum: *Lilium curiosum, s. accurata Lilii albi descriptio, in qua ejus natura & essentia mirabilis, nobilitas & præstantia singularis, qualitates & vires ineffabiles fere, philologice, physice, theologice, chymice & medice, secundum leges A. N. C. explicantur, multaque arcana, cum spiritualia tum naturalia, revelantur.* Francof. ad Moen. 1683.

Scilla f. Cepa marina hispanica. Lobel. *Hist.* 75. Scilla. Camer. *Epit.* 374. Dod. *Pempt.* 678. t. 697. *Pharm.* *SCILLÆ* Radix.

Locus. Europa australis, Oriens. *Perennis.*

FORMA. rec. Bulbus magnitudine pugni vel ultra, conicus, extus vestitus tunicis membranaceis, aridis, adpressis, nervosis: nervis parallelis; quarum exteriores tenuiores, interiores basi succulentæ. *Parencyma* albido-lutescens, tunicatum, constans tunicis carnosis, inæqualibus; transversaliter sectum succo viscoso plenum, centro medullari subrotundo, laxo. *Siccata* radix in officinis occurrit e separatis tunicis, siccatis, oblongis, subdiaphanis, nervosis, fragilibus.

PROPRIET. rec. Odor vix ullus, *Sapor* intensius amarus, acris, nauseosus, diu inhærens. *Sicc.* pariter amarus, minus acris. Ergo siccatione manet amarities, perditur acredo.

VIRTUS: incidens, diuretica, emetica, subpurgans, hydragoga, expectorans, emmenagoga. Dosis gr. 1-2. Muribus venenata.

USUS. Hydrops, Asthma.

OBS. 1. Extrahitur radix, sive recens seu siccata, menstruo aquoso, vinoso, spirituoso & aceto. Tincturæ destillatæ nihil de Scilla transmittunt; hinc Extracta efficacia. Oxymel scilliticum, ex præparatis Scillæ, minus emeticum, attamen efficax remedium. *Infusum* radicis recentis & siccat. aquosum amarum; vitriolo martis color constat. Scilla pulverata sensim debilitatur, si diutius servetur; hinc præstat recenter pulverata.

OBS. 2. Ut præstantissimum diureticum & solvens in hydrope, asthmate hydropico &c. censetur Scilla. Sed appetitum prosternit, deprimendo vires ventriculi, nauseamque inducendo. De cetero scirrhos irritat;

hinc in obſtructionibus viſcerum caute cum Scilla agendum; hinc etiam in aſcitide, ubi ardor viſcerum, pulſus durus, heparque infarctum eſt, ſæpe nocet. Nos ſemper Scillam ſiccatam adhibemus. Sed recentem magis efficacem invenit VAN SWIETEN (*). Infundere fecit Radic. recent. Scillæ unc. ß. in Vini libris 2; doſis adulto fuit hujus vini ſcillitici unc. ß. Si levem facit nauſeam, fortius movet urinam, ſæpe a libris 6 ad 12; ſed ſi nauſeam non moverit, vel etiam ſi vomitum excitaverit, hoc vinum minorem longe diureſin facit, ut obſervavit laudatus vir. Veteres medici Scillam exhibuerunt aſſatam ſive coctam, ut eadem inde mitigaretur; ſed plurima vis hac præparatione periit. In forma pulveris, recenter comminuti, Scilla validior eſt omnibus præparatis; ſed ſi recens haberi poſſit, omnium efficaciſſima eſt.

OBS. 3. De Scilla bene egit cl. C. G. LUDWIG (**).

174. ASPARAGUS officinalis. LINN. *Sp. pl. 448. Mat. med. 169.* KNIPH. *or. cent. 6.* MILLER *Fig. t. 55. f. 1.* BLACKW. *Herb. t. 332.*

Aſparagus hortenſis. DOD. *Pempt. 691.*

Pharm. ASPARAGI Radix.

Culinis ——— Turiones virentes.

Locus. Europa auſtralis, in arenoſis. Colitur in hortis, terra pingviſſima. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix junior fibroſa: fibris plurimis cylindricis, ſimplicibus, craſſitie pennæ anſerinæ, cineraſcentibus, fibrilloſis, ex uno capite aggregatis, horizontali-deſcendentibus, longius exporrectis. *Parencyma* carnoſum, ſubſucculentum, album, veſtitum corticali parte; transverſaliter ſectum æquale, puncto centrali parvo. Tu-

(*) *Comment. in* BOERHAAV. *Aphor. T. 4. p. 259.*

(**) *Adverſ. medico-pract. vol. 2. p. 695. ſeq.*

Turiones cylindrici, teretes, erecti, palmares vel ultra, craſſitie pennæ anſerinæ vel digiti minoris, ſæpe etiam pollicis, ſi in idoneo ſtent ſolo, albi, carnoſi, ſucco aqueo turgidi, fragiles, adſperſi ſquamis ovato-lanceolatis, acutis, ſparſis, adpreſſis, albis; apice dilute rubro-virideſcentes, obtuſi, ſquamis undique imbricati; *parencymate* carnoſo, ſuccoſo, virideſcente, æquali.

PROPR. radic. rec. *Odor* graviuſculus, non ingratus. *Sapor* primum dulceſcens, tum amaricans, ſubgraviuſculus; *maſticata* pulpoſa ſentitur. *Turionum* crudorum *odor* vix ullus; *ſapor* exacte leguminum Piſi crudorum, dulceſcens; *crudi maſticati* inter dentes fragiliuſculi, teneri ſimul, comminuuntur, ſubſolvuntur, ſapore leguminum Piſi, odore debili, non abſimili. Turiones *cocti* minus dulces, vix obſcure amaricantes, pulpoſi, odore & ſapore in Piſum incidente.

VIRTUS Turionum: mundificans, pellens, diuretica: urina fœtente.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Radix annoſior primo vere ex ſummo capite turiones promit, aggregatos, nudos, inæquales tempore. Hi turiones, antequam erumpunt, undique tecti ſunt ſquamis lato-ovatis, acutis, cinereis, glabriuſculis, undique imbricatis, quæ turionem excreſcentem baſi veſtiunt.

OBS. 2. Coquuntur turiones aſparagi in aqua ſubſalſa, & eduntur cum embammate ex vitello ovi, ſucco citri, butyro recenti & ſaccharo. Parantur etiam aſparagi alio modo; ſemicocti in aqua remanent, quoad penitus refriguerunt, tum ex aqua promuntur, & eduntur cum embammate ex oleo olivarum & aceto vini. Ceterum juſculis carnium gratum conciliant ſaporem

rem. Aſparagi turiones apud priſcos Romanos in uſu erant, qui eos parabant brevi ebullitione, unde AUGUSTUS, ad exprimendam feſtinatæ rei velocitatem, dicere ſolebat: *velocius quam Aſparagi coquuntur* (*).

OBS. 3. Aſparagi conſiti turiones in pretio habentur, atque ex craſſitudine penduntur, ditioresque tempore vernali menſam iis frequenter opulentant. Urina quidem ab iis fœtet, nullam tamen noxam inde patiuntur ſani. Calculoſis autem non indiſcrete ſvadendus hic cibus. Novi fœminam generoſam, quæ poſt eſum Aſparagi plerumque mictu cruento vexatur. G. VAN SWIETEN (**) memorat; largiorem uſum Aſparagi paroxyſmos acceleraſſe apud podagricos.

OBS. 4. Aſparagus ſponte provenit copioſiſſime ad fluvium Volgam (***). In Capite bonæ ſpei degenerat ſecundum ſaporem, & prope accedit ad Aſparagum, qui apud nos in caveis ſub hyeme ſervari ſolet (†). In inſula Iſle de France maxime degenerat aſparagus, ſecundum ſaporem pariter ac ſtaturam, ut ſit chorda vix craſſior. Ceteroquin ibi Radices Dauci, Paſtinacæ, Napi, Tragopogonis, Raphani & Rapæ nimis aromaticæ fiunt (††).

175. CONVALLARIA majalis. LINN. *Sp. pl. 451. Mat. med. 167.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1. 10.*
Lilium convallium album. BLACKW. *Herb. t. 70.* LOBEL. *Hiſt. 87.* GARID. *Aix. t. 64.* DODON. *Pempt. 205.* LOBEL. *Icon. 172.* CAMER. *Epit. 618.*

Pharm.

(*) SVETON. *in Aug. c. 87. p. m. 273.*
(**) *l. c. T. 4. p. 306*
(***) HANWAY *Reiſe durch Rußland und Perſien, p. 1. p. 76.*
(†) DE LA CAILLE *Journal hiſt. du voyage au Cap de bonne eſperance, p. 280.*
(††) *Voyage à l' Iſle de France par un Officier du Roi,* Amſt. 1773. T. 1. p. 215.

Pharm. LILII CONVALLIUM Flores.
Locus. Europa. *Perennis.*

FORMA. rec. Racemus terminalis, erectus, ſuperne nutans, glaber: rachi compreſſa, inter pedunculos alternatim angulata. *Pedunculi* alterni, teretes, glabri, uniflori, cernui. *Bracteæ* ad pedunculos, ſolitariæ, lanceolatæ, acutæ, concaviuſculæ, albidæ, membranaceæ, pedunculis duplo breviores. *Flores* albi, nutantes. *CAL.* nullus. *COR.* campanulata, alba, magnitudine ſeminis Piſi, 6-fida: laciniis ovatis, acutiuſculis, revolutis. *STAM. Filam.* 6, brevia, alba, baſi latiora, tubo corollæ baſi adnata. *Anth.* tetragono-pyramidales, acutæ, in ſtylum convergentes, erectæ, latere utrinque longitudinaliter hiantes, piſtillo duplo breviores. *Glandulæ* geminæ obſoletæ, lineares, ſubviolaceæ, baſi filamentorum ſingulorum, ubi corollæ adnata ſunt. *PIST.* corolla brevius. *Germen* ſuperum ovatum, albido-luteſcens, deſinens in *Stylum* craſſum, cylindricum, album, ſubtrigonum. *Stigma* trigonum, obtuſum, minutim villoſum, album.

PROPR. rec. Odor ſvaveolens, gratus; *ſiccat.* ſubnauſeoſus. *Sapor rec.* intenſius amarus, acriuſculus, inhærens; *ſicc.* minus amarus.

VIRTUS: ſternutatoria, purgans.

USUS.

OBS. Principium odoriferum florum menſtruo aquoſo & ſpirituoſo intercipitur; exſiccatione vero perditur. Qualitas amara fixa eſt, atque utroque menſtruo extrahitur, una cum acri illo ſtimulante, quo nares irritando ſternutationem movent flores, unde vis purgans etiam dependet. Statuit itaque cl. CARTHEUSER, extractum Lilii convallium eodem modo agere, ac Aloës. Præſtat extractum e floribus recentibus, quam e ſic-

e ſiccatis parare. *Infuſum* florum aquoſum aurantium, limpidum, intenſe amarum, acriuſculum, ſubnauſeoſum; vitriolo martis ſaturatius rubeſcit.

176. CONVALLARIA Polygonatum. LINN. *Sp. pl. 451. Mat. med. 168.* OEDER *Icon. t. 377.* KNIPH. *Bot. or. cent. 3.*

Polygonatum latifolium 2. CLUS. *Hiſt. 1. p. 276.*

Polygonatum floribus ex ſingulis pedunculis. BARREL. *Icon. 711.*

Pharm. SIGILLI SALOMONIS Radix.

Locus. Europa, in montibus. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, craſſitie pennæ cygneæ, ramoſa, albiſſima, glabra, rugis annularibus remotiuſculis, elevatis, undique radicans fibris filiformibus, ſolitariis. *Parencyma* ſolidum, æquale, album. *Siccata* radix colore ſtramineo-luteſcenti, molliuſcula, flexilis, fragiliuſcula; *parencymate* albido, farinoſo-pulpoſo.

PROPR. rec. Odor ſubhircinus, in Raphanum incidens. *Sapor* dulceſcens; *maſticata* radix tenera, fragiliuſcula, glutinoſa: ſaliva ſpiſſa, alba, labia inviſcante. Radix *recens* raſa amylum non dat, ſed, aqua frigida ſuperaffuſa, in mucilaginem vertitur, perinde ac radix Althææ, ſapore odori congruente. *Siccata* radix magis dulceſcit; maſticata emollitur & glutinoſa ſentitur.

VIRTUS: emolliens, nutriens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum radic. ſicc. leviſſime tinctum, ſed ſpiſſum, adeo viſcoſum ut in fila fere ducatur, ſapore dulci, grato, odore decocti Hordei; a vitriolo martis color non variat. *Decoctum* aquoſum ſpiſſum, mucilaginoſum, initio dulce, poſt amaricans.

OBS. 2.

OBS. 2. Turiones vere prorumpentes e radice, solo pingvi consita, sapore exacte referunt turiones Asparagi, quamdiu virentes & crudi sunt; sed dum coquuntur, nimis amaricantes fiunt. *Panem* e radice recente, addita farina frumenti, in annonæ caritate coxerunt rustici nostrates, qui fuscus fuit, & subglutinoso sapore.

177. ALOE perfoliata. LINN. *Sp pl. 457. M. m. 160.*

Aloë (vera) foliis spinosis confertis dentatis vaginantibus planis maculatis. LINN. *Sp. pl. 458.*

Aloë foliis turgidis ciliato - dentatis purpurascentibus, scapo florifero assurgenti spicato. BROWN. *Jamaic. p. 197.* *

Aloë vulgaris. HUGHES *Barbad. 153.* * MUNTING. *Aardgew. t. 314.*

Aloë americana anonæ foliis floribusque svave rubentibus. PLUK. *Phytogr. t. 240. f. 4.*

Pharm. ALOE Succotrina, Hepatica, Caballina.

Locus. Colitur in India utraque. *Perennis.*

FORMA. *Succus* concretus gummoso-resinosus, in frustis solidis, compactis, ponderosis, fragilibus. *Succotrina* aloë purissima est, fusco-rubicunda, vix subdiaphana, undique nitida, maculis & venis aureis immixtis, fragmentis planis, hinc convexis, inde concavis. *Hepatica* purior est, æqualis, colore hepatico, subnitidiuscula, fragmentis planis. *Caballina* deterrima, fusco-nigricans, bituminosa facie, maculis ferrugineis & porulis superficialibus communiter exasperata, impura: carbonibus, paleis ligneis & stramineis, corticibusque immixtis.

PRO-

PROPR. Hepaticæ odor graveolenti-nauſeoſus, in Crocum incidens, inhærens; *ſuccotrinæ* mitior; *caballinæ* fortior, magis fœtidus. *Sapor* amariſſimus, fere bilis animalis, diu inhærens. In frigore fragilis eſt aloë & friabilis, digitisque calidis tractata illis adhæret. In calore emollitur, flexibilis fit. Aloë in pulverem facile redigitur: pulvere ſuccotrinæ aureo-luteſcente; hepaticæ rubro-luteſcente; caballinæ vero rubro-brunneo. Ignis flammæ admota aloë ſpumeſcit, accenditur cum ſpuma, flagrat, ſed ab igne remota ſubito extinguitur, fumat: fumo ſpiſſiuſculo, aloëtico odore, tandemque in carbonem vertitur. Sub accenſione non funditur. Aloë ſolvitur partim in aqua, partim in ſpiritu vini. Sed ſuccotrina penitus in ſpiritu vini ſolvitur, absque ulla remanentia, tinctura limpida; hepatica vero non item. Hinc ſuccotrina puriſſima eſt. Aloë ſuccotrina plus reſinæ, hepatica autem plus gummi habet; hinc ſuccotrina magis vulneraria; hepatica magis purgans. Si pulvis aloës, etiam ſuccotrinæ, aquæ frigidæ immittitur, aquam reddit luteſcentem, turbidam, cereviſiæ inſtar turbidiuſculæ, odore forti nauſeoſo, ſapore amariſſimo; ex vulgari aloë plurimum inſoluti in fundo manet; hæ ſolutiones cum vitriolo martis nigro fuſceſcunt.[1] Experimentis cl. virorum ROBINSON & FRED. HOFFMANNI conſtat, quod aloë multum perdit de vi ſua purgante, ſi decoquatur.

VIRTUS: purgans, ſtimulans, antiputredinoſa, ſangvinem excandens, pellens menſes & hæmorrhoides, anthelminthica, vulneraria, ſtomachica; bilis ſuccedaneum.

USUS. Obſtructio alvi & menſium, Vulnus, Ulcus, Caries; *caballinæ* pecoribus.

OBS. 1.

OBS. 1. Aloë, ob vim ejus anthelminthicam, bono cum ſucceſſu non ita pridem pigmentis pro navibus immiſceri cœpta, ad arcendos vermes, naves infeſtare ſolitos, quod quidem ſucceſſu non caruit; PATR. BROWNE.

OBS. 2. Pulcherrima experimenta cum Aloë inſtituit ROBINSON (*).

OBS. 3. Collectio Aloës peragitur, poſtquam plantæ affatim maturuerunt, reſectione foliorum prope caulem, quæ deinde in vaſe quodam ſitu perpendiculari collocantur, ut ſciſſura fundum ſpectet, quo facile defluat ſuccus. Hic ſuccus decantatione defæcatus immittitur vaſi fundo plano, & ſolis calori exponitur, ut ſponte inſpiſſetur ad juſtam conſiſtentiam, unde fit Aloë ſuccotrina. Sed ſi inſpiſſatio ope ignis peragitur, addita aqua ſimplici, ſubſequente decoctione ad juſtam conſiſtentiam, obtinetur Aloë hepatica; caballina vero e fæcibus, absque omni cura & diligentia, paratur. PATR. BROWNE; GRIFFITH HUGHES.

OBS. 4. Aloëtica purgant alvum facile absque torminibus, ſed valide, & ſæpe cum irritatione ſphincteris ani, ſæpe etiam cum ſubſequentibus hæmorrhoidibus cæcis apud ſenſibiliores. In pertinaciſſima obſtipatione alvi, ubi plurima adhibita remedia fefellerunt, aloë identidem opem tulit. In obſtructione menſium aloë communiter primaria medicina. At non proſunt aloëtica in morbis calidis & febribus inflammatoriis, neque conveniunt hæmorrhagiis obnoxiis, neque etiam gravidis.

178. ACORUS Calamus. LINN. *Sp. pl.* 462. *Mat. m.* 161. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 1. DOD. *Pempt.* 249.

Acorus verus. BLACKW. *Herb. t.* 455.

S *Pharm.*

(*) *Le Pharmacien moderne*, p. 73. *ſeq.*

Pharm. CALAMI VULGARIS Radix.

Locus. Europa, Japonia, in lacubus, foſſis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, compreſſiuſcula, ramoſa, craſſitie digiti vel ultra, geniculis veſtitis ſquama fuſca, filamentoſa; repens: fibris numeroſis, filiformibus, albis, deſcendentibus, e latere inferiore exeuntibus, fibrillis capillaribus inſtructis. *Parencyma* carnoſum, album, poſt transverſalem ſectionem porulis minimis undique pertuſum; centro medullari ovali, pariter poruloſo, adſperſo punctis ferrugineis. *Siccata* radix in taleolas longitudinales ſecta occurrit, undique alba, extus punctis elevatis ſcabra, *parencymate* ſubfarinoſo, fragili, ſolido, transverſaliter ſecto porulis pariter pertuſo innumeris.

PROPRIET. rec. & ſiccat. Odor fragrans, fortior, nauſeoſus. *Sapor* aromaticus, nauſeoſus, acris, leniter amaricans. *Maſticata* fauces & lingvam ſtimulat & calefacit. Recens radix magis acris.

VIRTUS: incidens, alexiteria, diuretica.

USUS. Anorexia.

OBS. *Infuſum* aquoſum ſaturatum tenue, limpidum, ſubmucilaginoſum, odore radicis, ſapore primum dulceſcente, tum amaricante, acriuſculo, ingrato ſ. nauſeoſo; vitriolo martis non tingitur, ſed glutinoſum & albidum fit.

179. CALAMUS Rotang. LINN. *Sp. pl. 463.*
Palmijuncus Draco. RUMPH. *Amb. 5. p. 114. t. 58. f. 1.*

Pharm. SANGVIS DRACONIS.

Locus, India orientalis. *Arboreſcens frutex.*

FOR-

FORMA. Resina in frustulis solidis, ovatis, magnitudine fructus Pruni; singulis obvelatis foliis arundinaceis, unde longitudinaliter undique striata est, nigro-rubicunda, opaca, dura, non splendens, subfragilis, difficilius friabilis: fracturis subgranulatis, vix nitidiusculis. Occurrit in pharmacopoliis *varietas* Sangvinis Draconis, scilicet Resina solida in frustis, extus læviuscula, dura, sicca, pariter nigro-rubicunda, opaca, friabilis, fragilis: fracturis indeterminatis, granulatis; nitidiusculis.

PROPR. Odor nullus, *sapor* nullus. *Masticata* hæc resina in ore non emollitur, nec solvitur, sed lapidea sentitur, inter dentes friabilis, arenacea, comminuitur absque sapore, saliva rubra. Grossius pulverata abit in pulverem nigricantem, sed si teratur, fit pulvis ruber. Inter digitos comminuta, illos colore pulchre sangvineo inficit. Ignis flammæ admota accenditur, flagrat: flamma vivida, odore non ingrato. *Altera* autem resina in ignis flamma funditur, subdestillat, accenditur, flagrat cum fremitu: flamma vivida, fumante, fuliginosa, odore grato; a candela remota subito solidescit, superficie lævi, nitida, facie picis coctæ. In vase ferreo supra ignem mox funditur, ebullit, admota flamma accenditur, flagrat cum fremitu, transilientibus atomis, odore grato, fere Sacchari accensi, sed insimul leniter balsamico, & sub deflagratione tumet, inflatur, remanente carbone elevato, tenui, nigro, cavo, lævi, parum inquinante. Sangvis Draconis in aqua calida digesta emollitur. Solvitur in Spiritu vini rectificato plenarie, remanentibus sordibus: tinctura

ſangvinea, quæ ex affuſa aqua frigida ſtatim rubro-lacteſcit. In oleo olivarum digeſta, non ſolvitur, ſed oleum ſangvineo tingit.

VIRTUS: vulneraria.

USUS. Scelotyrbe.

OBS. 1. Sangvis Draconis, qui ab India orientali ad nos fertur, e fructibus arboris Palmijunci deſumitur, monente RUMPHIO autopta. Fructus hujus arboris maturi cruſta reſinoſa rubra obducti ſunt, e nucleo ipſi fructui incluſo tranſudante. Hinc copia fructuum collecta, mola oryzacea illos leniter comminuunt, usquedum tota cruſta abraſa fuerit, quæ calore poſtmodum in globulos redigenda eſt. Hic Sangvis Draconis optimus. Qvi vero decoctione e nucleis ipſis extrahitur, vilior eſt, præſertim quia pedunculos ſimul coquendos lucri cauſſa injiciunt, unde ſæpe paleis & furfuribus ſcatet. Vilior adhuc e China ad nos affertur, glumis oryzæ aliisque heterogeneis deformatus. E pluribus arborum ſpeciebus reſina, Sangvis Draconis appellata, colligitur, ſed verus ſangvis draconis, & qui apud nos communiter uſualis eſt, ex Palmijunco Dracone RUMPHII deſumitur, quod etiam confirmat fidiſſimus ENGELB. KÆMPFERUS (*). Sangvis Draconis *in lacrymis*, qui a Dracæna Dracone LINN. *Syſt. nat. p. 246*, docente CLUSIO, deſumitur, apud nos vix officinalis eſt.

OBS. 2. De Sangvine Draconis diffuſe, ſed bene, egit JO. FRED. OCHSIUS (**).

180. BERBERIS vulgaris. LINN. *Sp. pl. 471. Mat. m. 290.*

Berberis dumetorum. MILL. *Figur. t. 63.* DUHAM. *Arb. 1. p. 97. t. 38.*

Ber-

(*) *Amoenit. exot. p. 552. ſeq.*

(**) *Diſſert. de Sangvine Draconis*, quæ impreſſa legitur in VALENTINI *Hiſtoria ſimplic. p. 609.*

Berberis dumetorum fructu rubro. DUHAM. *Fruit.* 1. *p.* 149. *t.* 1.
Berberis oxyacantha. BLACKW. *Herb. t.* 165.
Spina acida ſ. oxyacantha. DOD. *Pempt.* 738.
Berberis officinarum. DALECH. *Hiſt.* 1. *p.* 138.
Berberis vulgaris ſ. creſpinus. CAMER. *Epit.* 86.

Pharm. *BERBERIDIS* Cortex, Baccæ, Semina.

Locus. Europa, in ſylvis, locis elevatis. *Frutex.*

FORMA. rec. Cortex ſatis tenuis, cinereus, longitudinaliter ſulcatus, læviuſculus, atomis nigris adſperſus; *parencymate* croceo. *Racemi* baccarum rubri, penduli. *Bracteæ* lanceolatæ, acutæ, concaviuſculæ, ſolitariæ ad pedicellos. *Pedicelli* ſubverticillati, longitudine baccæ, apice clavati. *Baccæ* ovali-oblongæ, utrinque obtuſæ, lineas 3 vel 4 longæ, ſangvineæ, læviuſculæ, nitidiuſculæ, apice umbilicatæ: umbilico parviuſculo, fuſceſcente, ſubrotundo, convexo, centro cavo. *Parencyma* carnoſo-ſuccoſum, ſangvineum, tenue, centro cavo, amplo, uniloculari, diſpermo. *Semina* incluſa in communi arillo, membranaceo, ſicco, laxo, rubro-fuſca, ovali-oblonga, undique minutim rugoſa, hinc convexa, inde plana, ſæpe teretia, inferne ſenſim attenuata, apice obtuſa, ſubnitidiuſcula, 2 circiter lineas longa.

PROPR. corticis: Odor nullus; *ſapor* intenſius amarus; *maſtic.* ſaliva crocea. *Baccar.* rec. *odor* nullus; *ſapor* intenſius acidus; *maſticatæ* groſſius comminuuntur, & inſimul exſugitur ſuccus acidus, ſaliva rubicundo tincta. *Semin. Sapor* ſubamaricans, graviuſculus, ſubſtypticus.

VIRTUS: Corticis rec. purgans, roborans. *Baccæ:* refrigerans, antiputredinosa.

USUS: Cortic. Aphthæ; *Baccar.* Febres omnes, imprimis putridæ, Diarrhoea biliosa.

OBS. 1. *Decoctum corticis* croceum, intense amarum; vitriolo martis fusco-nigrescit. *Infusum seminum* spissiusculum, subturbidum, emulsivo-subglutinosum; vitriolo martis subito coagulatur, præcipitatur, viridescit; *Baccarum* acidum, rubrum.

OBS. 2. *Succus expressus* baccarum ruber, turbidiusculus; *colatus* vero clarior, non tamen limpidus, odore debili, sapore acidissimo; vitriolo martis fusco-nigrescit. Succi filtrati guttæ 6, instillatæ in aquæ puræ unc. ß, addito vitriolo martis, colorem fusco-viridem stiterunt. In filtro remanet pulpa mollis, rubra. Baccæ ante inceptum frigus autumnale non rite maturant; etsi rubræ apparent, duriusculæ tamen sunt, masticatæ salivam vix tingunt, & succum expressum nonnisi ægre dant.

OBS. 3. *Radix* fruticis Berberidis lignea, flavescens; recens odore validiore in lignum Sorbi incidens, sapore intense amaro. *Lignum* albidum, sapore etiam amaro, sed longe debiliore. Radicem nunquam ipse adhibui, interim ajunt illam alvum purgare. Certe equidem non negligendam puto, ob amaritiem, qua pollet, exstantem.

OBS. 4. In culinis succus Berberidis usualis, respectu intensæ aciditatis & coloris pulchri.

ORDO
DIGYNIA.

181. ORYZA sativa. LINN. *Sp. pl. 475. Mat. m. 174.* CATESB. *Carolin. 1. p. 14. t. 14.* CAMER. *Epit. 192.* LOB. *Icon. 38. Hist. 23.* MORIS. *Hist. s. 8 p. 201. t. 7. f. 1.* O-

Oryza. RUMPH. *Amboin.* 5. *p.* 196. BAUH. *Hist.* 2. *p.* 451. PARK. *Theat.* 1136. DOD. *Pempt.* 500. Neerchenden nelle malab. BROWN. *Philos. transact.* v. 23. *p.* 1253. *

Pharm. & *Culinis ORYZÆ* Grana.

Locus. Colitur ubique in Indiæ & Japoniæ inundatis. *Annua.*

FORMA. Semina decorticata, longitudine linearum 2, vel ultra, alba, ſubdiaphana, teretiuſcula, linearia, utrinque compreſſo-convexa, ſubſulcata, utraque extremitate obtuſa, fragilia.

PROPR. farinacea. *Odor* & *ſapor* nullus. *Semina* cruda *maſticata* duriuſcula, ſicca, friabilia, inſipida; cocta molliſſima.

VIRTUS: nutriens, ſubexſiccans.

USUS: culinaris; Diarrhœa, Dyſenteria.

OBS. 1. *Juſculum* e ſeminibus Oryzæ colore lacteſcente eſt, ſapore ſubmucilaginoſo, leniter dulceſcente, gelatinoſum, non viſcoſum, conglutinans; quæ vis glutinandi non tollitur ex additione Paſſularum, aromatum, pauxillo butyri & ſalis medii. Semina oryzæ, cum aqua vel lacte in pultem cocta, vim conglutinandi inſignem habent, etiam poſtquam per 5 vel 6 horas ebullitionem ſuſtinuerunt. *Infuſum* ſemin. oryzæ aquoſum, in balneo digeſtione paratum, ſublacteſcens fit; affuſo vitriolo martis color conſtat.

OBS. 2. Liquor ſpirituoſus fœtidiuſculus ex oryza in China celebris eſt, ſub nomine *Samſu*, qui apud Japonenſes *Sakki* vocatur. In Batavia & Goa *Aracum* parant ex Oryza, Arundine ſaccharifera & Nucibus Cocos, ut narrat cl. PETR. OSBECK (*).

OBS. 3. *Panis* ex oryza ſolummodo imperfectus parari poteſt. Si farina ſeminum oryzæ cum aqua frigida

(*) *Oſtind. Reſa,* p. 198.

gida in paſtam redigitur, addito fermento ex tartaro cereviſiæ, imperfecte fermentat, & in furno cocta abit in panem album, ponderoſum, adſpectu quidem pulchrum, odore panis recentis, ſed minime edulem, ob farinæ particulas duriuſculas, nondum emollitas, quæ manſæ difficulter in ore ſolvuntur. Si vero farina oryzæ cum aqua bulliente, ſub coctione aliqua, in paſtam efformatur, addito fermento, paullo melius res procedit, paſta fermentat, & mollis fit ac ſubſpongioſa, ſed ſub coctione in furno diffluit hæc paſta, panis non elevatur, ſed attenuatur, & maſticatus difficulter in ore ſolvitur.

OBS. 4. *Oryza glutinoſa*, in India orientali vulgaris, quæ coctione glutinoſa fit;* & vulgari oryza dulcior eſt, in Europam non transfertur.

OBS. 5. Farinæ oryzaceæ unc. 4 deſtillavit cl. SAGE (*), unde elicuit acidi colorati unc. 2; olei ponderoſi, nigricantis, drachm. 3; alcali volat. gr. 10. Carbo, qui remanſit, pondere fuit unc. 1 & gr. 58.

ORDO
TRIGYNIA.

182. RUMEX Patientia. LINN. *Sp. pl.* 476.
Lapathum ſativum antiquorum. MUNTING. *Aardgew. t.* 692.
Lapathum ſativum. BLACKW. *Herb. t.* 489. DODON. *Pempt.* 637.
Pharm. *PATIENTIÆ* Radix.
Culinis —— Herba virens.
Locus. Italia. Colitur ubique in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix fuſiformis, ſpithamæa, ſubramoſa, fibris ſparſis, undique lutea; *parency-*

(*) *Analyſe des Blés*, p. 72.

cymate carnoſo, luteo; poſt ſectionem transverſalem centro medullari parviuſculo, nebuloſo, circumdato diſco amplo, minutim ſtriato, radiato, margine ſerie punctorum obſoletorum. *Caules* ſæpe plures ex una radice, erecti, bipedales, parce ramoſi, teretes, undique ſtriati, glabri, dilute ſangvinei, ſæpe virideſcentes, geniculati. *Rami* intra vaginam ſtipularem alterni, graciles. *Folia* ad genicula, alterna, ſubſucculenta, petiolata, ovali-lanceolata, acuta, utrinque glabra, ſubrugoſa, ſpithamæa vel ultra, integerrima, patentia. *Vaginæ* ſtipulares ad genicula caulis, e petioli baſi enatæ, membranaceæ, teneræ, nervoſo-ſtriatæ, glabræ, tubuloſæ, caulem arcte involventes: ore obliquo, integro. *Petioli* ſubtus convexi, ſupra planiuſculi, undique ſtriati. *Racemus* terminalis, compoſitus, erectus, floribus polygamis, pedunculatis, ſubverticillatis, ſub antheſi patentibus, fructibus vero nutantibus. *Vaginæ* bracteatæ, membranaceæ, teneræ, campanulatæ, perfoliatæ, oblique truncatæ. *CAL. Perianth.* viride, monophyllum, tripartitum; laciniis linearibus, obtuſis, concaviuſculis, glabris. *COR. Petala* 3, ovata, latiuſcula, plana, ſuperne concaviuſcula, obtuſa, virideſcentia, erecta. *STAM. Fil.* 6, capillaria. *Antheræ* didymæ, albæ, apice bifidæ, erectæ. *PIST. Germen* ſuperum, trigonum, nitidum, ſubluteſcens. *Styli* 3, capillares, deflexi. *Stigm.* alba, penicilliformia, decumbentia. *Obſ.* Fœminei flores, hermaphroditis immixti, brevius pedunculati ſunt, hermaphroditisque triplo minores.

PROPRIET. recent. *radicis*: *Odor* debilis; *ſapor* amaricans; *maſticata* ſubſucculenta, comminuitur, ſaliva luteſcente. *Folior.* rec. *odor* nul-

 lus;

lus; *ſapor* grate acidulus; *maſticata* teneriora, ſucculenta, ſaliva viridi.

VIRTUS: radic. laxans, tonica. *Folior.* refrigerans, antiſcorbutica.

USUS: Folior. culinaris.

OBS. Radix recens fortius alvum ducit, quam ſiccata; hinc utiliter additur apozematibus juſculisque medicatis vernalibus. *Folia* recentia in culinis per totam æſtatem uſualia ſunt, atque initio veris inter prima oleracea obveniunt. Coſta tenera valde evadunt, & cito coquuntur. In aqua primum leniter infundantur, & deinde eximantur, tum in butyro bene frigantur, addito pauxillo farinæ & ſacchari, & tandem parentur cum cremore lactis acidulato ſive vitellis ovorum, qua encheireſi ſapida fiunt. Utilis hæc planta perennis, frigoris & ſoli patiens.

183. RUMEX alpinus. LINN. *Sp. pl. 480. Mat. med. 178.*

Lapathum rotundifolium. CLUS. *Hiſt. 2. p. 69.*

Lapathum foliis obtuſis, circa petiolum emarginatis, paniculis denſe ſpicatis, vaginis maximis. HALL. *Helv. 2. p. 270.*

Lapathum folio rotundo alpinum. BAUH. *Hiſt. 2. p. 987.*

Pharm. RHABARBARI MONACHORUM Radix.

Locus. Alpes Helvetiæ & Europæ auſtralis. *Biennis.*

FORMA. Radix rec. magna, brachialis, ramoſa, rugis transverſalibus approximatis, extus purpuraſcens; *parencymate* carnoſo, ſucco luteo turgido; *ſicc.* in taleolas longitudinales in officinis occurrit, *parencymate* ex albo & luteo variegato, ſimili Rheo vero, at magis albicante, ſubfriabili. *PRO-*

PROPR. ſicc. Odor fere ut corium perfectum, ſimul in Rheum incidens. *Sapor* leniter amaricans, ſubrhabarbarinus. *Maſticata* radix in ore facile emollitur, ſaliva crocea.

VIRTUS: leniter laxans, ſubadſtringens, tonica.

USUS.

OBS. Infuſum aquoſum luteo-rubicundum, odore radicis, ſapore conſimili, leniter amaricante. Ex vitriolo martis fuſceſcit.

184. RUMEX aquaticus. LINN. *Sp. pl. 479. Mat. m. 177.*
Britannica antiquorum vera. MUNT. *Aardgewaſſ. t. 697.*
Lapathum paluſtre. TABERNÆM. *Icon. p. 437.*
Hydrolapathum. DALECH. *Hiſt. 604.*
Pharm. HERBÆ BRITANNICÆ Radix, Herba.

Locus. Europa, ad ripas fluviorum & foſſarum. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix majuſcula, ſuperne diviſa in ramos plures, pollice grandiores, fuſiformes, glabros, fuſcos, apice ſubramoſos, ſerie triplici vel quadruplici longitudinaliter fibrilloſos, pedales vel longe ultra; *parencymate* carnoſo, croceo; poſt ſectionem transverſalem diſco undique obſolete ſtriato, centro medullari amplo, inſtructo ſtella ſtriata, cincto annulo tenuiore, per ambitum minutim undique ſtriato; corticali parte tenuiore, coriacea, facile ſecedente. *Caulis* tripedalis, erectus, teretiuſculus, geniculatus, ſubangulatus, undique ſulcatus: ſulcis atomis parvis elevatis ſcabriuſculis notatis; ſuperne ramoſus. *Rami* alterni, axillares e foliis, erecti, flo-

floriferi. *Folia* ad genicula, alterna, petiolata, cordato-oblonga, acuta, utrinque glabra, margine integro, minutim undulato; ſuperiora lanceolata, baſi latiora. *Petioli* teretes, undique ſulcati, ſupra canaliculati, baſi vaginati: vagina gibba, carnoſa, amplexicauli, ſtricta, canaliculata. *Stipula* membranacea, amplexicaulis, tubulata, brevior, vaginæ & geniculo infixa: ore truncato-lacero. *Panicula* terminalis, undique ſtriata, virgata, compoſita e racemis compoſitis, ſubfolioſa, erecta, floribus ſubverticillatis, patentibus; longius pedicellatis: pedicellis capillaribus. *Bracteæ* parviuſculæ, teneræ, membranaceæ, rotundatæ, amplexicaules, floribus oppoſitæ. *CAL. Perianth.* monophyllum, turbinatum, glabrum, trifidum: laciniis ovato oblongis, acutis, concavis, erectis. *COR. Petala* 3, ovato-oblonga, obtuſa, ſeſſilia, viridia, venuloſa, erecta, calyce longiora. *STAM. Filam.* 6, ſetacea, longitudine calycis. *Antheræ* oblongæ. *PIST. Germen* ſuperum, triquetrum, glabrum, læve. *Styli* 3, ſetacei, breviuſculi. *Stigm.* penicilliformia, ſupra angulos germinis dependentia. *Semina* triquetra, glabra, tecta valvulis tribus ovatis, obtuſis, venoſis.

PROPRIET. Radic. rec. *Odor* recenter ſectæ radicis ſubfragrans, in Dauci odorem incidens. *Sapor* acris, acidulus, ſtypticus, ſimul amaricans, non ingratus; *maſticata* radix recens ſubſolvitur, ſaliva crocea. *Folior.* recent. *odor* nullus, *ſapor* aceſcens, ſubſtypticus.

VIRTUS radicis: adſtringens.

USUS: rad. Scelotyrbe, Cacoëthes.

OBS. 1. *Infusum* aquosum *radicis* stypticum, cum vitriolo martis subito nigrescit; *herbæ* infusum rubicundum, acido-austeriusculum, vitriolo martis pariter nigrescit.

OBS. 2. Experiundum, num *Rumex Britannica* Linn. *Sp. pl. 476.* Britannica americana Munt. *Aardgew. t. 703*, quæ in Virginia crescit, virtute nostram Europæam antecellat. Certe cl. Colden (*) præclara de Americana narrat, & affert casum ulceris phagædenici palati, osse fere peresso, lavamento e radice extus, & decocto radicis intus sumto, penitus curati.

185. RUMEX acutus. Linn. *Sp. pl. 478. Mat. m. 176.*

Lapathum acutum f. oxylapathum. Bauh. *Hist. 2. p. 983.* Lob. *Icon. 284.*

Pharm. LAPATHI ACUTI Radix, Semina.

Locus. Europa, in humentibus. *Perennis.*

FORMA. Radix recens dodrantalis, cylindrica, crassitie digiti, flavescens; *siccata* extus brunnea, *parencymate* pallide flavescente, striis gummosis. *Semina* triquetra: valvulis tribus cordatis, obtusis, venosis, margine crenulato dentato; singulis graniferis: grano ovato-acuto, minutim rugoso.

PROPRIET. Odor nullus. *Sapor* radicis amaricans, subausterus; *masticata* radix comminuitur, saliva crocea; *foliorum* acidulus; *seminum* austerus.

VIRTUS radicis: adstringens, tonica, sublaxans.

USUS: Morbi cutis.

OBS. *Infusum radicis* aquosum rubro-lutescens, amarum, ingratum; vitriolo martis fuscescit; *seminum* in-

(*) *Act. Upsal. ann. 1743. p. 115.*

infuſum ſaturate rubrum, auſteriuſculum; vitriolo martis nigreſcit.

186. RUMEX Acetoſa. LINN. *Sp. pl. 481. Mat. m. 529.* MUNT. *Aardgew. t. 278.*
Acetoſa. BLACKW. *Herb. t. 230.* ZANNICH. *Venez. t. 233.*
Acetoſa montana maxima. BAUH. *Pin. 114.*
Oxalis. DODON. *Pempt. 637.*
Pharm. *ACETOSÆ* Radix, Herba virens, Semina.
Locus. Europa, in paſcuis; ſed colitur in hortis quæ officinalis eſt. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix ramoſa, fibroſa: ramis & fibris cylindricis, luteis, glabris, deſcendentibus; *parencymate* ſubcarnoſo, albo, poſt ſectionem transverſalem minutim ſtriato-radiato, annulo medullari amplo. *Caules* plures ex una radice, bipedales, erecti, teretes, ſtriato-angulati, glabri, geniculati. *Folia* alterna, ſubcarnoſa, lanceolata, acuta, ſagittata, palmaria, ſæpe ſpithamæa, pro diverſo ſolo, utrinque glabra, margine undulata; auriculis poſtice dentatis; inferiora folia petiolata; ſuperiora ſeſſilia; ſuprema linearia. *Stipulæ* membranaceæ, albidæ, teneræ, ſemitubuloſæ, nervoſæ, ſtrictæ: ore dentato: dentibus ſetaceis, elongatis. *Racemus* compoſitus, terminalis, nudus, floribus ſubverticillatis, pedicellatis, dioicis, nutantibus. *Bracteæ* ovato-acutæ, concavæ, amplexicaules. *Pedicelli* filiformes, diaphani, geniculo fuſco inſtructi. *Flor. fœmin. Perianth.* viride, monophyllum, tripartitum: laciniis ovatis, obtuſis, concavis, reflexis, margine membranaceis. *COROLLA* viridis, calyce paullo longior; *petalis* tribus ovalibus, obtuſis, erectis. *PIST.*

Ger-

Germen triquetrum, glabrum. *Styli* tres capillares. *Stigmata* penicilliformia, incarnata, trifariam ſpectantia. *Semina* verticillata, pendula, triquetra, ſpadicea, nitida, glabra, obvelata valvulis tribus orbiculatis, planis, rugoſis, margine lævibus, incarnatis, pericarpium triquetrum efformantibus, baſi fulcitum ſquamis calycinis 3 reflexis. *Flores maſculi* in diverſa planta.

PROPRIET. rec. radic. Odor nullus; *Sapor* debilis, vix amaricans; *folior. Odor* nullus; *Sapor* intenſius acidus, gratus; *maſticata* folia tenera, ſaliva virideſcente; *ſiccata* folia ſapore herbaceo, vix acidulo.

VIRTUS foliorum recent. refrigerans, antiſcorbutica, aperiens; *ſeminum:* adſtringens.

USUS folior. Scorbutus calidus, Ardor viſcerum, Eruptiones cutis, Diæta antifebrilis.

OBS. 1. *Succus* expreſſus herbæ virideſcens, odore debili, ſapore acidulo; a vitriolo martis non mutatur; cum ſale tartari debilius efferveſcit. Hic ſuccus ſubſidentia depuratus, tum inſpiſſatus, *ſal eſſentiale* acidulum ſiſtit.

OBS. 2. *Infuſum radicis* ſicc. aquoſum rubrum, ſapore amaricante, ſubauſtero, ſubnauſeoſo; vitriolo martis non demutatur; infuſum radic. recent. limpidum, amaricans, auſteriuſculum, vitriolo martis fuſceſcit. *Foliorum* recent. infuſum limpidum, aqueo colore, acidum; vitriolo martis haud mutatum, rubeſcit; *Seminum* infuſum rubrum, ſapore ſatis grato; ex vitriolo martis fuſceſcit.

OBS. 3. *Folia* recentia culinaria ſunt. Juſculis incoquuntur. Parantur etjam ut folia Patientiæ. Si ſuccus citri additur, ſapidiora evadunt. Juſculum ſapidum e foliis recentibus paratur; ſcil. folia minutiſſime

me concisa elixantur in áqua pura, cui passulæ Corinthiacæ additæ fuerunt & coxerunt; simul additur butyrum recens, cum flavedine cort. citri, cinnamomo & caryophyllis aromaticis integris; tandem perficitur jusculum cum vitello ovi, &, si placet, cum vino albo s. rhenano.

187. RUMEX scutatus. LINN. *Sp. pl. 480. Mat. m. 530.*

Acetosa rotundifolia hortensis. ZANON. *Hist. p. 11. t. 8.*

Oxalis rotundifolia. DOD. *Pempt. 638.*

Acetosa romana. BLACKW. *Herb. t. 306.*

Pharm. ACETOSÆ ROTUNDIFOLIÆ Herba.

Locus. Europa australis. Colitur in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Caulis inferne procumbens, teres, undique striatus, glaber, tinctus rore tenui glauco, pedalis, ramosus, succulentus. *Rami* alterni, adscendentes. *Folia* alterna, longius petiolata, cordato-sagittata, obtusa, subcarnosa, glabra, integerrima, margine tenui crystallino cincta, patentia; inferiora reniformia, basi rotundata; superiora magis cordata, postice acutiuscula, inferne latere utrinque excavato-recto; tenella triangularia. *Petioli* subtus convexi, striati, supra canaliculati, basi concavi. *Axillæ* foliorum foliolis fœcundæ. *Stipulæ* teneræ, membranaceæ, e basi petioli utrinque enatæ, ovato-acutæ, parviusculæ. *Racemus* florum terminalis, subvirgatus, nudus, erectus, ramis alternis. *Verticilli* florum dimidiati, quadriflori, exeuntes e vaginula bracteata tenera, membranacea, tubuloso-amplexicauli, breviuscula: ore truncato, labio

ovali, obtuſo, reflexo. *Flores* pedicellati, penduli. *Pedicelli* filiformes, uniflori, ſubcarnoſi, pallide virideſcentes, glabri, infra medium articulo inſtructi. *CAL. Perianth.* monophyllum, reflexo-patens, glabrum, tripartitum: laciniis ovatis, obtuſis, concavis; perſiſtens. *COR. Petala* 3, orbiculata, obtuſa, plano-concava, integerrima, virideſcentia, erecta, conniventia, perſiſtentia. *STAM. Fil.* 6, capillaria, corolla longiora. *Anth.* lineares, didymæ, obtuſæ, exſertæ. *PIST. Germen* ſuperum, ovatum, trigonum, glabrum. *Styli* 3, capillares. *Stigmata* alba, penicilliformia, intra petala exporrecta, calyci reſpondentia. *Semina* ſolitaria, triangularia, acutiuſcula, nitida, occultata intra valvulas obtuſo-rotundatas, e corolla excreſcente natas, & in formam triangularem conniventes; ſingula valvula baſi ſubgranifera.

PROPR. rec. Odor nullus. *Sapor* acidus, præcedenti longe gratior & acidior.

VIRTUS: præcedentis.

USUS: præcedentis.

OBS. *Infuſum* aquoſum foliorum recent. limpidum, colore aqueo; odore debili, fere Portulacæ; ſapore intenſius acido, grato; cum vitriolo martis fuſceſcit.

188. COLCHICUM autumnale. LINN. *Sp. pl.* 485. STÖRCK. *Libell. de Colch. autumn p.* 1. *t.* 1. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 12. DOD. *Pempt.* 457.

Pharm. *COLCHICI* Radix recens.

Locus. Europa auſtralis, in pratis depreſſis. *Perenne.*

FORMA. rec. Bulbus oblique ſubrotundus, antice gibbus, vix conicus, magnitudine Pomi minoris, veſtitus tunica coriacea, extus brunnea, nervoſa: nervis parallelis; obvelatus membrana tenuiore luteſcente; dorſo profunde canaliculatus ſ. longitudinaliter excavatus; latere anneсtens bulbulum parvulum, futuro anno florentem, ipſi bulbo intruſum. *Parencyma* ſolidum, album; transverſaliter ſectum æquale, carnoſum, ſubſucculentum, præcipue tempore autumnali, poſtquam bulbus annotinus evanuit; hinc ſi tempore vernali bulbi colchici effodiantur & colligantur, annotini non ſumendi. *Spatha* tubuloſa, cylindrica, bulbo duplo longior, cavo bulbi intruſa, alba, lævis, apice ore obliquo, baſi radicans: penicillo fibrarum breviuſculo; includens rudimenta foliorum 4 vel 5, albo-virideſcentia, ſpatha breviora, proximo anno prorumpentia, floresque plures, 3, 4 vel 5, ſeſſiles. *COROLLA* nuda, monopetala. *Tubus* longiſſimus, ſpithamæus, albus, glaber, hinc plano-concavus, inde convexus, ſuperne triqueter, ſpatha multum longior, undique ſtriatus, erectus. *Limbus* violaceo-incarnatus, ſexpartitus: laciniis ovali-oblongis, obtuſiuſculis, erectis. *Faux* ſubluteſcens. *STAM. Fil.* 6, ſubulata, ori tubi inſerta, luteſcentia, limbo breviora. *Anth.* cylindricæ, incumbentes. *PIST. Germen* ſuperum, lineari-ovale, obtuſum, album, glabrum, utrinque compreſſum, hinc ſtria longitudinali, centrali, inde ſtria utrinque marginali. *Styli* 3, filiformes, longiſſimi, albi, ſericeo-nitentes, inferne flexuo-

ſi,

ſi, ſuperne recti. *Stigm.* uncinata, purpuraſcentia, altitudine ſtaminum.

PROPR. rec. tempore æſtivali: *Odor* hircinus; ſed recenter reſectæ radicis odor ſimul irritans, nares faucesque feriens. *Sapor* acris; *maſticatus* bulbus acris, lingvam faucesque fortius rodens, rigidas faciens, diu inhærens; tempore vero autumnali ſapor longe debilior, ſubfarinoſus. Bulbus reſectus non lacteſcit, ſed ſcatet ſucco albido ex amylo immixto, in cultro ſe deponente.

VIRTUS: rec. diuretica, draſtica, nimia doſi venenata. *Sicc.* fere effœta.

USUS. Hydrops.

OBS 1. *Oxymel*, ex hac radice petitum, in uſu eſt. Paratur acetum Colchici digerendo radicem recentem, h. e. bulbos vigentes, in aceto. Hujus radic. unc. 1 immittenda eſt aceti vini libr. 1. Si aceti colch. libr. 1 additur mellis ſinceri libr. 2; hæcque ſupra lenem ignem agitatione miſcentur, obtinetur oxymel colchici. Dedimus frequenter ægrotis hydropicis ex hoc oxymelle, apparato e radicibus colchici ab exteris apportatis; ſed Squilla longe inferius illud deprehendimus.

OBS 2. Radix colchici recens, ut Solanum tuberoſum tractata, *amylum* dat, album, friabile, poſt debitam lotionem non acre. Dedi, repetitis vicibus, gallinæ ſcrup. 1. hujus amyli, in ſole ſiccati, & per plures ſeptimanas ſervati, unde illa nullum incommodum experta fuit. Amylum hoc, in aqua fluviatili coctum, gelatinam præbuit fuſcam, ſimilem gelatinæ ex Sagu, ſapore fatuo, bene glutinantem.

189. COLCHICUM illyricum. Lobel. *Hist.* 73. *t.* 73. Gronov. *Orient.* 122. Rauw. *Rais* 121.

Pharm. HERMODACTYLI Radix.

Locus. Oriens, Arabia.

FORMA. ſicc. Bulbi ſubrotundi, compreſſiuſculi, magnitudine ovi columbini, læviuſculi, pallidi; *parencymate* albo, ſolido.

PROPR. ſicc. Odor nullus. *Sapor* dulceſcens.

VIRTUS: rec. purgans, ſubemetica (Geoffroy); *ſicc.* ſubincidens, fere effœta.

USUS.

CLASSIS VIII.

OCTANDRIA.

ORDO

MONOGYNIA.

190. TROPÆOLUM majus. LINN. *Sp. pl. 490. Mat. m. 181.*

Viola inodora ſcandens, naſturtii ſapore, maxima odorata. HERM. *Lugd. Bat. 628. t. 629.*

Naſturtium indicum. LOB. *Icon. 516. Hiſt. 338.*

Pelon Mexixquilitl. HERNAND. *Mex. 161.*

Culinis NASTURTII INDICI Flores virentes, Fructus conditi.

Locus. Peruvia. Colitur nunc ubique in hortis. *Annuum.*

FORMA: rec. Flores longius pedunculati. *CAL. Perianth.* monophyllum, luteſcens, glabrum, quinquefidum: laciniis lanceolatis, acutis, ſubſtriatis, erectis; quarum 2 inferiores & ſuprema æquales, 2 laterales, oppoſitæ, duplo fere majores; 3 vero ſuperiores latere interiore inferne nigro-ſtriatæ, baſi exeuntes in cornu *nectareum* conicum, rectum, obtuſiuſculum, obſolete quinquangulatum, glabrum, longiſſimum. *COR.* fulva. *Pet.* 5, patentia, obtuſo-rotundata, inæqualia; quorum 2 ſuperiora, ſupra cornu Nectarii, obovata, conniventia, apice ſubrevoluta, inferne anguſtata, calyci adnata, inferne picta: ſtriis nigricantibus; 3 inferiora æqualia,

 lon-

longius ungviculata: ungvibus cylindricis, longitudine fere calycis, latere interiore ſulcatis: rima connivente; laminis ſubrotundis, planis, diſtantibus, baſi concavis, multifido-ciliatis: ciliis in dimidium ungvium decurrentibus. *STAM. Fil.* 8, luteſcentia, ſubulata, glabra, erecta, apice inflexa, ſubæqualia, ungvibus petalorum paullo breviora. *Anth.* adſcendentes, ſubovatæ, ſulcatæ. *PIST. Germen* ſuperum, trigonum: angulis rotundatis, triſulcatis. *Stylus* cylindricus, luteſcens, longitudine ſtaminum, erectus. *Stigma* trifidum, acutum. *Bacca* magnitudine ſeminis Piſi majoris, trigona, tripartita, ſolidiuſcula: lobis ovatis, obtuſis, hinc carinatis, lævibus, inde convexis; quinqueſulcato-angulatis, monoſpermis. *Semina* 3, ſulcato-angulata.

PROPR. Florum rec. *Odor* exacte Naſturtii hortenſis, *ſapor* conſimilis; *maſticati* flores teneri, ſaliva fulva. *Bacc. condit. Sapor* acido-naſturtinus.

VIRTUS: antiſcorbutica.

USUS: culinaris.

OBS Flores recentes in ſatura herbaria crudi adhibentur, unde ſapida & adſpectu pulchra evadit. *Baccæ* condiuntur aceto.

191. AMYRIS elemifera. LINN. *Syſt. nat.* 266? *Mat. m.* 518.
Icicariba. MARCGR. *Braſil.* 98. DES MARCH. *Voyag.* 3. *p.* 265. *
Terebinthus Piſtaciæ fructu non eduli. BARRER. *Æquin.* 107.
Gum-Elemi-tree. HUGH. *Barbad. p.* 224.
Pharm. ELEMI Gummi.
Locus. America *Arbor.*

FOR-

FORMA. *Resina* in massa solida, subponderosa, discolor, variegata, e cinereo-viridescente & granis albicantibus vel luteis marmorea, immixtis glandulis quartziformibus, subdiaphanis, albo-viridescentibus, maculisque fuscis; consistentia ceræ, frigore dura, subfriabilis, cultro sectilis: secamentis albis.

PROPR. *Odor* fragrans, gravis, ad Galbanum accedens. *Sapor* gravis, amaricans; *masticata* plastica, emollitur, dentibus non adhæret, & non solvitur in ore. Inter digitos agitata, emollitur, plastica evadit & tenax, illisque adhæret. In vase ferreo supra ignem liquescit, ebullit, fumat cum odore fere resinæ Pini. In ignis flamma accenditur, destillat, flagrat: flamma vivida, lucida, fumante, fuliginosa, relictis carbonibus. Solvitur in spiritu vini, tinctura citrina; sed non solvitur in aqua; verum aquæ frigidæ infusa, odorem & saporem ei communicat. Cum aqua destillata, dat, uti monet cl. LEWIS, *Oleum stillatitium*, tenue, limpidiusculum, sapore leviter pungente, fragrantia ipsius resinæ intensiore; remanente resina inodora, friabili; ex G. Elemi unc. 16 obtinetur olei still. unc. 1. Si in oleo stillat. (e. gr. Terebinth.) digeritur Elemi, solvitur secundum partem, emollitur, tingitur colore pallide lutescente; cum oleo expresso (ex. gr. olivarum) solvitur etiam secundum partem, & tingit oleum lutescente colore.

VIRTUS: vulneraria, diuretica.

USUS. Vulnera.

192. AMYRIS Opobalsamum. LINN. *Mant. 1. p. 65. Amoen. acad. 7. p. 68.* Mat. m. 512.* FORSKÅL *Descript. pl. cent. 3. p. 79.**

Pharm. MECCÆ Balsamum.

Locus. Arabiæ provincia Jemen. *Arbor.*

FORMA. Resina liquida, consistentia syrupi, vel tenacior, pro diversa ætate, limpida, lutescens; ætate spissa, tenax fit, vix fluida.

PROPR. Odor Menthæ gentilis. Variat odor pro diversa bonitate; vidi Balsamum Meccæ odore terebinthinato, etiam odore in Macin incidente. *Sapor* aromaticus, amaricans, calidiusculus, acriusculus, odori congruens. *Tactu* pingviusculum sentitur balsamum. Cum aqua frigida agitatum albescit, & axungiæ porcinæ simile fit. Aquæ frigidæ instillatum, primo subsidit, mox surgit, innatat, & brevi figuram suam sphæricam amittit, supra aquæ superficiem extenditur, & pelliculam format, omnis coloris expertem, penitus limpidam, lævissimam, ex afflatu frigidiusculo mox opalescentem, adeo tenacem, ut forcipula eximi & elevari possit; hæc pellicula, convoluta, albida fit, & digitis leviter adhæret. Aquæ calidæ balsamum instillatum, in pelliculam pariter extenditur, quæ tamen tenax non prius fit, quam penitus refriguit aqua. In Spiritu vini rectificatissimo subsidit balsamum ad fundum; si vero laguncula agitatur, miscetur cum spiritu: atomis albicantibus, subsidentibus; sed digestione solvitur: tinctura limpida; quæ aquæ frigidæ instillata mox lactescit. In oleo expresso sub digestione pariter solvitur: solutione limpida; sed si balsamum de Mecca cum oleo expresso & aqua frigida teritur & agitatur, albescit, & faciem ungventi pomadini induit. In oleo terebinthinæ rectificato frigide solvitur. *VIR-*

VIRTUS: vulneraria, diuretica.

USUS. Vulnera.

OBS. 1. Cortex arboris ruptus s. incisus balsamum fundit; PETR. FORSKÅL. De Opobalsamo concinnam narrationem tradit STEPH. GERLACH (*). Scilicet crescunt hæ arbores in Arabia, ad pagum Bederhunin appellatum, medio itinere inter Medinam & Meccam, locis arenosis & saxosis, tractu non ita amplo, circiter milliaris unius longitudine. Arbores diffusæ sunt, altitudine orgyæ unius vel 1 ß, foliis dissectis, cortice lutescente, odore balsami fragrante. Tempore vernali, initio fere Aprilis, incipiunt arbores balsamum stillare ex cæsuris ramorum minorum, supposito vasculo, quo balsamum excipitur. Sed quælibet cæsura vix ultra 3 vel 4 guttas balsami, quæ drachmam 1 efficiunt, per diem stillat; nec plus quam 10 aut 15 drachmæ balsami ex optima quaque arbore haberi potest, ob intensum ardorem solis, qui communiter postea incidit; & arbor nonnisi vere stillat balsamum. Probatur balsami bonitas ab incolis duplici modo, nempe vel frictione balsami in vola manus cum digito, addita aqua, unde bonum ungventum fit, album, cremoris lactis instar, aquæ inimicum; vel etiam balsamum vitro aquæ frigidæ pleno instillando, ubi genuinum balsamum dignoscitur ab expansione ejus in pelliculam tenuissimam per superficiem aquæ. Monet vero auctor, posterius hoc de balsamo antiquo non intelligi debere, quippe quod fundum petit, dum aquæ instillatur. Incolæ Opobalsamum adhibent ut sudoriferum, in rheumatismis propinatum. In ipsa patria adulteratur oleis immixtis, salva quidem fragrantia, sed cum privatione plenaria criteriorum supra adductorum.

(*) *Tage-buch. der von zween Röm. Kaysern an die Ottom. Pforte zu Constantinopel abgefertigten Gesandtschaft.* Frankf. am Mayn 1674. *p.* 277. *seq.*

OBS 2. Ex Anglia habui balſamum a priore diverſum (*), ſub nomine *Balſami gileadenſis.* Hoc balſamum luteum erat, omnino liquidum, ſed tenax ſimul, in fila ductile, odore fragrante, balſamico, fere balſami Meccæ, verum debiliore; ſapore reſinoſo, amaricante. Hujus balſami gutta 1, aquæ inſtillata, natabat, ſupra aquæ ſuperficiem expanſa erat, eodem modo ac balſamum Meccæ.

OBS. 3. Relatio hiſtorica controverſiæ de Opobalſamo, una cum ſerie ſcriptorum, a variis viris ſuper hac materia exaratorum, atque opobalſami examine, in extenſo legi poteſt in J. G. Volcameri *Opobalſami orientalis in Theriaces confectionem Romæ revocati examine &c.* Norimb. 1644.

OBS. 4. Genuinum Balſamum de Mecca adeo rarum eſt in ipſa urbe Conſtantinopoli, ut nonniſi perquam difficulter ibi haberi poſſit, prout obſervavit Maria Wortley Montague (**). Et vero perſtringit illuſtris hæc fœmina errorem popularem de vi coſmetica hujus balſami, quaſi id omnino cutem fœminarum Turcicarum teneram efficeret, adeoque ad formoſitatem earum permultum conferret. Neque id ſine experientia dicit. Etenim ipſa aliquando, propriæ formoſitatis augendæ gratia, faciem ſuam hocce balſamo inunxerat, quod inumbrante veſpera factum; at proximo mane tota facies ipſi cum rubore intumuerat, atque in eo ſtatu per tres continuos dies perrexerat, quibus finitis, ſe nequicquam formoſiorem, quam fuerat antea, deprehenderat.

193. SANTALUM album. Linn. *Sp. pl.* 497. *M. m.* 183. Raj. *Hiſt.* 1804. Rumph. *Amb.* 2. *p.* 42. *t.* 11.

Santalum verum. Breyn. *Icon. p.* 19. *t.* 5. *f.* 1.

Chan-

(*) Cfr Lewis *Mat. med. p.* 412.

(**) *Lettres*, *Tom.* 2. *p.* 57.

Chandana-Maraum. Brown. *Phil. Transact. v. 23. p. 1057.* *

Pharm. *SANTALI CITRINI* vel *ALBI* Lignum.

Locus. India orientalis, Siam, Insula Timor. *Arbor.*

FORMA. *Lignum* durum, ponderosum, longitudinaliter fissile, nitidiusculum, ferrugineo-citrinum, vel pallidum.

PROPR. citrini: *Odor* fragrans, urinosus, subambrosiacus, pertinaciter inhærens. *Sapor* leniter aromaticus, vix amaricans; *album* usquequaque debilius.

VIRTUS: sudorifera.

USUS.

OBS. 1. *Infusum* aquosum Santali citrini limpidum, parum tinctum, odore suburinoso, sapore subdulcescente; a vitriolo martis non demutatur. *Oleum still.* fragrans, in frigore butyraceum.

OBS. 2. Santalum *citrinum* est pars medullaris arboris; *album* vero est alburnum trunci; Hermannus.

OBS. 3. Arbor recens concisa halitum venenatum spirat, unde Synocha a Santalo; Bontius.

194. VACCINIUM Myrtillus. Linn. *Sp. pl. 498. Mat. med. 184.* Kniph. *Bot. orig. cent. 8.*

Vitis idæa foliis oblongis albicantibus. Duham. *Arb. 2. p. 363. t. 107.*

Vaccinia. Blackw. *Herb. t. 463.*

Vaccinia nigra. Dodon. *Pempt. 756.*

Idæa vitis. Dalech. *Hist. 1. p. 191.*

Pharm. *MYRTILLI* Baccæ.

Locus. Europa borealis, in sylvis umbrosis. *Fruticulus.*

FORMA. rec. *Baccæ* globosæ, nigro-purpureæ, nitidæ, magnitudine seminis Pisi, apice umbi-

bi-

bilicatæ: umbilico duplici, depreſſo; exteriore cincto margine parvo, integerrimo, erecto; interiore in centro exterioris, convexiuſculo, margine crenulato, centro concavo, undique cincto margine minuto, adpreſſo, minutim crenulato. *Parencyma* carnoſo - ſucculentum, polyſpermum. *Semina* plurima, rufeſcentia, compreſſa, lineari-reniformia, dorſo convexa, antice acutiuſcula, minutiſſime rugoſa.

PROPR. rec. Odor nullus. *Sapor* acidulus. *Maſticatæ* baccæ ſuccoſæ, ſaliva ſaturate purpurea; lingva labiisque colore cæruleo-purpureo, inhærente, tinctis.

VIRTUS: refrigerans, reſtringens.

USUS. Diarrhœa.

OBS. *Succus* expreſſus baccarum fuſco-purpureus, ſubrubeſcens, ſpiſſiuſculus, acidus, ſubſtypticus; colatus cum Spiritu Vitrioli phœniceus fit; cum ſolut. Aluminis kermeſinus; cum Vitriolo martis nigreſcit, ſed aqua dilutus nigro-cæruleſcit, & violaceus fit ſi ulterius diluatur; cum oleo Tart. p. d. cæruleo-violaceus evadit, ſed aqua dilutus cæruleus fit. Sumſi ſal. Tartari ſcrup. 1, quem ſaturavi cum ſucco non colato; ſub ſaturatione mixtura nigro-cæruleſcebat; ſed quando ad punctum ſaturationis veniebat, coagulabatur, ſpiſſaque fiebat inſtar pulmenti, ſapore ſatis grato. Quamvis aqua fontana dilueretur, turbida tamen apparuit, & brevi ad fundum ſubſidit quod ſpiſſum erat, ſupernatante aqua limpida, violacea; hæ fæces cæruleſcentes erant ac pulverulentæ. Ad juſtam ſaturationem ſalis alcalini requirebantur ſucci baccarum non colati drachmæ 13. Succum expreſſum deinde colavi per chartam emporeticam, unde clarior evaſit, ſpiſſiuſculus tamen, colore & ſapore ſucci non colati; remanſit in filtro gelatinæ ſpecies, colore & ſapore ipſius ſucci. Solutioni vi-

vitrioli martis, cum aquæ fontanæ unc. ℥ dilutæ, instillavi ſucci colati guttas 20, unde color emerſit nigro-purpuraſcens; quæ mixtura, poſtquam de novo aqua fontana diluta fuerat, referebat colorem pulchre purpureo-rubeſcentem.

195. VACCINIUM Vitis idæa. LINN. *Sp. pl. 500. Mat. m. 185.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1. & 9.* OEDER *Icon. t. 40.*
Vaccinia rubra. DODON. *Pempt. 758.*
Idæa radix. DALECH. *Hiſt. 1. p. 193.*
Pharm. & *Culinis VITIS IDÆÆ* Baccæ recentes, conditæ.
Locus. Europa borealis, in ſylvis macris, in illarum collibus. *Fruticulus.*

FORMA. rec. Baccæ ovali-globoſæ, ſangvineæ, læves, nitidiuſculæ, magnitudine ſeminis Piſi, baſi concaviuſculæ, obtuſo-rotundatæ, umbilicatæ: umbilico quadrangulari, depreſſo, pallido, centro excavato, rubicundo, margine parvo, quadripartito: laciniis ſubovatis, acutis, adpreſſis. *Parencyma* pulpoſum, ſucculentum, incarnatum, quadriloculare; ſed probe maturum ſuccoſum, ſangvineum. *Semina* plurima in ſingulo loculamento, parva, rubra, ovalia, incurvata, hinc concaviuſcula, inde convexa, apice acuta.

PROPR. Odor nullus. *Sapor* validius acidulus, ſubacerbus. Baccis *maſticatis* rumpitur corticalis pars, exprimitur pulpa, in ore ſolubilis, acidior; comminuitur corticalis pars, acerbior.

VIRTUS: refrigerans.

USUS. Febrium æſtus.

OBS. 1. *Rob* baccarum in culinis uſitatiſſimum; adhibetur inter bellaria. Baccæ condiuntur Saccharo, atque

que ſatis ſapidæ fiunt. Gelatina pulchra ex hiſce baccis parari poteſt, ſed colligendæ primo autumno, ante inſultum frigoris, poſtea enim gelatinæ non amplius habiles ſunt. *Infuſum* baccarum recentium in aqua fontana frigide paratur in culinis, & ſervatur in vaſis vitreis probe obturatis; ſapidum eſt, refrigerans, acidulum, rubrum, diu ſe conſervans, a febricitantibus maxime expetitum.

OBS. 2. *Vinum* etiam ex hiſce baccis probe maturis paravimus, addito ſaccharo, fermentatione vinoſa. Rubrum id fuit, minus ſpirituoſum quam e baccis dulcioribus, ſapidum tamen & adſpectu gratum, tempore æſtivali refocillans.

196. VACCINIUM Oxycoccos. LINN. *Sp. pl. 500.* OEDER *Icon. t. 80.*

Vaccinia paluſtria. DOD. *Pempt. 758.* LOB. *Icon. 109.* BAUHIN. *Hiſt. 1. p. 525.*

Pharm. OXYCOCCI Baccæ recentes, conditæ, Syrupus.

Locus. Europa, America borealis, in paludibus muſcoſis. *Fruticulus.*

FORMA. rec. Baccæ rubro-purpureæ, magnitudine Piſi majoris, ſæpe fructus Ceraſi minoris, globoſæ, undique glabræ, nitidiuſculæ, apice terminatæ umbilico parviuſculo, ſubquadrangulari, quadripartito: laciniis rotundato-obtuſis, ſubcrenatis, erectiuſculis. *Parencyma* ſemimaturæ baccæ carnoſum, incarnatum, quadriloculare; probe vero maturæ ſuccoſum, molliſſimum, ſucco rubro. *Semina* plurima ovata, acuta, ſubincurvata, minutim rugoſa.

PROPR. probe maturæ baccæ: *Odor* vix ullus. *Sapor* acidulus, fere baccæ Vitis ideæ.

VIRTUS: refrigerans.
USUS: Febrium æſtus.

OBS. 1. Baccæ frigoris patientiſſimæ ſunt. Vix probe matureſcunt ſub autumno; etſi rubent, tamen duræ & carnoſæ ſunt; ſed poſtquam hyemem ſuſtinuerunt, primo vere decerpi debent, gratæ tunc, ſuccoſæ, ſalubres.

OBS. 2. *Syrupus* baccarum gratus eſt, tam colore quam ſapore, ab ægrotis expetitus. Baccæ Saccharo conditæ in culinis noſtris notiſſimæ. *Gelatina* pulcherrima & ſapidiſſima paratur e baccis ſub autumno, ante inceptum frigus collectis; ſangvineo colore eſt, ſapore acidulo. *Mel Oxycocci* Pharm. Svec. grate acidum eſt, conſiſtentia fere oxymellis, in febribus utiliſſimum.

197. DAPHNE Thymelæa. LINN. *Sp. pl. 509.*
Thymelæa foliis Lini. DUHAM. *Arbr. 2. p. 326. t. 93.*
Thymelæa alpina glabra, floſculis ſubluteis ad foliorum ortum ſeſſilibus. PLUKEN. *Almag. 366. t. 229. f. 2.*
Sanamunda glabra. BAUH. *Hiſt. 1. p. 592.*
Garou *Gallis.*
Pharm. MEZEREI Cortex.
Locus. Europa auſtralis. *Frutex.*

FORMA. ſicc. Cortex albidus, ſectus in ſegmenta longitudinalia, tenaciſſimus, molliſſimus, ſericeus, quaſi e fibrillis tenuiſſimis contextus, tectus epidermide olivacea, lævi.

PROPR. ſicc. Odor nullus. *Maſticatus* indiſſolubilis, *ſapore* vix ullo, ſed ſi diutius in ore retineatur, valde acris ſentitur, fauceſque excandefacit, effectu diu inhærente, etiamſi fauces cum aqua

aqua frigida bene elutæ fuerint. *Recens* acerrimus, fauces inflammans.

VIRTUS: vomitoria, drastica, cardialgica, deurens; cuti applicatus cortex, in aqua emollitus, exulcerat: epidermide derasa; serum allicit.

USUS: Exutorium.

OBS 1. *Infusum* aquosum corticis colore infusi Theæ est, lutescens; cum vitriolo martis parum fuscescit.

OBS. 2. Cortex Mezerei medicina domestica a longo tempore fuit in provincia Onisio Galliæ, a mulieribus adhibita, practicis vero nuper commendata ab *anonymo* A. L. (*) singulari libello (**). Sumunt illæ segmentum corticis recentis, pollicis longitudine, latitudine 8 linearum, in aceto vini ad primas applicationes maceratum, quod brachio, supra musculum deltoiden, seu tibiæ applicant, superimposito folio hederæ, aut, hujus defectu, plantaginis, vel sparadrapo quodam, fasciaque circumligata. Initio cortex mane & vesperi renovandus, quoad cauterium rite exaratum fuerit, postea sufficit quovis mane, vel quovis altero die, corticem mutare, si nimirum debitus exstitit defluxus. Hæc cauterii species singularis est, penitus serosa, solam epidermidem exuit, & stillicidium seri fere unice allicit, atque *Exutorium* audit. Si cortex recens ad manus non sit, siccatus bene substitui poterit, cum ea solum cautela, ut maceratio in aceto vini, vel in aqua simplici, ad horas 8 protrahatur. Cortex e pluribus speciebus Daphnes promiscue sumi potest; ego semper usus sum cortice Daphnes Mezerei, in Svecia crescentis. Juvat corticem principio macerare in aceto vini, quoad epidermis exuta fue-

(*) cl. ARCHANGE LE ROY, Pharmacopola.

(**) *Essay sur l' usage & les effets de l' écorce du Garou.* Paris 1767.

fuerit; postea vero in aqua simplici. Ab hac cauterii specie non cito desistendum est, si effectum velis durabilem; sunt qui per longum tempus, immo per totam vitam, exutorium servant. Vices fert fonticulorum, vesicatoriorum, sinapismorum, humores alliciendo & evacuando, quo quidem revulsionem facit, plurimis in morbis chronicis salutarem. Post renovationes corticis dolor levis in exutorio sæpe sentitur, fugax tamen ille est; partes vicinæ communiter pruriunt, sæpe etiam inflammantur, si nimia portio corticis adhibita fuerit. Sæpe serum acre defluens ambitum rodit, sed nec hoc deterreat, cum sponte minuatur stillicidium, si mutatio corticis per 2 vel 3 dies differatur; medebitur etiam huic incommodo, si ambitus quotidie lavetur cum aqua frigida. Folia Plantaginis, vel alius herbæ subsucculentæ, cortici imposita, sæpe necessaria sunt, alias enim nimis cito siccescit exutorium, imprimis apud adultos sive torpidos. Brassicæ folia ceteris substitui possent, nisi fœtidiuscula evaderent, unde odor subcadaverosus, quem serum stillans communiter spirat, fœtore intenditur. Quando animus est exutorium relinquere, satis cito, & quidem intra paucos dies, sponte consolidatur. Cortices crassiores magis activi sunt, dum econtra teneriores debilius operantur, & vix perfecte epidermidem exuere valent. Quibus cutis est tenera, sufficit corticem, aceto maceratum, per nycthemeron solum supra cutem semel applicare, unde epidermis scabra fit cum pruritu, & sensim serum stillat per diem unum alterumve. Sed cum cortex ab uno loco removetur, alteri loco vicino imponi debet. Sic singulo die cortex novo loco imponendus: unde exutorium ambulatorium fit. Postquam exutorium persistens diutius apertum servatum fuit, apud mulieres sæpe prorupisse vidi eruptiones miliares, rubras, prurientes, brachium vel etiam totum corpus, ne capite quidem

dem excepto, occupantes, diſcretas vel in plagulas confluentes, quandoque moleſtiſſimas. Hæ eruptiones proveniunt præcipue ex acrimonia corticis, per exutorium reſorpta, & plerumque diſparent balneis tepidis, ſepoſito ſimul cortice. Sed ipſa hac reſorptione valide agit hic cortex in humores, tametſi extus applicatur. Sed ſi humores ſimul peccant, vidi tales eruptiones chronicas factas, tardiſſimæ ſanationis.

198. DAPHNE Mezereum. LINN. *Sp. pl. 509. Mat. m. 179.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 1.* OEDER *Icon. t. 268.*

Daphnoides vulgare. GESNER. *Faſcic. p. 9. t. 3. f. 10. & t. 6. f. 9.*

Daphnoides. CAMER. *Epit. 937.*

Chamelæa germanica. DOD. *Pempt. 360.*

Mezereum germanicum. LOB. *Hiſt. 199.*

Pharm. COCCUMGNIDII Semina.

Locus. Europa, in ſylvis umbroſis. *Frutex.*

FORMA. Bacca ovata, rubens, magnitudine fere ſeminis Piſi, includens *ſemen* globoſum, uniloculare, cortice fragili, continens *nucleum* globoſum, bipartibilem, album, cinctum tunica propria alba.

PROPRIET. Baccæ recent. acerrimæ; ſiccatæ paullo mitiores; *maſticatæ* urunt in lingva & fauces inflammant.

VIRTUS: vomitoria, draſtica, cardialgica, deurens.

USUS.

OBS. I. Baccæ Mezerei in officinis exoticis a Daphne Laureola LINN. ſumuntur. Hæ baccæ recentes, digitis preſſæ, merum pingve oleum ſudant, ut obſervavit VAN SWIETEN (*). Hoc oleum guſtavit illuſtris hic vir, illudque ſapore leni primum invenit, ſed

(*) *L. cit. T. 1. p. 638.*

ſed mox fauces inde ita inflammabantur, ut pæne ſuffocatum incuriæ ſuæ pœnituerit.

OBS. 2. *Cortex* Daphnes Mezerei exacte convenit cum cortice Daphnes Thymelææ, forma, proprietate, virtute & uſu; quare etiam hic in Svecia officinalis eſt, ſub nomine Corticis Mezerei. Videtur perinde eſſe, quænam ſpecies hujus generis eligatur.

OBS. 3. Mulierculæ ruri *baccas* Coccumgnidii propinant in morbis rebellibus, ſæpe effectu deleterio. *Corticem* radicis fruticis hujus laudat cl. ALEX. RUSSEL (*) in nodis venereis & doloribus oſteocopis nocturnis, idque 16 caſibus practicis comprobat, & quidem, ut obſervatorem decet, ingenue. Inde patet, nodos duros tibiarum, faciei, brachiorumque, qui ſæpe magnitudinem æquant Juglandis nucis, ſive fuerint manifeſte ſiphilitici, ſive minus, intra menſem ſolo cortice ſæpe reſolutos fuiſſe, doloremque ſedatum. Interdum curam ſublevavit hic RUSSEL mercurio ſublimato. Sed in vera exoſtoſi parum ipſi profuit hic cortex. Binos affert hicce vir caſus, ubi caries ſubfuit, quæ tamen feliciter curata fuit ſub uſu corticis, poſt applicatum cauſticum, inſequente exfoliatione. Corticem recentem ſemper adhibet, ſub forma decocti. Scil. Rc. cort. radic. Mezerei recent. unc 1, aquæ fontan. cong. 1 ß. Coque ad cong. 1, ſub finem adde Rad. Liquir. inciſ. unc. 1, cola. Hujus decocti libr. ß bibat æger quater in die.

ORDO
TRIGYNIA.

199. POLYGONUM Biſtorta. LINN. *Sp. pl.* 516. *Mat. med.* 188. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 1.

U 2 Bi-

(*) *Medical obſerv. and inquir. T.* 3. *p.* 189. *ſeq.*

Biſtorta major, radice magis intorta. GARID. *Aix. t. 14.*

Biſtorta. BLACKW. *Herb. t. 254.* CAMER. *Epit. 683.* DOD. *Pempt. 331.*

Biſtorta radice minus intorta. MILL. *Figur. t. 66.*

Pharm. BISTORTÆ Radix.

Locus. Europa auſtralis, in pratis ſubhumidis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix digitalis, ſubcylindrica, inflexa, extrorſum fuſca, rugis annularibus obſoletis, fibrillis undique ſparſis; *parencymate* recentis carnoſo, albido; ſiccatæ ſolido, fragili, cinereo vel rubeſcente; poſt ſectionem transverſalem annulo intra corticalem partem, conſtante e punctis albis, oblongis, approximatis.

PROPR. rec. Odor in Naſturtium incidens. *Sapor* intenſius ſtypticus. *Sicc.* odor nullus; ſapor ſiccus, ſtypticus, debilior recente.

VIRTUS: adſtringens, roborans.

USUS. Dentes vacillantes.

OBS. *Infuſum* aquoſum dilute rubro-luteſcens, intenſe ſtypticum & auſterum; ex injecto vitr. martis mox nigreſcit; & oleo Tart. p. d. ſpiſſeſcit, præcipitatur. *Decoctum* aquoſ. ſaturatum fuſco-rubrum, turbidum, intenſe ſtypticum, opacum; dilutum rubrum, turbidiuſculum. Decocti ſaturati gutta 1, inſtillata aquæ fontanæ unc. ß, in qua vitriolum martis ſolutum fuerat, colorem ſordide violaceum ſtitit; guttæ autem 2 decocti colorem ſaturatum, opacum, fuſco-violaceum effecerunt.

200. POLYGONUM Hydropiper. LINN. *Sp. pl. 517. Mat. med. 187.*

Hydropeperi. DODON. *Pemptad. 596.*

Pharm. PERSICARIÆ Herba.

Lo-

Locus. Europa, in fubhumidis. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix ramofa, longius fibrofa. *Caulis* erectiufculus, pedalis vel ultra, glaber, geniculatus: articulis teretibus, maculatis: maculis fufco-rubicundis; inferne incraffato-nodofis. *Rami* axillares e foliis, alterni, erecti, breviufculi; infimi vero elongati, caulefcentes, erecti, cauli conformes. *Folia* ad genicula, alterna, petiolata, reflexa, lanceolata, acuta, palmaria vel ultra, utrinque glabra, fed margine & carina fcabra, fubtus punctata, nervis alternis, obliquis. *Petioli* breviufculi, recurvi, fupra canaliculati, bafi vaginati: vagina urceolata, amplexicauli, utrinque compreffa, venis angulata. *Stipula* membranacea, cylindrica, tubulata, erecta, truncata, integra, vaginæ undique impofita, articulum caulis & rami inferne fovens. *Spicæ* florum alternæ, terminales, pedunculatæ, nudæ, nutantes, floribus brevius pedicellatis. *CAL.* campanulatus, tener, membranaceus, cinerafcens, quadrifidus: laciniis ovatis, obtufis, erectis. *COR.* nulla, nifi calycem velis. *STAM. Filam.* 6, fetacea, albida, corolla breviora. *Anth.* fubrotundæ, purpureæ, inclufæ. *PIST. Germen* fuperum, majufculum, viride, fuborbiculatum, utrinque compreffo-planum, glabrum. *Styli* 2, fetacei, reflexi, bafi coaliti. *Stigmata* capitulata. *Semina* folitaria, germini conformia, rufa.

PROPR. rec. Odor nullus.. *Sapor* acris; *ficcata* planta mitior.

VIRTUS: diuretica, cofmetica, adftringens.

USUS. Ulcera equorum.

OBS. *Infufum* aquof. acriufculum, fapore herbaceo, colore potus Theæ; per vitriolúm martis nigrefcit.

201. POLYGONUM aviculare. LINN. *Sp. pl. 519. Mat. med. 186.*

Polygonum. BLACKW. *Herb. t. 315.*

Polygonum mas. DODON. *Pempt. 113.*

Pharm. CENTUMNODIÆ Herba.

Locus. Europa, Virginia, in ſemitis, agris. *Annuum.*

FORMA. rec. Radix filiformis, cylindrica, deſcendens, alba, fibrilloſa. *Caulis* pedalis vel ultra, geniculatus, teres, ſtriatus, glaber, ex ima radice ramoſus, diffuſus. *Rami* elongati, alterni, divaricati, undique procumbentes, ſimplices, ſæpe parce ramuloſi, cauli conformes. *Folia* ad genicula, alterna, brevius petiolata, lineari-lanceolata, utrinque attenuata, glabra, acuta, pollicaria, integerrima, patentia, internodii longitudine. *Stipulæ* teneræ, albidæ, membranaceæ, nitidiuſculæ, amplexicaules, brevius tubulatæ, bifidæ: laciniis lanceolatis, acutis. *Flores* axillares, ſubquaterni, pedunculati: pedunculis collectis intra bracteam tubulatam, teneram, membranaceam, longitudine pedunculorum. *CAL. Per.* trigonum, 1-phyllum, 5-partitum: laciniis obovatis, concavis, carinatis, viridibus, ſuperne albis, erecto-patentibus. *COR.* nulla. *STAM. Fil.* 6, baſi latiora, apice ſubulata, calyce breviora *Antheræ* ſubrotundæ, trigonæ. *PIST. Germ.* trigonum, glabrum. *Styli* 3, breviſſimi. *Stigm.* capitata. *Semina* ſolitaria, nigra, triquetra, glabra.

PROPRIET. rec. Odor nullus. *Sapor* herbaceus, debiliſſimus.

VIRTUS. leniter reſtringens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. coloratum uti potus Theæ, ſubinſipidum; a vitriolo martis leniter fuſceſcit.

202.

202. POLYGONUM Fagopyrum. LINN. *Sp. pl.* *522. Mat. med. 188.*

Fegopyron. DODON. *Pempt. 503.*

Culinis FAGOPYRI Semina.

Locus. Colitur ubique. *Annuum.*

FORMA. Semina ovata, acutiuſcula, exacte trigona: angulis acutis; glabra, nitidiuſcula, magnitudine ſeminis cannabini vel ultra, ſpadiceo-cineraſcentia. *Parencyma* album, farinoſum, æquale, intra teſtam teneram.

PROPR. Odor nullus. *Sapor* debilis.

VIRTUS: nutriens.

USUS: cibarius.

OBS. 1. *Amylum* in larga copia dant hæc ſemina, albidum, cineraſcens, inter digitos crepulum; quod, coctione in aqua, gelatinam dat cineream, bene glutinantem.

OBS. 2. In culinis coquuntur hæc ſemina excorticata cum aqua in pultem, vel cum lacte in pulmentum. Saporem præbent hæcce fercula ſubaqueum, & nutriunt farinoſo. *Decoctum* aquoſum opaleſcens, refrigeratum gelatinoſum, ſapore ſeminum; vitr. martis affuſo color conſtat.

ORDO
TETRAGYNIA.

203. PARIS quadrifolia. LINN. *Sp. pl. 526.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 12.* BLACKW. *Herb. t. 286.*

Herba Paris. GARID. *Aix. t. 49.* DOD. *Pempt. 441.* TILLANDZ *Icon. 32.* LOBEL. *Icon. 267.*

Solanum tetraphyllum. LOB. *Hiſt. 137.*

Pharm. PARIDIS Herba.

Locus. Europa, in umbroſis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix filiformis, ſimplex, teres, geniculata: geniculis remotis; fibrilloſa, repens, horizontalis, palmaris, ſæpe ſpithamæa, glabra, albido-brunnea, craſſitie culmi ſecalini. *Parencyma* album, carnoſo-ſolidiuſculum, annulo centrali obſoleto. *Vagina* radicalis cylindrica, membranacea, ore obliquo. *Scapus* ſimpliciſſimus, cylindricus, erectus, palmaris vel ſpithamæus, undique ſtriatus, nudus, glaber, rubicundus, ſuperne maculato-variegatus. *Folia* quaterna, terminalia; ſingula ſeſſilia, ovata, acuta, obſcure viridia, integerrima, bi-vel tripollicaria, trinervia, lineato-venuloſa, patentia. *Pedunculus* terminalis, inter folia exiens, erectus, teres, glaber, uniflorus, foliis brevior, undique ſulcato-angulatus. *CAL. Perianth.* 4-phyllum, pallide viride: foliolis lineari-lanceolatis, acutis, glabris, trinerviis, reflexis; perſiſtens. *COR. Petala* 4, lineari-ſubulata, calyci concolora, reflexa, calyce paullo breviora, perſiſtentia. *STAM. Filam.* 8, ſubulata, virideſcentia, baſi infimæ calycis & corollæ inſerta, breviuſcula, erecta, perſiſtentia. *Anth.* ſubulatæ, longiſſimæ, acutæ, biarticulatæ, corollæ concolores, illiusque fere longitudine, erectæ. *PIST. Germen* ſuperum, magnum, purpureum, ſubrotundum, obſolete tetragonum, glabrum. *Styli* 4, ſubſubulati, ſtaminibus breviores, patentes, perſiſtentes. *Stigm.* ſimplicia. *Bacca* fuſco-nigra, globoſo-tetragona: angulis rotundatis; apice obtuſo-depreſſa, magnitudine ſemin. Piſi, cincta calyce, corolla & ſtaminibus, coronata ſtylis; quadrilocularis. *Semina* plura, ovata, obtuſa, glabra.

PROPRIET. rec. Radic. Odor narcoticus, fumum redolens. *Sapor* debilior, non ingratus, in-

incidens in ſemina Piſi cruda maſticata. *Herbæ rec. odor* narcoticus; *ſapor* herbaceus, ſubglutinoſus, ſubdulceſcens, pariter in Piſa cruda incidens. *Baccar. immaturar.* odor & ſapor herbæ conformes.

VIRTUS: antiſpaſmodica, ſublaxans.

USUS. Convulſiones.

OBS. GESNERUS ante 200 circiter annos experimenta inſtituit cum herba Paridis. Sumſit ipſe hujus herbæ drachm. 1, cum vino & aceto, unde ſudavit copioſe & ſiccitatem faucium expertus fuit (*). Nucis Vomicæ ſcrup. ß canibus duobus dedit; quorum alter intra horas 4 periit; alter, data herbæ Paridis drachm. ß, per os admiſſa, ſalvus evaſit, absque inſequente emeſi. E foliis ſiccatis dedi ego ſcrup. 1 quavis veſpera pueris 10 vel 12 annorum, tuſſi convulſiva laborantibus; unde alvus leniter ducta, ſomnus tranquillior evaſit, & ſymptomata paullulum remiſerunt. In convulſionibus ſæpe effectum vidi a pulvere hocce. Maniacis commendatur a quibudam, ſed periculum ego non feci.

(*) CONR. GESNER 1 *Epiſt. med. fol. 53. a.*

CLASSIS IX.

ENNEANDRIA.

ORDO

MONOGYNIA.

204. LAURUS Cinnamomum. LINN. *Sp. pl. 528. Mat. m. 190.* TREW. *Nov. act. ph. med. A. N. C. v. 2. app. p. 367.* *
Caſſia cinnamomea. HERM. *Lugd. Bat. 129. t. 655.*
Cinnamomum foliis latis ovatis frugiferum. BURM. *Zeyl. 62. t. 27.*
Cinnamomum. BLACKW. *Herb. t. 354.*
Le Cannelier. RIBEYR. *Ceyl. p. 10. t. 1. c. figura floris & fructus.*
Raſſe Coronde. *Act. ph. med. A. N. C. vol. 1. app. p. 4. t. 14. f. 1.*
Canella ſeu Cinnamomum vulgare. BAUH. *Hiſt. 1. p. 446.*
Planta de la Canela. ACOST. *Drog. p. 1. t. 2. & 3.*
Pharm. & *Culinis CINNAMOMI VERI* Cortex.
Locus. Zeylona. Diſſeminatur avium ſpecie baccivora, vulgo *Cinnamom-eaters* dicta. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Cortex intermedius, tenuis, quarta parte lineæ vix craſſior, pallide rubro-brunneus, glabriuſculus, in ſegmentis ſpithamæis vel pedalibus, in cylindrum convolutis, fra-

fragiliusculus: *parencymate* paullo pallidiore: fractura fibroso-scabra.

PROPR. sicc. Odor fragrans, aromaticus, svavissimus. *Sapor* dulcescens, aromaticus, gratus, dein acris, calidiusculus.

VIRTUS: cordialis, excitans, stimulans, stomachica.

USUS: Aroma cibi; Debilitas, Vomitus.

OBS. 1. *Infusum* aquos. digestione baln. arenæ paratum, pulchre rubrum est, odore svavi Cinnamomi, sapore vix subdulci, non amaricante, nec acri, sed subadstringente; cum vitr. martis fuscescit. Sub digestione in balneo, tota infusi superficies pellicula rubro-fusca superinduitur. *Decoctum* rubrum est, odore cinnamomi, sapore minime grato, sed subadstringente; cum vitr. martis nigrescit. *Extractum* aquos. leviter adstringens; spirituosum vero aromaticum. *Aqua stillat.* fragrans, aromatica. *Oleum stillat.* rubrum, ponderosum, in aqua subsidens, acre, fragrantissimum, calidissimum, odore cinnamomi, sapore cinnamomi dulci. Communiter apportatur oleum Cinnamomi e Ceylona, ubi destillatione elicitur carissimum hoc oleum. Cl. BAUMÉ corticem Cinnamomi destillavit, & obtinuit e corticis libris 12 ℔ aquam stillat. fragrantem, & circiter drachm. 1 olei still. albi, fluidi, odore omnium gratissimi. Oleum Cinnamomi per 20 annos asservatum, intra 6 annos postremos, singulis annis resinam crystallisatam deposuit; SLARE (*).

OBS. 2. Dulcedo præcipue in libro corticis residet; sed cum cortices nuper detracti in sole siccantur, unde convolvuntur, hæc dulcedo in ipso cortice absorbetur (**). Cortices detrahuntur ex arboribus circiter quin-

(*) *Philosoph. Transact. v. 33. p. 364.*

(**) cfr. *Philos. Transact. 1729, N:o 409. p. 103.*

quinquennibus, quarum truncus decorticatus perit; radix vero vivipara novos ſtolones producit.

OBS. 3. *Baccæ* Cinnamomi decoctione dant *oleum* coctum, album, ſebaceum, Ceylonenſibus *Cera Cinnamomi* dictum, quod magnatibus pro candelis inſervit; ALB. SEBA (*).

OBS. 4. Pulchram deſcriptionem meſſis Cinnamomi vide in extenſo apud VALENTINI (**). De Cinnamomo egit J. G. DEXBACH, compilator.

205. LAURUS Caſſia. LINN. *Sp. pl.* 528. TREW. *Nov. act. phyſ. med. A. N. C. v.* 2. *app. p.* 381.*
Laurus Cinnamomum. JACQU. *Hiſt.* 117. *
Carua. RHEED. *Malab.* 1. *p.* 107. *t.* 57.
Canella novi orbis. CLUS. *Exot.* 323.
Pharm. *CINNAMOMI INDICI* Cortex.
MALABATHRI Folia.
Locus. India orientalis; in inſulæ Martinicæ montoſis. *Arbor.*

FORMA. Cortex intermedius rubro-brunneus, ſegmentis pedalibus, duplici variatione, quarum altera ſegmentis craſſioribus, lineam paullo excedentibus, planiuſculis, ſemiungviculari latitudine vel ultra; altera ſegmentis tenuioribus, lineæ dimidiæ craſſitie, in cylindrum convolutis, glabriuſculis, ſæpe adſperſis maculis parvis, ſubrotundis, fuſcis, inſtructis nervis parallelis longitudinalibus, ſæpius flexuoſis; fragilis: fractura plana; *parencymate* paullo pallidiore. *Folia* petiolata, ovali-lanceolata, acuta, ſpithamæa, utrin-

(*) *Philoſ. transact.* 1729. *N:o* 409. *p.* 106.
(**) *Ind. litterat. p.* 439.
(***) *Diſſert. de Caſſia cinnamomea & Malabathro.* Gieſſ. 1700. quæ in VALENTINI *Simplic. p.* 597, recuſa invenitur.

utrinque lævia, ſupra lucida, trinervia: nervis intra baſin unitis; venulis plurimis transverſalibus, frequentibus.

PROPR. corticis: Odor aromaticus, fragrans, gratus, ſed præcedente ingratior. *Sapor* dulceſcens, gratus, præcedente fortior, magis acris, calidus, ori diutius inhærens. *Folior.* odor itemque ſapor cinnamomeus, debilis.

VIRTUS: præcedentis.

USUS: præcedentis.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. in balneo, tenui pellicula rubra indutum eſt, pulchre rubrum, ſaturatius, odore cinnamomi, graviuſculo, ſapore ſubadſtringente; vitriolo martis fuſceſcit. *Decoctum* ſaturatiſſimum cinnamomeum, dulceſcens primum, dein ſubadſtringens, opacum; vitr. martis fuſceſcit. *Aqua ſtill.* fragrans, odore cinnamomi, ſapore dulceſcenti, aromatico. *Oleum ſtill.* adeo ſimile oleo Cinnamomi veri, ut vix ab eo diſtingvi poſſit. E Cinnamomi indici libr. 12 ß deſtillatione elicuit cl. BAUMÉ olei ſtill. drachm. 2 ß. Itaque Cinnamomum indicum fortius eſt, oleoque fœcundius Cinnamomo vero Ceylonenſi, quod viciſſim longe gratius eſt, ſvaviusque, at inſimul debilius, aromate minus perſiſtente. Ex obſervatione JOH. BAUHINI, ſapor aromaticus Cinnamomi indici poſt 30 annos ſe conſervavit, dum Cinnamomi veri paullatim evanuit.

OBS. 2. Hæc ſpecies Cinnamomi communiter confunditur cum cortice Caſſiæ ligneæ, ſed perperam.

OBS. 3. *Infuſum* aquoſum *foliorum Malabathri* debiliter tinctum colore, odore, ſapore. *Decoctum* limpidiuſculum vix ſubamaricans; vitriolo martis parum fuſceſcit. Folia Malabathri in culinis veterum Romanorum uſitatiſſima fuerunt, & exinde in officinas mi-

migrarunt; e praxi vero hodierna penitus exclusa sunt, corticibus fragrantioribus substitutis.

206. LAURUS Malabatrum. BURMAN. *Flor. ind. 92.*

Katou-karua. RHEED. *Malab. 5. p. 105. t. 53.*

Pharm. CASSIÆ LIGNEÆ Cortex.

Locus. India orientalis, Malabaria. *Arbor.*

FORMA. Cortex intermedius crassus, linea crassior, glabriusculus, sectus in segmenta spithamæa vel pedalia, in cylindrum convoluta, rubro-brunneus, rigidus, fragilis: fractura plana; *parencymate* solido, fuscescente.

PROPRIET. Odor cinnamomeus, debilis. *Sapor* gratus, dulcescens, cinnamomeus, debilior, vix acris.

VIRTUS: quæ in præcedente.

USUS.

OBS. *Infusum* aquos. in balneo paratum pellicula rubra superindutum, pulchre rubrum, odore debili Cinnamomi, sapore dulcescente, aromatico, grato. *Decoctum* saturate rubrum, aromaticum, odore & sapore Cinnamomi; cum vitr. martis fuscescit.

207. LAURUS Camphora. LINN. *Sp. pl. 528. Mat. m. 192.* TREW. *Nov. act. ph. med. A. N. C. v. 2. App. p. 358.** KÆMPF. *Amœn. p. 770. t. 771.*

Arbor camphorifera Japonica foliis laurinis, fructu parvo globoso, calyce brevissimo. COMMEL. *Hort. 1. p. 185. t. 95.*

Arbor camphorifera Japonica. BREYN. *Icon. p. 16. t. 2.*

Pharm. CAMPHORA.

Locus. Japonia, Java. *Arbor.*

FOR-

FORMA. Resina purificata in placentis hemisphæricis, hinc concavis, inde convexis, albissima, homogenea, subdiaphana, lævis, subflexibilis, fragiliuscula.

PROPR. Odor fragrantissimus, penetrans, ad Rosmarinum accedens. *Sapor* calidissimus, Menthæ piperitidis, amaricans. *Masticata* indissolubilis, fauces lingvamque calefaciens. Purificata Camphora omnino volatilis est, inflammabilis, aëri libero exposita sensim avolat, idque citius in temperie aëris calida, tardius vero in frigida. Vasi clauso inclusa lentissime avolat, sed in vasis probe obturatis minime evaporat. Vase aperto in aqua simplici cocta, non liquescit, nec emollitur, sed cito avolat; in vase clauso, sub digestione in balneo, sublimata, ascendit in collum vasis, formans crustam s. placentulam. Camphora in igne clauso, e. gr. vitro sublimatorio, non accenditur, nec decomponitur, sed fumat: fumo sub forma nivis laxe concrescente; sed si ignis augetur, sublimatur in corpus densum, hyaloide, facie glaciei. Camphora ignis flamma undique accenditur, flagrat: flamma maxima, lutescenti-albida, lucida, fumo copioso, spisso, fuliginoso, odore subbituminoso. Accensa camphora aquæ immissa extingvitur; sed ignis flammæ admota mox iterum accenditur. Sub deflagratione non conspurcatur, verum alba manet; consumitur absque relictis carbonibus. Candentibus carbonibus immissa camphora non accenditur, sed fumat, & in fumum penitus resolvitur, & sic avolat. Nec accenditur igne lentis vitreæ. Solvitur perfecte in spiritu vini & oleis expressis, stillatitiis; in spiritu nitri & aqua regia reducitur in faciem olei expressi, superna-

natantis, & intra paucos dies in vaſe aperto penitus avolat; ſed ſi ſolutio hæc in aquam frigidam effunditur, redintegratur camphora. Ex ſpiritu vitrioli & ſalis intacta manet camphora, niſi ad ſummum concentrata fuerint hæc acida. E Camphora, cum boli rubri vel terræ argillaceæ probe ſiccatæ portione quadrupla, ex retorta leni igne deſtillata, obtinetur oleum camphoræ liquidum, & ſub fine deſtillationis, oleum butyraceum, in collo retortæ ſublimatum. Ab alcalinis fixis ſ. volatilibus non diſſolvitur; neque trituratione protracta. Cum mucilagine G. arabici ſi teritur Camphora, ſuſpenditur in aqua, quamvis perfecte non ſolvatur, verum quiete ſuperficiei mixturæ innatat. Trituratione, camphoræ pars, ſc. camphoræ circiter gr. 2 in liquidi unc. 1, ſolvitur in aqua frigida, in aceto, in ſucco citri: ſolutione odore camphoræ & ſapore amaro, quiete ſe non præcipitante, nec cito depauperanda, licet vas apertum fuerit; etenim ſolutio hæc, immiſſa lagunculæ non obturatæ, poſt octiduum, odorem & ſaporem camphoræ adhuc aliquantum ſervavit. Absque trituratione aqua frigida etiam camphora imbuitur. Quo frigidior aqua, eo plus camphoræ ſolvitur, quod aëri fixo tribuendum. Itaque aquam frigidam aëre fixo bene ſaturavi, deinde injeci fruſtum Camphoræ, & poſt duos dies aqua hæc valide Camphoram ſapuit, & tam fortis fuit, ut labia morderet. Sic ſolvitur camphora etiam in aëre fixo.

VIRTUS: calefaciens, reſolvens, nervina, ſudorifera, antiſeptica, antiſpasmodica.

USUS. Inflammatio, Ophthalmia, Hyſteria, Rheumatiſmus.

OBS. 1.

OBS. 1. De arbore camphorifera, modoque camphoram colligendi, relationes dederunt ARENT SYLVIUS (*) & ENGELB. KÆMPFERUS *l. c.*

OBS. 2. Camphora e pluribus arboribus & plantis aromaticis extrahi potest. Sic ipsa Laurus Cinnamomum, ex quo vetustior evasit, adeo camphora fœta est, ut cortices magis camphoram quam cinnamomum spirent (**). Certe vera camphora svaveolens e radicibus arboris Cinnamomi sublimari potuit, si fides GRIMMIO (***). Radix arboris Lauri Cassiæ & Cinnamomi indici camphoræ dives est, observantibus RHEEDE & JACQUINO. Inter destillandum Schœnanthum persicum & arabicum, Camphoræ copiam obtinuit KÆMPFERUS. E plurimis nostris plantis ringentibus aromaticis, ut Majorana, Mentha crispa & Piperita, Rosmarino, Salvia, Lavandula &c. camphora extrahi potest. Puram Camphoram ex arbore quadam, a Lauro Camphora distincta, in Poulo Chinco colligunt, ut docet ARENT SYLVIUS, & confirmat cl. GAUBIUS (†).

OBS. 3. Lignum & radices arboris camphoriferæ in frustula concidunt rustici Japonenses, & cum aqua coquunt in vesica ferrea, imposito capitello fictili, amplo, stramine repleto; unde fit, ut camphora sublimetur straminique adhæreat. Hæc vero camphora cruda est, granulata & cinerascens, sub qua forma in Europam transfertur & purificatur. In hunc finem, immittatur Camphora, mixta cum calcis extinctæ vigesima circiter ad eam parte, vasi vitreo hemisphærico, æqualis ex omni parte crassitiei, terminato collo tubulato, recto; orificio colli fere libero, solo papyro contor-

(*) Vide VALENTINI *Simplic. 488.* ubi hæc relatio recusa invenitur.

(**) *Philos. Transact.* N:o *409. p. 103.*

(***) BARTHOLINI *Act. med. v. 3. p. 168.*

(†) *Advers. l. 1 p. 109.*

torto laxe obturato; tum admoveantur vasi carbones igniti, igne primum molli, deinde temperato, postremo satis valido; inter hæc sublimatur camphora purissima, quæ a primo sub forma nivis apparet, deinde vero, aucto igne, concrescit in massam pellucidam, hemisphæricam, concavam.

OBS. 4. Quandoquidem camphora disperire solet & in ventos sponte abire, id mihi curæ fuit, ut experimentis stabilirem leges evaporationis. Itaque sumsi die 28. Febr. 1774 tria frusta Camphoræ, singulum pondere drachm. 2, quorum unum aëri aperto in tabulato summo domus disposui in umbra, alterum in cella reposui, tertium vero vasculo stanneo immisi, quod qualitercumque obturabam, & in camera servabam. Die 13. Junii primum frustulum pondere stetit granorum 5, alterum drachm. 1 & gr. 18, tertium scrupul. 5 & gr. 13. Interea vero temporis semel iterumque ponderaveram hæcce frusta, & constanter observaveram evaporationem camphoræ minimam in aëre aperto eodemque frigidissimo & sicco; paullo majorem in aëre cellari humido; longe majorem in temperie aëris calida & sicca; omnium vero maximam ubi temperies aëris calida fuerat subhumidaque. THOM. BARTHOLINUS (*) Camphoram inclusit 2 lagenis, quarum alteram hermetice sigillavit, alteram vero cera bene obturavit; sed tribus integris annis nequicquam diminuta fuit camphora.

OBS. 5. Camphoræ *usus medicus* potissimum externus est. Adhibetur ut optimum resolvens inflammationibus, bonumque discutiens rheumatismis. Solvitur in oleo Lini, & sic cuti illinitur, vel etiam comminuitur atque speciebus discutientibus immiscetur. In gangræna, Camphora, extus applicita, multum boni præ-

(*) *Act. med. vol. 1. p. 105.*

præſtat, vi ſua antiſeptica. Ita etiam laudat cl. H. J. Collin (*) Camphoram in excreſcentiis ulcerum fungoſis, digitis comminutam & inſperſam. In ophthalmiis Camphoræ uſus frequentiſſimus; trituratione ſolvitur in aqua frigida & oculis inſtillatur. Medici olim, fallaci fundamento nixi, intempeſtive Camphoram propinarunt in pleuritide febribusque inflammatoriis; ſed ut ſatis conſtat, interne ſumtam camphoram ſangvinem concalefacere, ita eam revera pro nociva habere oportet, ubi pulſus durus, calorque intenſus. Sed rheumaticis in febriculis camphora ſudorifera eſt, prout pleraque calida; & in ejusmodi caſibus pulveres camphorati non ſpernendi ſunt, ut revocetur tranſpiratio poſt refrigerationem. In hyſteria morbisque nervorum Camphora ſæpe apprime prodeſt. Maniaci interdum levamen ſentiunt e Camphora Opio juncta; ſed oportet ut primæ viæ bene ſint purgatæ pulſusque mollis. Fuit epocha medicinæ, in qua medici camphora, diaphoreticis, ſudoriferis & regimine calido abuti videbantur; ſed epocha etiam hæc fuit Miliaris eruptionis, quæ nunc omnino ceſſit regimini frigidiuſculo introducto.

208. LAURUS nobilis. Linn. *Sp. pl. 529. Mat. m. 194.* Trew. *Nov. act. ph. med. A. N. C. v. 2. p. 381.**
Laurus vulgaris. Duham. *Arb. 1. p. 350. t. 134.*
Laurus. Camer. *Epit. 60.* Blackw. *Herb. t. 175.* Dalech. *Hiſt. 1. p. 351.*
Pharm. LAURI Folia, Baccæ.
Locus. Europa auſtralis. *Arbor.*
FORMA. rec. Folia petiolata, ſempervirentia, ovato-lanceolata, acuta, integerrima, palma-

(*) *Obſerv. part. 3. p. 154.*

maria, glabra, ſublucidiuſcula, ſed utraque pagina venulis minimis undique reticulata, pallide viridia, nervis ſuboppoſitis, obliquis. *Baccæ* ovales, utrinque obtuſæ, nigricanti-fuſcæ, anaſtomoſi venularum undique reticulato-rugoſæ, lucidiuſculæ, magnitudine vix fructus Ceraſi minoris, uniloculares, continentes *Nucleum* majuſculum, figura baccæ, bipartibilem; *recentem* cotyledoneum, *ſiccatum* vero ſolidiuſculum.

PROPR. Folior. Sapor aromaticus, balſamicus, graviuſculus; *recentium* fortior, ſubamaricans. *Odor* foliorum fricatorum fragrans, *recent.* fortior. *Baccarum* nucl. *ſapor* amarus, balſamicus, pingviuſculus, calidiuſculus, *odore* congruente; *maſticatæ* in ore ſenſim ſolubiles. Corticalis pars baccæ etiam aromatica.

VIRTUS folior. & baccarum: ſtomachica, reſolvens, pellens menſes, urinam, ſudorem. Baccæ foliis efficaciores,

USUS. Hyſteria. *Foliorum:* culinaris.

OBS. 1. *Infuſum folior.* rubrum, odore & ſapore grato; vitr. martis purpuraſcit. *Baccar.* rubropurpuraſcens, amarum, odore & ſapore balſamico; vitriolo martis leniter purpuraſcens. *Oleum* folior. *ſtill.* limpidum, aromaticum, aquæ ſtillatitiæ innatans *Oleum* e baccis triplum elici poteſt, ſc. *coctum:* coctione protracta per horam vaſe clauſo, in aqua pura extrahitur, decoctoque refrigerato ſuperficiem aquæ tegit; hoc oleum eſt butyraceum, viride, valide amarum, aromatico-balſamicum. Ellychnio immiſſo accenditur, ut aliud oleum expreſſum, flagrat: flamma vix fuliginoſa. Sæpe adulteratur axungia immixta. *Expreſſum:* ſimplici expreſſione elicitum, liquidum primum, dein butyraceum, debilius ſapidum, aromaticum. *Stillatitium:* limpidum, luteum, aromaticum, aromate *bac-*

baccarum; paratur e baccis contuſis, & cum aqua deſtillatis.

OBS. 2. *Baccas* Lauri, interne ſumtas, abhorret cl. SPIELMANN, ob vim, prout dicit, infamem abortum promovendi, ſangvinemque multum exæſtuandi, etiam ubi pauca ſolum grana data fuerint. In praxi hodierna raro exhibentur baccæ; vidi tamen plures, etiam fœminas, quæ pulverem e ſeminibus Capſici & baccis Lauri, ſupra (§. 87) memoratum, innoxie ſumſerunt, ſæpe per octiduum. Apud veteres Romanos inter cibi condimenta in culinis frequenter adhibebantur, ut teſtatur APICIUS COELIUS.

209. LAURUS Saſſafras. LINN. *Sp. pl. 530. Mat. m. 193.* TREW. *Nov. act. ph. med. A. N. C. v. 2. app. p. 344. t. 6. f. 1. - 20.* DUHAM. *Arb. 1. p. 350. t. 135. f. 7.*

Laurus foliis integris trilobisque. TREW. *Ehret. t. 69. & 70.*

Cornus mas odorata, folio trifido, margine plano, Saſſafras dicta. PLUK. *Alm. 120. t. 222. f. 6.* CATESB. *Carolin. 1. p. 55. t. 55.*

Saſſafras arbor folio ficulneo. MUNT. *Aardg. p. 110. t. 110.*

Saſſafras. BLACKW. *Herb. t. 267.*

Pharm. SASSAFRAS Lignum, Cortex.

Locus. America ſeptentrionalis. *Arbor.*

FORMA. Lignum leve, mollius, cinereo-ferrugineum, extus colore magis ſaturato, fragile. *Cortex ligni* craſſiuſculus, ferrugineus, mollis, friabilis, levis, extus cinereo-fuſcus, rugoſus. Cortex *radicis* tenuiuſculus, fragilis, rubicundus.

PROPR. Ligni: Odor fragrans, fortior, non ingratus, ad Fœniculum accedens, ſed gravior. *Sapor* aromaticus. *Corticis* utriusque odor ſaporque ligno conſimiles, ſed fragrantiores. *VIR-*

VIRTUS: ſudoriſera, diuretica, purificans.

USUS. Rheumatiſmus, Morbi cutanei, Ulcera.

OBS. 1. Odor potiſſimum menſtruo aquoſo, ſapor vero ſpirituoſo extrahitur. *Aqua* ſtillat. aromatica. *Oleum* ſtillat. ponderoſum, in aqua ſubſidens, fragrantiſſimum, odore ligni ſaſſafras, ſapore forti ſaſſafras, acuto, calidiſſimo; guſtatum labia mordet; recens luteſcenti-limpidiſſimum, vetus rubicundum. Ligni ſaſſafr. inciſ. libr. 60 dederunt olei ſtillat. unc. 10 ß, ut obſervavit Baumé. *Extractum* ſpirituoſ. ſapore aromatico. *Infuſum* aquoſ. ligni ſaſſafras ſaturate rubrum, odore & ſapore ligni; vitr. martis parum fuſceſcit. *Decoctum* corticis aromaticum, rubrum; vitr. martis nigreſcit.

OBS. 2. De Lauro Saſſafras bene diſſeruit Christ. Jac. Trewius (*).

OBS. 3. Americani decocto corticis lanas colore pulchro aurantio tingunt, perſiſtente, a ſole vix obliterando; P. Kalm (**). In officinis cortex & lignum Saſſafras frequenter præſcribuntur ſub forma infuſi, in rheumatiſmis, arthritide &c.

210. LAURUS Culilaban. Linn. *Mant*. 2. *p*. 732.
Cortex caryophylloides. Rumph. *Amboin*. 2. *p*. 65. *t*. 14.
Culit-Lawan. Rumph. *Epiſt*. *p*. *m*. 419.
Pharm. CULILAVAN Cortex.
Locus. India orientalis. *Arbor*.

FORMA. *Cortex* craſſus, ſemiungvicularis fere craſſitiei, planus, in fruſtis longis & latis, rubro-brunneus, extus cineraſcenti-brunneus, fragilis.

PRO-

(*) *L*. *c*. *p*. 281. *ſequ*.
(**) *Americ*. *Reſa*, *T*. 2. *p*. 271.

PROPR. Odor fragrans, fortior, medius inter odorem corticis Saſſafras & Caſſiæ caryophyllatæ, *Sapor* aromaticus, calidus, acris, inhærens.

VIRTUS: calefaciens, ſtimulans, ſtomachica.

· *USUS.*

OBS. *Infuſum* aquoſ. maceratione protracta paratum, rubrum, odore & ſapore debili aromatico; vitr. martis ſordide purpuraſcit. *Decoctum* aquoſ. ejusdem aromatis ac infuſum; vitriolo martis purpuraſcit. *Tinctura* ſpirituoſa fragrantiſſima, grata, ſaturate rubra, ſapore aromatico, amaricante. Vitro affuſa, in parietibus vitri præcipitatur, & maculam hyalinam relinquit; vitr. martis fuſceſcit; aquæ frigidæ inſtillata lacteſcit.

211. LAURUS, quæ Lauraſter amboinenſis, Leytun. RUMPH. *Amboin. 2. p. 70. t. 15.* an?

Pharm. PICHURIM Faba.

Locus. Paraguay. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Nucleus ovali-oblongus, utrinque obtuſus, hinc plano-concavus, inde convexus, undique glabriuſculus, ſuperficie vero minutim rugoſa, fuſco-olivaceus, pollicaris vel ultra; *parencymate* ſolido, pallide-cinereo, fragiliuſculo.

PROPR. Odor fragrans, Saſſafras referens, inhærens. *Sapor* aromaticus; *maſticata* in ore ſolvitur.

VIRTUS: ſtomachica.

USUS. Diarrhœa; Alvus laxa poſt dyſenteriam, Tormina.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. pulveris fabæ Pichurim, in vaſe clauſo paratum, valde aromaticum; in aperto vero, aromate debiliore, ſapore aromatico; luteo-rubicundum; vitr. martis leviter fuſceſcit. Decoctione a-

roma fere perditur. *Tinctura* ſpirituoſa rubicunda, aromatica. *Extractum* ſpirituoſ. validum; aquoſum vero debile. *Oleum expreſſ.* album, butyraceum, fragrantiſſimum, ſaſſafras ſpirans, ætate paullulum flaveſcit & ſebaceum fit; maſticatum in ore ſolubile, ſapore odori congruente. Fabæ Pichur. libr. 1 dat olei expreſſi circiter unc. 1 ß.

OBS. 2. Frequentis uſus apud nos eſt Faba Pichurim in diarrhœis, & revera præſtans eſt. Mitigat tormina, & alvum ſiſtit absque damno. In dyſenteria prodeſt, poſtquam primæ viæ bene purgatæ ſunt. Increbuit in Svecia potiſſimum a. 1757, cura ſpect. ABR. ARVIDSON, & cum publico communicata ab ill. ABR. BÅCK & cl. PETR. ZETZELL (*). Cl. HEUERMANN (**) 20 dyſentericos e 30 cum hac faba curavit.

ORDO
TRIGYNIA.

212. RHEUM Rhaponticum. LINN. *Sp. pl.* 531. *Mat. m.* 198. BLACKW. *Herb. t.* 262.
Rhaponticum thracicum. ALPIN. *Rhapont. p.* 1. *t.* 1. *Exot.* 137.
Pharm. RHAPONTICI Radix.
Culinis —— Herba recens.
Locus. Thracia. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix oblonga, craſſa, ramoſa, extus brunnea, intus luteſcens, transverſaliter ſecta *parencymate* variegato. *Caulis* tripedalis, erectus, teres, perforatus, glaber, vix ſtriatus, ſimpliciſſimus. *Folia* alterna, petiolata, patentia, la-

(*) *K. Vetenſk. Acad. Handl.* 1759. *v.* 20. *p.* 60-77.
(**) *Vermiſchte Unterſuchungen, T.* 1. *p.* 215.

lato-cordata, concava: angulis poſticis erecto-inflexiuſculis; pedali longitudine, ſpithamas 3 lata, quinquenervea, venuloſa, ſupra rugoſa, glabra, ſaturate viridia, ſubtus glauca, nervis & venulis ſcabrida, margine utrinque minutim ciliata, ſcabra: ſquamulis exiguis cartilagineis, ſubdiaphanis, rigidis. *Petioli* craſſi, longitudine fere foliorum, vix ſcabridi, ſupra plano-concaviuſculi, læves, ſubtus convexi, undique ſulcati. *Stipulæ:* vaginæ ſubtubuloſæ, membranaceæ, ſiccæ, albidæ, caulem amplexantes, minutim rugoſæ: ore obliquo, acuto. *Corymbus* terminalis, diffuſus, glaber, undique ſtriatus, albidus, nudus, baſi fulcitus foliolo uno vel altero, ſubpetiolato, & vagina membranacea; conſtans e racemis plurimis, ſubverticillatis, floribus verticillatis, pedicellatis, patentibus. *CAL. Perianth.* turbinatum, glabrum, albidum, ſexfidum: laciniis oblongis, obtuſis, concaviuſculis, erectis, ſubæqualibus. *COR.* nulla. *STAM. Fil.* 9, ſubulata, alba, calyce paullo longiora. *Anth.* trigonæ, incumbentes. *PIST. Germen* viride, triquetrum, glabrum. *Styli* 3, albi, patentiſſimi. *Stigmata* craſſa, reniformia, carnoſa, ſubdiaphana, alba, ſcabriuſcula, trifariam decumbentia.

PROPR. rec. folior. Odor herbaceus; *ſapor* acidulus; *maſticata* teneriora, ſaliva virideſcente; primo ſubſtyptica, dein acidula, relicto poſtea in ore ſapore leniſſimo ſubrhabarbarino. *Petioli* carnoſi, ſuccoſi; *maſticati* acidi, leniter inſimul auſteri. *Radicis* ſicc. *odor* debilior, fere Rhei; *ſapor* amaricans, ſtypticus, ſubrhabarbarinus; *maſticata* lingvam & fauces tingit colore rubro-croceo, tanquam Rheum verum.

VIRTUS: rad. adſtringens, tonica, ſtomachica, leniter laxans; *Fol.* refrigerans.

USUS: rad. Diarrhœa. *Folior.* culinaris.

OBS 1. *Infuſum* radicis aquoſ. rubro-luteum, opacum, ſapore amaricante, ingrato; *dilutum* rubrum; vitr. martis ſubito nigreſcit.

OBS. 2. Radix Rhapontici in noſtris quidem officinis proſtat, raro autem præſcribitur, nec niſi pecoribus; præſtans tamen eſt ſtomachicum, nequaquam contemnendum.

OBS. 3. *Folia* in culinas noſtras non ita pridem introduci cœperunt. Incoquuntur, una cum petiolis, juri carnium; petioli craſſi penitus fere ſolvuntur, relictis pelliculis, cribello ſeparandis; folia ipſa paullo minus ſolvuntur, ſapore tamen acidulo, revera grato, juſculum impertiunt. Sunt qui folia comminuta retinent, ut juſculum oleraceum fiat, ſed acor tunc minus ſapidus. CORNEL. LE BRUN, initio hujus ſeculi in urbem Ispahan Perſiæ proficiſcens, menſe Aprilis vidit incolas in deliciis habere petiolos Rhei, hujus ſpeciei vel forſan Rhei Ribis, ſive juri carnis incoctos, ſeu crudos, quos cum ſale & pipere eſitabant. Cum primo vere erumpunt, terra cumulari debent, unde teneriores evadunt (*).

213. RHEUM palmatum. LINN. *Sp. pl. 531.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 12.* HOPE *Philoſ. transact. v. 55. p 292.* * *t. 12 & 13. f. 1 - 4.* LINN. *Faſcic. 1. p. 7. t. 4.*

Pharm. RHABARBARI VERI (*Rhei*) Radix.

Locus. Tibet & Mongalia, Chinenſi imperio ſubjacentes, locis montoſis. *Perenne.*

FOR-

(*) LE BRUN *Voyag. en Perſe &c.* T. 1 p. 192.

FORMA. Radix recens magna, carnoſa, trunco oblongo, ramos exſerente, cortice dilute fuſco obtecta; *ſiccata* ab exteris advehitur in fruſtis palmaribus, leviuſculis, ſubrotundis, ſæpe foramine majuſculo pertuſis, decorticatis; *parencymate* fragiliuſculo, ſubfriabili, molliuſculo, ex albo & luteò-virideſcente variegato.

PROPR. ſicc. Odor fragrans, gravis, ſubnauſeoſus. *Sapor* amaricans, odori congruens; *rec.* radix pariter odorata, ſed ſiccatione odor intenditur. *Siccata* radix, in ore detenta, emollitur, *maſticata* ſenſim ſolvitur, atque inter dentes, maſticulatione repetita, arenuloſum quid mentitur; ceterum lingvam, totum os, fauces & ſalivam croceo colore tingit.

VIRTUS: purgans, antacida, adſtringens, tonica, ſtomachica, diuretica: urina luteo-rubicunda.

USUS. Diarrhœa, Dyſenteria, Lienteria, Colica, Febris lenta infantum, Cruditas acida, Aphthæ, Hypochondriaſis, Rachitis, Icterus, Odontalgia.

OBS. 1. Rheum palmatum producit *Rhabarbarum*, in officinis *Sibiricum* appellatum; certe e ſeminibus, a Bucharis e montoſis Tibeti in Ruſſiam apportatis, & poſtea ſatis, hocce Rheum palmatum enatum eſt; Pallas (*). Rhabarbarum vero *Chinenſe* ex alia ſpecie Rhei deſumtum eſſe videtur. Ex obſervatione cl. Joh. Gottl. Georgi (**), annoſior radix Rhei undulati ſimillima evadit Rhabarbaro Chinenſi, facie, colore, fragrantia, & vi purgante. Et vero credit cel. Pallas (***), hocce Rheum undulatum, quod in monto-

(*) *Reiſe durch verſchied. Provinzen des Ruſſ. Reichs*, T. 3. p. 157.

(**) *Bemerkungen einer Reiſe im Ruſſiſch. Reich*, T. 1. p. 211 212.

(***) *L. c. p* 156.

tosis Sibiriæ frigidis ac humidis ut plurimum laborat radicibus corruptis, in montibus regni Tibet ficcioribus, apricis, magisque australibus, felicius provenire, radicesque gerere excellentiores, quæ forte Rhabarbarum Chinense eximium efficiunt. Plures varietates Rhabarbari Chinensis observavi, scilicet ponderosiorem, leviorem, pallidiorem, rubescentem, immo omnino fuscescentem. Generatim omne *Rhabarbarum Chinense* occurrit in frustis oblongis seu subrotundis, hinc planis, inde convexiusculis, palmaribus vel supra, satis ponderosis; *parencymate* solido, minus friabili, e rubicundo luteo & albo variegato; quod, recenter pulveratum, abit in pulverem, mox croceum, sed post sensim rubescentem, dum servatur. *Masticatum* solvitur in ore, si bonum, quemadmodum etiam Sibiricum; deterior autem varietas sub masticatione tenax & indissolubilis deprehenditur. *Sibiricum Rhabarbarum* magis spongiosum, friabile, leve, pallidum s. albescenti-lutescens; *chinense* vero magis solidum, ponderosum, durum, & saturatius tinctum. Colitur hoc a Chinensibus, præcipue in provincia Xensi, sub nomine *Taihoang*. Hyeme effodiuntur radices, atque in taleolas crassas dividuntur, succo viscoso distillante, quæ taleolæ in mensis mox reponuntur, in umbra, crebroque per diem revolvuntur, ut succus non defluat, sed sensim absorbeatur & concrescat, quo facto, transactis per illas funiculis, in aëre libero, itemque loco umbroso, suspenduntur. Ex radicis recentis libris 7 vix una alterave siccata obtinetur; NIEUHOV (*). Rheum Sibiricum in Sibiria non crescit, sed sat copiose in montosis Mongaliæ. Optimum & selectissimum Rhabarbarum sponte crescit apud Mongalos orientales, ad Soczi in vicinia Chinæ (**). Amat humum profundam,

(*) *Legat Batav. t 2. p. 81.*
(**) *Recueil de Voyages au Nord, Tom. 10. p. 46.*

dam, laxam, & cœlum ſerenum, nec pluvioſum. Propagationi plantæ facilitatem conferunt Mures Marmotæ, in vicinia libenter nidulantes, quippe quia gnavi hi foſſores humum circumcirca evertunt, atque ſic viam germinationi ſeminum aperiunt. Radices annoſas colligunt incolæ, & in fruſta conſcindunt, quæ perforant, atque in parietibus tentoriorum, vel etiam in ipſis cornubus ovillis, ad ſiccandum ſuſpendunt; D'Antermony (*). Antea illi hoc Rhabarbarum ad nundinas Urgenſes ferebant, ubi confluentes Ruſſi ſuas merces, potiſſimum pelles, cum eo commutabant (**); at nunc temporis hocce commercium in emporio Kjachta colitur, ubi, ex inſtituto ſuperiorum, bonum ſeligitur ac venum it Rheum, & rejicitur omne quod deprehenditur corruptum; Pallas (***). E Petropoli poſtmodum per Europam diſpergitur hæc Rhabarbari ſpecies, commercio nunc libero facto, poſtquam Batavorum monopolium ceſſavit. Hyemes noſtras bene perfert hæc planta, frigoris patiens; ſemina etiam heic maturat. Sed requiruntur 10 aut 12 anni ad incrementum & maturationem radicis (†). Sub autumno effodi poſſunt radices, tunc enim fragrantes ſunt. Sed ſiccatio radicis apud nos difficillima eſt, quod putredini valde obnoxia eſt radix recens.

OBS. 2. *Infuſum* aquoſ. *Rhei Sibirici*, ſub digeſtione in vaſe clauſo paratum, limpidum eſt, rubro-luteſcens, odore fragrante rhabarbarino, ſapore amaricante, pariter rhabarbarino; vitr. martis nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 8, inſtillatæ in aquæ font. unc. ß, cum vitr. martis addito, colorem pulchrum ſaturate viridem ex-

---

(*) *Voyages dans diverſ. contrées de l'Aſie &c. v. 1. p. 223. ſeq.*

(**) D' Antermony *l. c. p. 108.*

(***) *L. cit.*

(†) Pallas *l. c. p. 157.*

exhibuerunt. *Infusum Rhei Chinensis* rubro-lutescens, subopacum, odore fragrante rhabarbarino, sapore amaricante rhabarbarino, subaromatico; cum vitr. martis pariter nigrescit; hujus infusi guttæ 6, in aquæ font. unc. ß, cum vitr. martis, colorem prioris infusi similem faciunt. *Infusum* radicis Rhei palmati circiter triennis, in Svecia cultæ & recenter siccatæ, colore prioribus simile erat, odore quidem rhabarbarino, sed fragrantia graviore; sapore dulcescenti-amaricante; cum vitr. martis non nigrescebat, verum fusco viridescebat; hujus infusi guttæ 30, in aquæ fontanæ unc. ß, cum vitr. martis, colorem sordide viridem, sed dilutiorem, exhibuerunt. Radix hæc in segmenta tenuia concisa erat; & vero quando infusum decantabatur, segmenta radicis, in fundo remanentia, adeo gelatinosa erant, ut cohærerent, & totus fundus vasculi gelatina crocea repletus esset. Ipsius radicis scrupul. 1 propinavi, qui alvum duxit. Odorem spargebat hæc radix fragrantem, dum recens erat; siccata, odore Rhabarbaro Sibirico antecellebat. Masticata satis amaricans erat, tenax & flexibilis, facie subgummosa; verum in ore sumta sine mora emolliebatur, saliva crocea. Hinc radix Rhei junior nimis gummosa, vix adstringens, purgans tamen. Ætate qualitatem suam gummosam sensim deponit, magis adstringens fit magisque tonica; omne tamen mucilaginosum ætate non deponitur, quod quidem elucet ab experimento cl. AND. LEOP. HAAN (*), in olla Papini facto, ubi Rhei vulg. unc. 1 residui mucilaginosi insipidi drachm. 3 & gr. 40 reliquit. Rhei chinens. libra 1 dedit *Extracti* aquosi fere libr. ß.

OBS. 3. Rhabarbarum purgat partibus suis odoriferis; hinc Rheum tostum obstipat; hinc extractum aquosum longe debilius purgat, quam pulvis radicis recenter comminutus. Optima itaque forma Rheum pro-

(*) *Libello*, p. 18.

propinandi eſt in ſubſtantia, præcipue ſi fruſtulum maſticetur & ſenſim deglutiatur. Solvitur hoc modo in ſaliva, & gingivas, fauces, œſophagumque roborat. Extus denti dolenti appiicitum & intra buccam retentum Rheum, odontalgiam ſæpe tollit.

OBS. 4. Cl. SCHEELE (*) experimenta inſtituit cum *materia* illa *albo-variegata*, quæ in variis fruſtis Rhei Chinenſis copioſe conſpicitur. Hanc materiam ope cultelli ſeparavit, quæ, maſticata, ſentiebatur ut arena tenera, inſipida. Groſſe pulverata & aquæ calidæ immiſſa, ſpecifice gravior erat quam materia altera lutea, cum qua commixta fuerat; quare etiam repetitis lotionibus a lutea facile ſeparabatur. 1) Hanc materiam albam, puram, exſiccatam, in aqua pura decoxit, ſed non ſolvebatur. 2) In Spiritu Nitri ſolvebatur absque efferveſcentia. 3) Huic ſolutioni inſtillavit Spiritum vitrioli, unde præcipitatum quoddam emerſit, quod verum erat Gypſum. 4) Materiam hanc deſtillavit per retortam, unde in recipiente obtinuit liquorem, ſpiritui Tartari ſimilem, ſuboleoſum; reſiduum in fundo retortæ valde tumebat, & erat carbo niger, cum acidis non efferveſcens; 5) ſed calcinatus igne valido in crucibulo, albeſcebat, & vera erat calx viva, absque indicio ſalis alcalini fixi. Hinc conſtat hæc materia ex terra calcarea, acido ſaturata, forte vegetabili, ſiquidem in igne penitus deſtructum fuit. Suſpicatur cl. SCHEELE, hoc acidum analogum acido citri eſſe, ſiquidem creta, acido citri ſaturata, e ſolutione ſua præcipitetur, ſub facie terræ conſimilis, paria phænomena ſub experimentis monſtrantis. Cl. J. G. MODEL (**) hanc terram etiam examinavit, illamque ut veram terram ſeleniticam agnovit. E Rhei Chinenſis libr. 4 accepit Terræ hujus unc. 6. Adducit

(*) In *Litteris.*
(**) *Entdeckung des Seleniten in der Rhabarber.* Petersb. 1774.

cit, hanc terram, cum pulvere carbonum calcinatam, ſulphur olere; cum Sale Tartari in aqua digeſtam, Tartarum vitriolatum dare; ſed cum alcali minerali, ſal mirabile Glauberi. Ex his judicat, illam verum ſelenitidem eſſe, ex acido vitrioli conſtantem. Quo annoſius Rheum, eo plus terræ continet; e Rhei diu ſervati drachmis 13 extraxit terræ hujus unciam 1. Sed in fruſto radicis Rhei palmati, Petropoli culti, per annum ſervato, ne hilum quidem terræ hujus ſeleniticæ obtinere potuit. Cl. SCHEELE, ulterius inquirens in exiſtentiam acidi vitriolici in terra ſupradicta, illam cum ſale Tartari & pulvere carbonum calcinavit, ſed nihil obtinuit hepatis ſulphuris, unde porro concludit, terram Rhabarbari non eſſe gypſum, verum terram calcaream, acido vegetabili ſaturatam, Selenitidi tartareo non abſimilem.

OBS. 5. De Rhabarbaro ſcripſit M. TILLINGIUS (*) librum vaſtum, paginis 782 in 4:o conſtantem, usquequaque compilatum. Rheum in plerisque morbis commendat hic Auctor, & farraginem formularum recenſet.

CLAS-

(*) *Rhabarbarologia, ſ. curioſa Rhabarbari diſquiſitio.* Francof. ad Mœn. 1679.

CLASSIS X.

DECANDRIA.

ORDO MONOGYNIA.

214. CASSIA Senna. LINN. *Sp. pl.* 539. *Mat. m.* 200. BURM. *Ind. p.* 96. *t.* 33. *f.* 2.
Senna. BAUH. *Hist.* 1. *p.* 377. DALECH. *Hist.* 1. *p.* 218. DODON. *Pempt.* 357.
Senna alexandrina foliis acutis. MORIS. *Hist.* 2. *p.* 201. *f.* 2. *t.* 24. *f.* 1.
Senna italica foliis obtusis. MORIS. *Hist.* 2. *p.* 200. *f.* 2. *t.* 24. *f.* 2.
Senna orientalis. TABERNÆM. *Icon.* 517.
Pharm SENNÆ Folia, Folliculi.
Locus. Ægyptus. *Annua.*

FORMA. sicc. Foliola (folii pinnati) ovali-lanceolata, acuta, integerrima, semipollicaria, sæpe pollicaria, pallida, supra minutim pubescentia, subtus glabriuscula, costa pubescente, venulosa, nervis alternis. *Folliculi: Legumina* bivalvia, pollicaria, falcata, utrinque plana, linea laterali utrinque longitudinali interrupta, fusco-cinerea, venulosa, semina secundum lineam lateralem annectentia. *Semina* 6 vel 7, turbinato-cordata, acuta, cinerea.

PROPR. Odor subaromaticus. *Sapor* amaricans, nauseosus; *masticata* subglutinosa sentiuntur.

VIRTUS: purgans præſtans, ſæpe tormina excitans.

USUS. Alvi purgatio, Febres.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. foliorum ſaturate rubrum, odore nauſeoſo, ſapore conſimili, leniter amaricante; adjecto vitriolo martis color conſtat. *Extractum* nigrum, ſplendens, tenax, digitis adhærens, in fila ductile, odore fere infuſi Maltæ, ſed debiliore; ſapore leniter amaricante, ſubſalſo. Solvitur in ore, ſaliva fulva. Foliorum Sennæ libr. 4 dant Extr. aquoſi tenacis libram 1 ß, vel paullo ſupra. Folia Sennæ per coctionem protractam mucilaginem dant; hinc præſtat infuſum, quam decoctum.

OBS. 2. Caſſia Senna ſponte provenit in Ægypto ſuperiori, & colliguntur folia a ruſticis Arabibus, poſtquam ſemina matura produxit planta, foliaque penitus fere exaruerunt. Hi Sennam vendunt principi (Schek) ſuo, qui illam Cairum mittit, emendam ab illo, in quem monopolium derivavit cohors Janizarorum. Hic vero Sennam poſtea vendit Europæis. Sic demum Senna ægyptiaca, revera optima, ad officinas noſtras migrat.

OBS. 3. Purgans ſennatum præſtantiſſimum eſt, efficax, fæces alvinas evacuans, & primarium fere laxans apud nos, in morbis acutis & chronicis. Si infuſum paretur ex aqua bulliente & fol. Sennæ unc. 1 ß, colatura unc. 12; ſique id ſucco citri acidulum fiat, & mannæ ſelect. unc. 3 addantur, atque inſuper ſyrupus quidam gratus, ex. gr. Rubi idæi, ſaporis gratia adjiciatur; habebitur potio laxans grata & efficax, tormina vix excitans, unde uncia una alterave quovis bihorio ſumi poterit, usquedum effectus ſecutus fuerit. Videtur quaſi Senna vi quadam ſpecifica abdomen peteret. WILH. COURTEN (*) uncias tres decocti Sennæ venæ cru-

(*) *Philoſ. transact. vol. 27. p. 498.*

crurali canis injecit, unde ille brevi correptus fuit murmure inteſtinorum, validaque commotione muſculorum abdominalium, inſequente vomitu bilioſo.

OBS. 4. Error popularis eſt antiquus, quod *ſtipites* Sennæ tormina faciant. Ego, hujus rei penitius cognoſcendæ cauſſa, plusquam quadrageſies præſcripſi formulam ſennatam, in ſuperiori obſervatione expoſitam, ita autem variatam, ut ſoli ſtipites loco foliorum ſumerentur; ſic ſtipit. unc. I ß erat in infuſi colatura libr. I. Sed æque bene egit hoc infuſum atque alterum; æque fere efficax purgans fuit, immo æque ſecurum. Excluſi mannam; ſed nec ſtipites, magis quam folia, poſtea excitarunt tormina. Sic error, ſemel enatus, ſæpe per ſecula perennat.

215. CASSIA Fiſtula. LINN. *Sp. pl. 540. Mat. m. 199.* HASSELQU. *It. palæſt. 468.* VALENT. *Simplic. 234. t. 234.*
Caſſia fiſtula alexandrina. COMMEL. *Hort. 1. p. 215. t. 110.* RUMPH. *Amboin. 2. p. 83. t. 21.*
Caſſia fiſtularis. BLACKW. *Herb. t. 381.*
Conna. RHEED. *Malab. 1. p. 37. t. 22.*
Conea Maraum malab. BROWN. *Philoſ. transact. vol. 23. p. 1064.* *
Siliqua ſ. Caſſia cathartica. DALECH. *Hiſt. 1. p. 114.*
Caſſia nigra. DODON. *Pempt. 775.*
Pharm. *CASSIÆ* Fiſtula, Pulpa.
Locus. Ægyptus, India orientalis; ſolo pingvi & ſicciore. Colitur in America. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Legumen cylindricum, cubitale, craſſitie pollicis, ſubfalcatum, obtuſum cum tubere ſubrotundo, obductum cortice ſublignoſo, fragili, tectum epidermide fuſco-nigricante, læviuſculo, minutim & interrupte transverſaliter

 ſtria-

ſtriato; ſutura longitudinali latere altero, altero vero obſoleta; multiloculare: diſſepimentis transverſalibus, pluribus, parallelis, tenuibus, rigidis, papyraceis, ſutura centrali, longitudinali; ſingulo diſſepimento utrinque obducto *pulpa* melliginea, nigricante, nitidiuſcula, ſtrato tenuiore. *Semina* magnitudine ſeminis Phaſeoli, ovata, obtuſa, utrinque compreſſa, ſutura in medio longitudinali, ſemiungvicularia, ferruginea, nitidiuſcula, in ſingulo loculamento ſolitaria.

PROPR. Pulpæ: *Odor* nullus; *ſapor* dulcis, leniter acidulatus, vix nauſeoſus.

VIRTUS: refrigerans, laxans (doſi ab unc. 1 ad unciam 1 ß), diuretica.

USUS. Febres, Ardor viſcerum.

OBS. 1. *Pulpa* ſolvitur & extrahitur ex contuſis leguminibus, aqua vel ſpiritu vini, maceratione ſeu decoctione, percolatione, atque evaporatione ad juſtam conſiſtentiam; ſed præſtat ſolutio aquoſa. Quoniam facillime aceſcit, exiguum quavis vice apparandum, ſi præſertim æſtas eſt. Si mellis vigeſima pars additur, ea pulpam hanc, perinde ac plerosque ſyrupos, a mucore præſervat. Sola infuſione & maceratione in balneo, pulpa ſolvi poteſt & extrahi, atque ſic ſapidior evadit; nam ſub decoctione, e parte lignea leguminum, materia extractiva colorata, fuſco brunnea, extrahitur, ſaporis debilis, cum vitr. martis fuſco-nigreſcens, quæ, pulpæ immixta, ſvavitati & puritati ejus officit. Cum pulpa e ſiliquis contuſis ope aquæ extrahitur, quædam pars pulpoſa ſemper reſtat, quæ in aqua non ſolvitur, neque digeſtione, nec coctione. E Siliquar. Caſſiæ unc. 4 obtinetur pulpæ unc. 1.

OBS. 2. Statuunt plurimi, urinam ex ſumta pulpa caſſiæ viridem vel fuſceſcentem colorari, pro magnitudine doſeos. Id ne inexpertum relinquerem, auctor

cl.

cl. juveni A. J. HAGSTRÖM fui, ut ſumeret pulpæ casſiæ unc. 1 quotidie, 3 diebus ſucceſſivis, & urinam poſtinde attente contemplaretur; ſed rediens negavit urinam ſibi ullo modo demutatam fuiſſe.

OBS. 3. Curantur fiſtulæ Caſſiæ in Ægypto ſequenti modo. Siliquæ nondum maturæ colliguntur, & in domo ſcrupuloſius clauſa primum fit ſuper terram ſtratum, ½ pedem altum, ex foliis Palmæ & ſtramentis, cui dein imponuntur ſiliquæ in acervum; tum clauditur janua bene, & inſequentibus binis diebus adſpergitur acervus aqua. Poſtea per 40 dies ita linquuntur ad ſudandum, unde color niger emergit. F. HASSELQUIST (*).

216. POINCIANA coriaria. JACQUIN. *Americ. p. 123. t. 175. f. 36.*

Siliqua arboris Gvatapanæ ex Coracao inſula. BREYN. *Centur. 1. t. 56. f. 5.*

Caſcalottes. CHAPPE *Voyag. en Californ. p. 54. t. 2. f. 1. 4.*

Libidibi faba. *K. Vetenſk. Acad. handl. vol. 35. p. 57.* *

Pharm. LIBIDIBI Siliqua.

Locus. Curaçao, Carthagena Americæ. *Arbor.*

FORMA. Legumina ſubbipollicaria, brunnea, atomis elevatis ſubſcabriuſcula, ſublucidiuſcula, utrinque plana, flexuoſa, ſc. plerumque in formam litteræ S flexa, quandoque etiam in orbem voluta, latere interiore concaviuſculo, margine utrinque ſutura longitudinali; multilocularia. *Semina* ovali-oblonga, utrinque obtuſa, utrinque compreſſiuſcula, convexa, olivacea, nitida.

(*) *It. palæſt. p. 534.*

PROPR. Odor nullus. *Sapor* intenſe ſtypticus, acerbus; legumina *maſticata* fauces validè conſtringunt.

VIRTUS: adſtringens, coriaria.

USUS.

OBS. *Infuſum* leguminum integrorum aquoſ. frigide paratum, rubicundum, limpidum, odore debiliore, ſapore ſtyptico; vitr. martis ſubito nigreſcit & turbatur. *Decoctum* leguminum ſaturatum ſpiſſiuſculum, obſcure brunneum, odore nullo, ſapore intenſius ſtyptico. Decocti gutta 1, in aquæ font. unc. ß inſtillata, addito vitr. martis, colorem violaceo-fuſcum fecit, plures vero guttæ nigrum.

217. HYMENÆA Courbaril. LINN. *Sp. pl.* 537. *Mat. m.* 515.

Ceratia diphyllos antegoana, Ricini majoris fructu oſſeo, ſiliqua grandi incluſo. PLUKEN. *Almag. t.* 82. *f.* 3.

Jetaiba arbor. PIS. *Braſil.* 60.

Pharm. ANIME Gummi.

Locus. Braſilia. *Arbor.*

FORMA. Reſina in fruſtis ſubrotundis, inæqualibus, magnitudine nucis Avellanæ vel ultra, pallide luteſcens, ſuperficie undique ſubfarinacea, intus diaphana ſuccini inſtar, nitida, ſplendens, fragilis: fragmentis planiuſculis; friabilis.

PROPR. Odor fragrans, balſamicus, in baccas Juniperi incidens. *Sapor* debilius reſinoſus. Reſina *maſticata* primum friabilis inter dentes, dein emollitur, & coit in maſſam duriuſculam, ceræformem, flexilem, opacam, pallidam; ore exemta in aëre libero mox indureſcit, friabilis fit, tota amiſſa pelluciditate & nitore. Inter digitos retenta reſina, leviter illis adhæret, emolli-

mollitur, flexilis fit ut cera; ſubacta pelluciditatem amittit, opaca evadit, facie ceræ citrinæ; abjecta mox iterum indureſcit & fragilis fit. In vaſe ferreo ſuper ignem funditur, odore grato, admota flamma accenditur, flagrat: flamma vivida, fumante: fumo parum grato, fuliginoſo, relicto exiguo carbonis. Reſina ignis flamma admota accenditur, flagrat, ſub deflagratione funditur, guttatim deſtillat. Prunis immiſſa non accenditur, at fumat, fumo grato, conſumitur. Solvitur in ſpiritu vini, oleo expreſſo, & oleum non tingit; ſolvitur etiam in oleo ſtillat. ſed oleum hoc inficit colore dilute luteſcente. In aqua pura vix ſolvitur; ſed cum aqua ſimplici deſtillata, dat *aquam ſtillat.* fragrantem, ipſa reſina odore orbata, atque tantulum *olei ſtillat.* præbet.

VIRTUS: nervina, vulneraria.

USUS. Suffumigia.

OBS. E radicibus arboris ſtillat hæc reſina, & in terra reperitur ſub radicibus, in fruſtulis concreta; EDV. BANCROFT.

218. CÆSALPINIA arbor Braſilia dicta. LINN. *Mat. m. 204.*

Ibirapitanga. MARCGR. *Braſil. 101. t. 102.*

Bois de Breſil. DES MARCHAIS *Voyag. t. 1. p. 9. t. 3. p. 236.* *.

Pharm. BRASILIANUM RUBRUM Lignum.

Locus. Braſilia, Cayenna.

FORMA. Ligni pars medullaris, ſolida, ponderoſa, dura, compacta, rubro-olivacea.

PROPR. Odor nullus. *Sapor* debilis.

VIRTUS.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. phœniceo-luteſcens, ſapore debili, amaricante; vitriolo martis color perſiſtit. *Decoctum* phœniceum, ſapore debili.

OBS. 2. Variat hoc lignum pro ingenio ſoli, diverſaque nomina varietatibus impoſita ſunt, ut *Lignum Japonenſe, Sanctæ Marthæ, Braſilette;* DES MARCHAIS (*). Tinctoribus notiſſimum lignum.

219. GUILANDINA Moringa. LINN. *Sp. pl.* 546. *Mat. m.* 202.

Moringha Zeylanica &c. BURM. *Zeyl.* 162. *t.* 75.
Mouringou. RHEED. *Malab.* 6. *p.* 19. *t.* 11.
Morunga. RUMPH. *Amb.* 1. *p.* 184. *t.* 74.
Belaus myrepſica. BLACKW. *Herb. t.* 386.
Pharm. *NEPHRITICUM* Lignum;
BEHEN Oleum.

Locus. America, Ceylona. *Arbor.*

FORMA. *Lignum* ſolidum, compactum, ponderoſum, durum, ex ſecamento nitidum, alburno pallide cineraſcente, medullari parte purpurea. *Alia varietas* β rarius in officinis occurrit, priori ſimilis; quæ tamen differt alburno cinereo, & medullari parte rubro-brunnea; notata circulis concentricis pluribus, obſcurioribus ſ. magis fuſcis, unde lignum, transverſaliter ſectum, nebuloſo-variegatum apparet.

PROPR. Ligni raſi: *odor* debilis, graviuſculus; *ſapor* debilis, odori congruens, acriuſculus.

VIRTUS olei: obtundens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. luteo-rubicundum, odore acutiuſculo, ſapore conſimili; luci expoſitum ex luteo rubeſcit, in umbra vero brunneum apparet; vitriolo mar-

(*) *Voyage en Guinée & Cayenne, tom.* 3. *p.* 234.

martis fuſceſcit. Ut obſervat GEOFFROY, & poſt eum HILL, LEWIS pluresque, debet lignum Nephriticum verum dare infuſum aquoſum colore opalino; quod, luci expoſitum, colorem monſtrare debet aureum; in umbra vero cæruleum. Sed meum infuſum haſce notas non monſtravit; neque etiam infuſum ex variet. β, quod, luci & umbræ expoſitum, colore erat aureo, odore debili fungoſo, ſapore conſimili, & cum vitr. martis non fuſceſcebat.

OBS. 2. *Oleum Beben* expreſſum album, limpidiuſculum, absque odore & ſapore. Accenſum flagrat: flamma vivida, luminoſa, vix fumante, non fuliginoſa. Cogitur in frigore levi, atque hinc tardiſſime ranceſcit. Ex obſervatione cl. J. C. WILCKE, gradu 15. ſupra o in therm. ſvec. tenax fit, quod ulterius ita increſcit, ut gr. 2. ſupra o inſtar muci tenacis in fila duci poſſit. Ex Nuc. Behen libr. 1 expreſſione accepit cl. J. R. SPIELMANN olei expr. unc. 2 ß.

220. GVAJACUM officinale. LINN. *Sp. pl. 546. Mat. m. 207.* MUNT. *Aardgew. t. 96.*

Gvajacum. BLACKW. *Herb. t. 350.*

Gvajacum jamaicenſe foliis velut muria conditis ſpiſſius virentibus, flore ſubcæruleo. PLUK. *Almag. 180. t. 35. f. 4.*

Pruno vel Evonymo affinis arbor, folio alato buxeo ſubrotundo. SLOAN. *Hiſt. 2. p. 133. t. 222. f. 3-6.*

Arbor ligni ſancti vel Gvajacum. SEB. *Theſ. 1. p. 86. t. 53. f. 2.*

Lignum vitæ or Gvajacum. HUGH. *Barbad. p. 142. t. 9.*

Pharm. GVAJACI Lignum, Cortex, Reſina.

Locus. Jamaica. *Arbor.*

FORMA. Lignum ſolidum, ponderoſum, in aqua ſubſidens, communiter ex truncis vel ramis grandioribus deſumtum, duriſſimum, parte medullari fuſco-virideſcente, alburno pallide luteſcente. *Cortex* durus, ligneus, rigidus, crasſus, in fruſtis planis, latere exteriore læviuſculus, olivaceus; interiore pallidus, longitudinaliter ſubſtriatus, fragilis: tractura ſublamellata. Cortex, ſolis luci expoſitus, latere interiore & in fractura, undique micat atomis albis.

PROPR. ligni: Scobs ligni odore debili reſinoſo; *maſticata* ſapore leniter amaricante, tum acriuſculo. *Corticis*: *Odor* debilius reſinoſus; *ſapor* amaricans, debiliter reſinoſus; *maſticatus* inter dentes friabilis.

VIRTUS: mundificans, ſudorifera, diuretica, ſubcalefaciens, ſtomachica.

USUS. Siphilis, Arthritis, Morbi cutis, Odontalgia.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſum Scobis *ligni* Gvajaci luteſcens tamquam potus Theæ, odore debili, reſinoſo, ſapore reſinoſo, amaricante; vitriolo martis color non alteratur. *Infuſum* aquoſum *corticis* itidem Theæ inſtar coloratum, debile; vitriolo martis color pariter perſiſtit. Ligni Gvajaci raſpati ſ. raſi libr. 3 dant *Extracti* gummoſo-reſinoſi unc. 1 ß.

OBS. 2. *Reſina* duobus modis colligitur, vel inciſione corticis, vel etiam ſpontanea efflorefcentia ex calore ſolis, quorum poſterior præſtabilior cenſetur (*). Reſina Gvajaci bonæ notæ debet eſſe ponderoſa, friabilis, rubro-brunnea, ſubpellucida, odore grato, cephalico.

OBS. 3. Lignum Gvajaci in praxi medica tritiſſimum eſt, ut præſtantiſſimum mundificans. Ante inventum mer-

(*) Des Marchais *l. c. tom. 3. p. 246.*

mercurii usum in Lue venerea, Gvajacum tantum non unicum majoribus nostris fuit remedium, quod regimine calido exhibuerunt. Respectu duritiei magnopere expetitum est hoc lignum a fabris lignariis.

221. ANACARDIUM occidentale. LINN. *Sp. pl.* 548. *Mat. m.* 206. JACQU. *Hist.* 124. t. 181. f. 35. BLACKW. *Herb.* t. 369.

Pomifera s. potius prunifera indica, nuce reniformi. CATESB. *Carol.* 3. p. 9. t. 9.

Kapa-mava s. Acajous vel Anacardi alia species B. pin. RHEED. *Malab.* 3. p. 65. t. 54.

Cassuvium. RUMPH. *Amb.* 1. p. 177. t. 69.

Acajou. DÉS MARCH. *Voyag.* 3. p. 266.

Caschou. MERIAN. *Surin.* p. 16. t. 16.

Acaju. PIS. *Brasil.* 57. t. 58.

Acajaiba. MARCGR. *Bras.* 95. t. 96.

Pharm. *ANACARDII OCCIDENTALIS* Nux.

Locus. India utraque. *Arbor.*

FORMA. sicc. Nux reniformis, glabra, fusca, dura, utrinque obtuso-rotundata, altero latere subgibbosa, altero autem depressa, longitudine pollicari; testa bilamellari: diploë cellulari, in recenti fœcunda substantia liquidiuscula, oleosa, rubicunda; *Nucleo* amygdalino, testæ respondente, obducto pellicula subfusca.

PROPR. Testæ: diploës succus acerrimus; recens gustatus totum os excoriat, inflammat & tumefacit. Ignis flammæ admota testa accenditur, flagrat, igne serpente, explodente. *Nuclei: Sapor* gratus, Amygdalæ dulcis.

VIRTUS: testæ: caustica; *nuclei*: esculenta.

USUS: testæ: Herpes; *nuclei*: diæteticus.

OBS.

OBS. *Receptaculum* fructus recentis carnofum, turbinatum, pyriforme; *immaturum* aufterum, acidum, odore fuballiaceo, fucco maculas indelebiles linteis imprimente; *maturum* vero flavefcenti-rubrum, fapidiffimum, vinofum, odore fvavi; *parencymate* gelatinofo, fibris longitudinalibus referto. In Indiis, ubi recens occurrit, maxime expetita eft hæc fructus fpecies, quamobrem etiam multæ inter barbaros Americæ auftralis obortæ funt diffenfiones.

222. DICTAMNUS albus. LINN. *Sp. pl. 548. Mat. m. 208.* MILL. *Figur. t. 123.* BLACKW. *Herb. t. 75.* KNIPH. *Bot. orig. centur. 1.* STÖRCK *monogr. t. 2.* LUDW. *Ectyp. p. 5. t. 10.*

Fraxinella. RENEALM. *Specim. 122. t. 121.* GARID. *Aix. t. 36.* DOD. *Pempt. 345.*

Pharm. DICTAMNI ALBI Radix.

Locus. Europa auftralis. *Perennis.*

FORMA. ficc. Corticalis pars radicis undique alba, craffitie lineæ vel ultra, convoluta in cylindrum, digitali longitudine; *parencymate* albo-fragili, friabili.

PROPRIET. ficc. Odor vix ullus; *recentis* vero fortis, gravis. *Sapor* debilis; *rec.* amarus.

VIRTUS: emmenagoga, anthelminthica.

USUS.

OBS. 1. *Infufum* aquofum colore potus Theæ, limpidiufculo-lutefcens, fapore amaro; affufo vitriolo martis non variat.

OBS. 2. Ill. ANT. STÖRCK (*) laudat tincturam e radice recente paratam, immo pulverem radicis dofi fcrup. 1 vel drachm. ß; & 9 cafibus ufum Dictamni confirmat, ut anthelminthicum & emmenagogum præftantiffimum.

223.

(*) *Libell. de Flammula jovis, Dictamno albo &c.*

223. RUTA graveolens. LINN. *Sp. pl. 548. Mat. m. 209.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 3.* DODON. *Pempt. 119.* BLACKW. *Herb. t. 7.*

Ruta hortenſis latifolia. DUHAM. *Arbr. 2. p. 240. t. 60.*

Ruta ſylveſtris major. DUHAM. *Arb. 2. p. 240. t. 61.*

Ruta hortenſis. LOB. *Hiſt. 506.* LUDW. *Ectyp. p. 10. t. 20.*

Pharm. RUTÆ Herba, Semina.

Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Suffrutex.*

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, herbacei, teretes, atrichodes, punctulis elevatis ſcabridi, ſimpliciuſculi, pedales vel ultra. *Folia* alterna, petiolata, duplicato-pinnata: pinnis oppoſitis; inferioribus longius pedunculatis: pinnulis pinnatifidis: laciniis lineari-lanceolatis, obtuſis, glabris, ſubtus punctatis, margine minutim crenatis; extima majore, cuneiformi. *Petioli* teretes, ſupra obſolete ſulcati. *Corymbus* terminalis, glaber, punctatus, folioſus, ramis alternis, erecto-patentibus, inferioribus remotis. *Bracteæ* lineares, crenulatæ. *CAL. Perianth.* 5-phyllum, punctatum: laciniis linearibus, acutis, punctatis, minutim crenulatis, plano-patentibus. *COR.* lutea. *Petala* 5, ungviculata, ovato-oblonga, concava, fornicata, punctata, margine dentata, ſ. minutim lacera, plano-patentia. *STAM.* lutea. *Filam.* 10, ſubulata, in petalis recondita. *Anth.* tetragonæ, quadriſulcatæ, baſi cavæ. *PIST. Germen* majuſculum, ſuperum, ovatum, obtuſum, inferne carnoſum, viride, groſſe punctatum, ſuperne fuſcum, quadriſulcatum, punctato-rugoſum. *Stylus* tetragonus, breviuſculus. *Stigma* truncatum. *Semina* reniformia, rugoſa, fuſca.

PRO-

PROPRIET. rec. Odor fortis, gravis, non tamen ingratus. *Sapor* amarus, gravis, acris. *Sicc.* odor & ſapor debiliores.

VIRTUS: alexiteria, pellens, emmenagoga, ſudorifera, rubefaciens.

USUS. Hyſteria.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. *herbæ* colore rubeſcenti, infuſi Theæ inſtar, ſapore amaricante; vitr. martis fuſceſcit. Infuſum *ſeminum* turbidum, rubeſcens, ſapore fere Naſturrii; præcipitatur cum alcohole vini. *Oleum* ſtillat. rubrum, odore debiliore Rutæ, ſapore Rutæ forti, acuto, calido; ætate & quiete deponit ſedimentum reſinoſum, fuſcum. *Extrahitur* Ruta ſpiritu vini, aqua, aceto vini; acetum Rutæ ab antiquioribus temporibus decantatum. Ruta, cum aqua deſtillata, dat *aquam ſtillat.* odore Rutæ, non vero acrem, *oleo ſtillat.* ſupernatante. Ex herba recente tantulum olei obtinetur, e ſeminibus vero longe plus; ex herb. recent. libr. 21 vix ultra drachm. 1 olei ſtill. obtinuit Baumé, ſed ex ſemin. libr. 10 olei ſtill. unc. 2 accepit. Si Decoctum herbæ inſpiſſatur, obtinetur *Extractum* amaricans, acre.

OBS. 2. Semina Rutæ veteribus Romanis culinaria fuerunt, & inter reliqua aromata cibi condimentum effecerunt, pariter ac ipſa herba Rutæ ſiccata vel recens, ut tradit Apicius Coelius.

224. TOLUIFERA Balſamum. Linn. *Sp. pl. 549. Mat. m. 201.*

Baume de Carthagene *vulgo.*

Pharm. TOLU Balſamum.

Locus. Ad oppidum Tolu prope Carthagenam Americæ. *Arbor.*

FORMA. Reſina ſemiliquida, aureo-rubra, plaſtica, tenax, diaphana, teſtæ cucumerinæ incluſa.

PRO-

PROPR. Odor gratus, fragrans, balſamicus. *Sapor* balſamicus. In frigore hiemali ſolideſcit, ſed æſtate aëris calore emollitur, ſponte defluit, inſtar picis liquidæ; digitis tractatum hoc balſamum illis adhæret, in fila ductile. *Maſticatum* non ſolvitur, ſed molleſcit, dentibusque adglutinatur. Ætate penitus ſolideſcit in maſſam rubram, variegatam maculis dilutioribus rubris, particulis quaſi deauratis immixtis, fragilem, digitis non adhærentem, ſub maſticatione tardiſſime, & vix perfecte, emolleſcentem, odore & ſapore recentiori congruente. Solvitur perfecte in Spiritu vini rectificato, & imperfecte in aqua, ſub trituratione, ope mucilaginis gummi arabici adjectæ: ſolutione ſublacteſcente. Decoctione in aqua, vel etiam deſtillatione cum aqua, fragrantiam ſuam cum aqua communicat. Si vero, ut docet Lewis, absque additione deſtillatur, oleum empyreumaticum dat, cum pauxilla portione *florum ſalinorum.* Balſamum Tolutanum funditur penitus in calore ignis, admota flamma accenditur, flagrat: flamma vivida, fumo copioſo, grato, balſamico, fuliginoſo. Ignis flammæ admotum accenditur, ſed ſubito funditur, guttatim deſtillat, extingvitur.

VIRTUS: vulneraria.

USUS. Ulcera, Vulnera.

225. HÆMATOXYLUM Campechianum. Linn. *Sp. pl. 549. Mat. m. 203.* Jacqu. *Obſ. 1. p. 20.* *

Lignum Campechianum. Sloan. *Hiſt. 2. p. 183. t. 10. f. 1 - 4.* Catesb. *Carol. 2. p. 66. t. 66.* Blackw. *Herb. t. 493.*

Pharm. CAMPESCANUM Lignum.

Lo-

Locus. Campechia Americæ, Jamaica. *Arbor.*

FORMA. Medullaris pars trunci, in frustis majoribus, ponderosa, duriuscula, sangvineo colore, longitudinaliter fissilis; transversaliter secta æqualis, nebulosa.

PROPRIET. Odor vix ullus; *sapor* dulcescenti-amaricans, leniter stypticus.

VIRTUS: adstringens.

USUS: tinctorius; Diarrhœa.

OBS. 1. *Infusum* aquos. saturate rubrum, subbrunneum, odore svaviusculo, debiliore, sapore dulcescenti, leniter amaricante; vitr. martis subito nigrescit; hujus infusi guttæ 8 vel 10, instillatæ in aquæ font. unc. ß, addito vitr. martis, colorem fecerunt nigro-cærulescentem. Si spiritus vitrioli infuso aquoso additur, diluitur color paullulum; sed si hæc mixtura cum oleo Tart. p. d. saturatur, violacea fit & obscura; verum si cum aqua pura diluitur, fit pulchre violacea, qui tamen color brevi disparet, & in colorem auroræ mutatur. Idem fere accidit, si alcali fixum infusioni additur, absque saturatione cum acido. *Tinctura* spirituosa sangvinea est. Hæc tinctura ex Spiritu vitrioli vix diluitur; ex addito oleo Tart. p. d. ad saturationem, fit rubro-purpurea, præcipitatur: coagulo spisso; si hæc mixtura cum aqua diluitur, pariter violacea fit, & coagulum præcipitatum in totum solvitur.

OBS. 2. *Extractum* aquosum in diarrhœis laudant Angli.

OBS. 3. Truncus arboris ramique primarii exsudant *Gummi* rubro-nigricans, pellucidum, fragile, friabile, insipidum, quod in aqua lente solvitur: solutione subdulcescente, rubra; N. J. JACQUIN.

OBS. 4. Tinctoribus notissimum lignum, ad varios colores exinde parandos. Color ater additione hujus ligni extollitur & melius persistit.

226. QUASSIA amara. LINN. *Sp. pl. 553. Amœn. acad. 6. p. 423. t. 429.*

Bois de Coiſſi. FERMIN *Surinam. 1. p. 212.* *

Pharm. QUASSIÆ Lignum.

Locus. Surinamum. *Arbor.*

FORMA. Lignum albidum, ſolidum, durum, tenax, rigidum, leviuſculum, ex arboris trunco, pariter ac e ramis & ramulis deſumtum; transverſaliter ſectum notatum radiis capillaribus, parallelis, e centro ad peripheriam, & punctulis ſubexcavatis, ſupra totum diſcum ſparſis, frequentibus; veſtitum *cortice* tenuiore, albido-pallido, læviuſculo, ſæpe nigro-maculato, fragili.

PROPR. Odor nullus; *ſapor* amariſſimus: amaritie pura. Sapor *Corticis* ſapore ligni debilior.

VIRTUS: tonica, ſtomachica, antiputredinoſa, anthelminthica.

USUS. Atonia, Anorexia, Arthritis, Hypochondriaſis, Febres intermittentes.

OBS. 1. *Infuſum ligni* Quaſſiæ aquoſ. frigide paratum per nycthemera bina, colore aqueo eſt, ſapore amariſſimo; vitriolo martis non demutatur; infuſum vero in balneo paratum, colore dilute luteſcente eſt, frigido infuſo vix amarius. *Decoctum* infuſo calido neque magis tinctum, nec amarius; vitriolo martis nil variat. *Extractum* ligni aquoſum fuſco-ferrugineum, amariſſimum, odore fere Extracti Taraxaci; e Ligni unc. 14 obtinui extracti circiter unc. 1 ß. Sed alii plus Extracti obtinuerunt; ſic cl. SCHLEGER unam ſextam partem ſeparavit, & cl. PAARMAN unam octavam partem, Spirituoſi vero extracti unam vigeſimam quartam partem. *Tinctura* ſpirituoſa ligni luteſcens eſt,

Z pel-

pellucida, intense amara, vitriolo martis non mutata. *Corticis* infusum frigidum s. calidum ligni infuso simile est, pariter ac decoctum.

OBS. 2. *Flores* arboris amari sunt, & ut stomachicum egregium in Surinamo ab incolis diu adhibiti fuere. *Cortex* radicis arboris a Surinamensibus praefertur ligno, & usurpatur in Surinamo ut antifebrile. Decoquunt corticis unc. ß in aquae purae libr 6 ad dimidiae consumtionem, cujus decocti quovis bihorio propinant unc. 3 in febribus intermittentibus; PHIL. FERMIN.

OBS. 3. Quassiae usus in Surinamo invaluit per 20, & quod excurrit, annos, ut testatur cl. P. FERMIN, & in Svecia paullo post innotuit, postquam cl. DAN. ROLANDER, e Surinamo redux, Holmiam a 1756 appulisset. Ille, a servo nigrita Surinamensi nomine *Quassi*, vel fortasse potius, ut cl. FERMIN illum appellat, *Coissi*, de virtute hujus ligni edoctus, ejusdem specimina secum attulit. Anno 1761 cl. C. G. DAHLBERG, subchiliarcha, e Surinamo profectus, lignum hoc & fructificationem arboris ill. v. LINNÉ obtulit, qui non ita multo post, a. nempe 1763, in dissertatione academica illud descripsit, & usum medicum comprobavit. Cl. ALEX. BERNH. KÖLPIN (*), & post eum cl. EDV. SANDIFORT (**), vim Quassiae antarthriticam demonstrarunt, & cl. J. FARLEY (***) ejus vim contra febres comprobavit, cui etiam suffragatur cl. JOH. G. WAHLBOM (†), addendo, calculosos, hypochondriacos pluresque insigne levamen a ligno Quassiae sensisse. Cl. CLERC (††) Quassiae

(*) In *Litteris*.
(**) *K. Vetensk. Acad. Handl. vol. 31. p. 168.*
(***) *Philos. Transact. v. 58. p. 81, 82.*
(†) *Medicinal-Verk. tilstånd för år 1769, p. 105.*
(††) *Histoire naturelle de l'homme, consideré dans l'état de maladie, où la medecine rendue à sa premiere simplicité.* Paris 1767, vol. 2.

siæ unciam ß aquæ puræ infundit, & spondet se paroxysmum febris ntermittentis hac dosi suspendere posse. P. FERMIN (*) multam fidem habet Quassiæ, ad curandas febres intermittentes omnes, etiam summe inveteratas, & statuit Quassiam fortius omni Chinchina agere in humores; quamobrem decoctum Quassiæ svadet in febribus intermittentibus, remittentibus, & continuis, exhibendum infantibus, æque bene ac adultis, gravidisque; corticem radicis tamen ligno præfert. Plures postea Quassiæ vim laudarunt, usumque confirmarunt in arthritide, hypochondriasi, podagra, leucorrhœa, morbisque ab acido & putredine, in sudoribus nocturnis phthisicorum, in hydrope addito pulvere Scillæ, atque demum in vertigine (**). Apud nos Quassiæ lignum officinale est, & revera bonum stomachicum tonicumque. Roborat, & non calefacit. Sæpius vidi bonum effectum in arthritide; in febribus intermittentibus sæpe fefellit. Hæmaturiam rebellem apud nobilem matronam ope Quassiæ brevi curatam recordor. Extractum commodius propinatur in forma pilulari delicatioribus, quam Decoctum.

OBS. 4. Muscas adeo obstupefacit infusum Ligni Quassiæ, ut mortuas crederes; brevi tamen ad se redeunt.

227. QUASSIA dioica. *Pharmacop. svec. p. 45.*
Evonymus fructu nigro tetragono. BARRER. *Æquin. p. 50.*
Simaruba arbor. BANCROFT *Gvian. p. 49.* FERMIN *Surin. p. 215.*
Simarouba ou Bois amer. DES MARCH. *Voyag. t. 2. p. 125.*
Simaruba Jussiæi. LINN. *Mat. med. 535.*
Pharm. SIMAROUBÆ Cortex.

Z 2 Lo-

(*) *L. cit.*
(**) cfr. *Berlinische Sammlungen, vol. 2. part. 2. p 442.*

Locus. Guiana, ad ripas fluviorum. *Arbor*.

FORMA. *Cortex* coriaceus, tenax, flexibilis, ſuperficie exteriore rubro-cinereus, ſcaber verrucis polymorphis & rugis transverſalibus elevatis; ſuperficie interiore pallida, ut & parencymate vimineo.

PROPR. *Odor* nullus. *Sapor* amarus, ſubadſtringens; *maſticatus* minime ſolubilis, vix comminuitur.

VIRTUS: tonica, leviter adſtringens, diuretica, ſtomachica.

USUS: Dyſenteria, Lienteria, Tormina.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. tenue, colore Theæ, amarum; a vitr. martis non demutatur. *Decoctum* lacteum non fuit. *Extracti* aquoſi unam quartam partem ponderis corticis largitur; ſpirituoſi vero unam quadrageſimam partem; Cartheuser. *Tinctura* ſpirituoſa amara.

OBS. 2. Cortex deſumitur in Guiana ex arbore 40 pedum altitudine, ramoſa, intorta; cortice craſſo, dilute brunneo; foliis alternis, petiolatis, ovali-oblongis, acutis, majuſculis; floribus violaceo-albidis, odore ingrato; fructu nigro-rubicundo, tetragono, emetico-purgante. Cortex radicis præſtantior cenſetur cortice ramorum.

OBS. 3. In dyſenteria, præmiſſis præmittendis, nempe evacuantibus neceſſariis, ſæpe ſalutari cum effectu adhibetur cortex Simaroubæ, ut tonicum præſtans & non ſtypticum, prout optime tradiderunt clar. viri Jussieu, Degner, Rouppe, Grashuis, Schwencke, Boenneken.

OBS. 4. *Lignum* hujus arboris valde amarum eſt. In Cayenna radicem arboris cum cortice terunt in pulverem impalpabilem, cujus ſcrupul. 1 infundunt balneo cinerum per horas 12, in vaſculo fictili, reiteran-

rando hanc doſin ſingulis 12 horis. Curat dyſenterias bene. Agit ſæpe emeſi. DES MARCHAIS; LAVAL (*).

228. COPAIFERA officinalis. LINN. *Sp. pl.* 557. *Mat. m.* 513.

Copaiva officinalis. JACQU. *Hiſt.* 133. *t.* 86.

Copaiba. BARRER. *Æquin.* 40. PIS. *Braſil.* 56. MARCGR. *Braſil.* 130.

Pharm. *COPAIVÆ* Balſamum.

Locus. Braſilia, Cayenna; frequens ad oppidum Tolu prope Carthagenam. JACQU. *Arbor.*

FORMA. *Balſamum* liquidum, conſiſtentia olei olivarum, luteſcens, limpidum.

PROPRIET. *Odor* fragrans, balſamicus, non ingratus. *Sapor* pingvis, amaricans, ſubgraviuſculus, ſubaromaticus, reſinoſus, ſubinhærens. Chartæ illinitum ſe habet ut oleum, chartam diaphanam reddendo. Frigidum non accenditur balſamum Copaivæ ex admota flamma; ſed in vaſe idoneo ſupra ignem excalefactum, ebullit, fumat, admotaque flamma accenditur, flagrat: flamma vivida, fumo copioſo, fuliginoſo, aromatico, odore Copaivæ, conſumitur, ſed vas nigrum reddit cum ſplendore. Aquæ frigidæ guttatim immiſſum, vel ſupra ſuperficiem aquæ extenditur, vel guttæ ejus ſphæricæ ſub ſuperficie aquæ hærent, quæ tandem ſuper aquam ſe explicant. Vitro, in quo experimentum inſtituitur, conquaſſato, in guttas ſphæricas ſub ſuperficie aquæ reſolvitur, ſæpe magnas, quæ tamen ſponte tandem rumpuntur, & ſupra aquam iterum ſe extendunt. Sub conquaſſatione lateribus vitri plurimum balſami adglutinatur, quod tandem defluit. Si cum aqua diu-

(*) *Voyage de la Louiſiane*, p. 76.

diutius trituratur, ſolutionem lacteſcentem mentitur, quiete ſponte ſeparabilem, balſamo ſuperficiem petente. Cum vitello ovi vel etiam Gummi arabico in aqua trituratum, mixturam emulſivam reddit, diutius perſiſtentem. In oleis expreſſis & ſtillatitio bene ſolvitur: ſolutione perſiſtente, non tincta. Diutius digeſtum in ſpiritu vini rectificato, perfecte ſolvitur: tinctura odoris validi, grati. Deſtillatum cum aqua, primum dat aquam ſtillatitiam fragrantem, dein olei ſtillatitii limpidiſſimi largiſſimam copiam, remanente colophonio, inodoro. Sed ſi absque additione per ſe deſtillatur, primum, ut docet LEWIS, adſcendit oleum luteſcens, odore fragrantiſſimo Copaivæ, dein oleum ſaturatius tinctum, tandem oleum pulchre cæruleum, empyreumaticum, vix tamen ingratum. Si balſamum Copaivæ cum cineribus miſcetur & ex retorta fortiſſimo igne deſtillatur, obtinetur oleum cæruleum, odore non ingrato, ut monet FR. WILH. HOPPE.

VIRTUS: balſamica, vulneraria, diuretica, ſublaxans.

USUS. Vulnera recentia, Gonorrhoea.

OBS. 1. Balſami Copaivæ libræ 3, per deſtillationem, quam inſtituimus, dederunt olei ſtillat. unc. 20, aquæ ſtillat. pro quantitate aquæ ſimplicis affuſæ, & reſinæ unc. 12; hinc unc. 14 deceſſerunt. *Aqua* hæc limpidiſſima erat inſtar aquæ, odore & ſapore debiliore balſami. *Oleum* ſtill. limpidiſſimum, tenuiſſimum, ſubluteſcens, odore Copaivæ, in oleum Terebinthinæ leviter incidente, ſapore copaivæ pingvi, calidiuſculo; quod, ſimulac rectificatum fuit, tanquam aqua limpidiſſima liquidum & pellucidum conſpiciebatur, odore gratiore, ſapore magis amaricante. *Reſina* tenax, dum ſiccatur dura fit, colophonii inſtar, viridi-fuſca, undi-

dique nitens, fragilis: fracturis planiusculis, odore debilissimo, sapore nullo. *Masticata* in ore emollitur, non solvitur, nec dentibus adhæret, sed cinerascit. Solvitur in oleo expresso & stillat., atque in spiritu vini, non autem in aqua.

OBS. 2. Balsamum Copaivæ colligitur in solo natali, perforando truncum arboris ad medullam, unde tantum balsami effluit, ut trihorii spatio 12 libræ obtineantur, uti refert PISO, vel etiam plus, prout statuit MARCGRAVIUS. Criterium boni & veri balsami copaivæ erit, ut docet *Anonymus* (*), in solo natali autopta, quod sit album & spissum, recens liquidius, antiquum spissius, consistentia mellis; si gutta una alterave aquæ frigidæ immittitur, vel fundum petit, vel in aqua sub superficie suspensa hæret, absque jactura figuræ sphæricæ; sed si supernatat, & in superficie aquæ semet extendit gutta, vix verum est balsamum, sed adulteratum. Idem Auctor (**) balsamum copaivæ genuinum, ut summum vulnerarium, extollit; vult, ut vulneri recenti hoc balsamum calide immittatur, vulnusque dein linteo carpto impleatur, quo cesset hæmorrhagia; tum vulnus denuo mundari & de novo impleri balsamo debet, suprajecta fascia, & deinde relinqui, quoad consolidatum fuerit.

OBS. 3. Urinam amaram fieri ex sumto Balsamo Copaivæ, statuit FULLERUS.

OBS. 4. De balsamo Copaivæ egit FRID. WILH. HOPPE (***), & quidem bene, pulcherrimas de ipso observationes chemicas communicando, experimentis innixas, quæ legi merentur. Morbos recensuit, in quibus Balsamum Copaivæ valuit. Sed, ut fidelis fuit Auctor, sin-

(*) *Hist. naturelle du Cacao & du Sucre p.* 220.
(**) *L. c.*
(***) *Dissert. de Balsamo Copaivæ*, quæ recusa legitur in VALENTINI *Hist. simplicium, p.* 617.

ſincere adduxit noxam ex abuſu hujus balſami, quam experientia evictam habuerat. Sic largiori doſi & diutius aſſumtum, humores nimis exagitat & parit febres, hæmorrhagias, cephalalgias, dolores & ardores ventris, cordis palpitationes. In phthiſi & ulcere renum facile tuſſim exaſperat, hæmoptyſin & mictum cruentum ſæpe infert, febremque lentam intendit. Nephriticis dolores & inflammationem renum adauget. In dyſenteria balſamum Copaivæ, clyſmatibus additum, ardores internos excitaſſe obſervavit Auctor, atque in mictu cruento nocuiſſe. Vulneribus & ulceribus, rite non deterſis, balſamum Copaivæ, extus applicitum, pariter nocuit, cicatricem intepeſtivam inducendo, atque ſic ulcera ſinuoſa inferendo.

229. LEDUM paluſtre. LINN. *Sp. pl. 561. Mat. m. 210. Flor. Svec. 352.* *

Rosmarinum ſylveſtre. CAMER. *Epit. 546.*

Pharm. ROSMARINI SYLVESTRIS Herba.

Locus. Europæ ſeptentrionalis paludes uliginoſæ. *Fruticulus.*

FORMA. rec. Frutex bipedalis, ramoſus, cortice cinereo, in trunco minutim rugoſo, in ramis læviuſculo. *Rami* alterni. *Ramuli* teneri tomentoſi, ferruginei. *Folia* duntaxat in ramulis teneris, frequentia, ſparſa, breviter petiolata, pollicaria, linearia, ſempervirentia, obtuſa, margine utrinque revoluto, ſupra luteſcenti-viridia, ſulco longitudinali, venuloſa, ſubrugoſa, luciduiſcula, ſubtus tomentoſa, ferruginea, nervo longitudinali carinata; inferiora reflexa, ſuperiora patentia. *Corymbus* terminalis, ſimplex, ſeſſilis, villoſus, ferrugineus, ſubglutinoſus, erectus, breviuſculus, convexus. *Pedunculi* filiformes, uniflori. *Bracteæ* frequentes, ovato-oblongæ, acu-

acutæ, concavæ, ferrugineæ, ſubtus villoſæ, glutinoſæ, ſupra glabræ, deciduæ. *CAL. Perianth.* inferum parvum, 1-phyllum, ſubtus villoſum, glutinoſum, obſolete 5-lobum. *COR.* nivea. *Petala* 5, oblonga, obtuſa, concava, ſeſſilia, erecto-patentia. *STAM.* alba. *Fil.* 10, ſetacea, corolla longiora, erecta. *Anth.* ovatæ, obtuſæ, erectæ. *PIST. Germen* ſuperum, ovatum, obtuſum, obſolete quinqueſulcatum, inferne glabrum, ſuperne villoſum. *Stylus* cylindricus, glaber, albus, longitudine ſtaminum. *Stigma* obtuſum, ferrugineum.

PROPR. rec & *ſicc. Odor* fragrans, aromaticus, ſubnarcoticus, cephalalgicus. *Sapor* aromaticus, leviter amaricans, odori congruens.

VIRTUS: anodyna, inebrians, phthiriaca, diuretica, ſublaxans, reſolvens.

USUS. Lepra noduloſa, Tinea, Tuſſis ferina, Scabies, Pediculi.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubrum, fragrans, graviuſculum, ſapore amaricante; vitr. martis nigreſcit. Infuſi guttæ 15, inſtillatæ aquæ puræ unciæ ß, addito vitr. martis, colorem ferrugineum exhibuerunt.

OBS. 2. Cl. Joh. L. Odhelius (*) caſum refert ancillæ, lepra noduloſa obſeſſæ, quæ ex infuſo tenuiore herbæ Ledi (ſc. herb. unc. 2 in aquæ calidæ libr. 4) tantum ſenſim profecit, ut demum nodi plerique leproſi reſoluti fuerint. Sub illo temporis decurſu ego in noſocomio ſæpius vidi hanc ægram, & omnis ſpes fuit felicis lepræ exſtirpationis, dum emaciata inopinanter exſpiravit. Certe multum pollicetur Ledum in hac ſpecie lepræ, quod quidem ulteriori experientiæ relinquitur. In tuſſi ferina infuſ. Ledi adhibent me-

Z 5 di-

(*) *K. Vetenſk. Acad. handl. vol. 35. p. 266. ſeq.*

dici nostrates. Sæpius etiam adhibui ipse, sed pro certo dicere non possum, num opem tulerit huic tussis speciei. Vidi infantes, qui per plures septimanas infusum hoc hauserunt; sed curam persolverunt lacticinia, aër vernalis &c. emeticis prægressis.

OBS. 3. De Ledo palustri scripsit J. P. WESTRING (*). Descriptionem dedit Ledi bene exaratam. Experimenta instituit pharmaceutica cum herba Ledi. Sic *aqua still.* gratum præbet odorem, in aquam Rosarum incidentem. *Extr. aquos.* sapore est dulcescenti, mox amaro, postea styptico; *resinosum* vero valde amarum & stypticum. *Oleum empyreum.* odore est tetro, consistentia crassa, picis liquidæ instar. *Spiritus per descensum* secundum saporem convenit cum Spiritu Tartari, odore empyreumatico. Hunc spiritum magnopere laudat ad enecandos Cimices; quippe quia illis inspersus subito eos enecat. Hinc eo magis singularis est observatio cl. J. O. HAGSTRÖM, qua statuit, apes ledum in deliciis habere, siquidem ex ejus floribus & mel & pollen pro cera conficienda colligunt. Expedire quoque, ait, alvearia cum herba Ledi fricare, ut apes lubentius ibi nidulentur.

230. ARBUTUS Uva ursi. LINN. *Sp. pl. 566. Mat. m. 211.* OEDER *Icon. t. 33.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 9.* MURRAY *monogr. p. 1. seq.*

Uva ursina. GIRARD. *monogr. p 1. seq.*

Uva ursi. GLUS. *Hist. p. 63.*

Pharm. UVÆ URSI Folia.

Locus. Europa, Canada. *Fruticulus.*

FORMA. rec. Folia petiolata, semipollicaria, obovalia, obtusa, integerrima, utrinque glabra, lucidiuscula, supra rugosa, subtus venuloso-subrugosa: venulis semidiaphanis. *PRO-*

(*) *Dissert. de Ledo palustri*, præside VON LINNÉ, Upsal. 1775.

PROPR. rec. & *sicc. Odor* nullus. *Sapor* stypticus.

VIRTUS: diuretica, tonica.

USUS. Calculus renalis.

OBS. 1. *Infusum* foliorum aquos. lutescens potus Theæ instar, stypticum; vitriolo martis subito nigrescit. Infusi saturati guttæ 3, instillatæ aquæ puræ unciæ ß, addito vitr. martis, colorem saturatum violaceum stiterunt. *Extractum* aquos. fusco-nigricans, odore mellis s. extr. Taraxaci, sapore amaro, adstringente. Sub inspissatione infusi in extractum, ferrea, qua agitatur, spathula, nigra evadit. E fol. arbuti unc. 4 obtinentur Extr. aquosi drachmæ 12; residuum dat Extr. spirituosi veri resinosi circiter scrup. 4; MURRAY.

OBS. 2. De Uva ursi bene scripserunt viri clariss. JOH. ANDR. MURRAY, Gotting. 1766, & MICH. GIRARDI, Patav. 1764 (*). Cl. ANT. DE HAEN (**) Uvæ ursi efficaciam in mitigandis symptomatibus calculosis extollit. Certe Uva ursi revera præstans est in calculosis affectibus & ulceribus viarum urinariarum. Non solvit calculum, ut putat GIRARDI, sed sabulum & calculos renales minores pellit, illosque abire facit cum facilitate.

OBS. 3. In provincia imperii Russici Casanensi hæc planta ad coria perficienda utiliter adhibetur; PALLAS (***).

231. PYROLA rotundifolia. LINN. *Sp. pl.* 567. *Mat. m.* 212.

Py-

(*) Quæ posterior in cel. SANDIFORT *Thesauro dissert. v.* 2. *p.* 455. recusa exstat.

(**) *Rat. med. part.* 2. *p.* 159. & in quibusdam hujus operis continuationibus.

(***) *Russische Reise*, *tom.* 1. *p.* 11.

Pyrola Limonium. Lob. *Hist.* 157.

Pharm. *PYROLÆ* Herba.

Locus. Europa, Virginia, in ſylvis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix ſuperne ramoſa. *Folia* longius petiolata, radicalia cuncta, ſempervirentia, ovato-ſubrotunda, apice obtuſo-rotundata, margine remote & minutim crenata: crenis obtuſe tuberculatis; utrinque glabra, ſupra ſaturate viridia, venoſa, lucidiuſcula, ſubtus pallidiora, pollicaria vel paullo ultra, erecta. *Petioli* triquetri, ſupra canaliculati. *Stipulæ* membranaceæ, ovales, obtuſæ, ad baſin petiolorum, e ſquamis gemmaceis perſiſtentibus. *Scapus* erectus, foliis duplo longior, angulatus, albido-virideſcens, nudus, adſperſus ſquamis 2 vel 3, ovali-oblongis, acutiuſculis, membranaceis, albis, remotis, glabris. *Racemus* terminalis, ſimplex, floribus ſparſis, erectis, pedunculatis. *Bracteæ* lineares, incarnatæ, acutæ, ad pedicellos ſolitariæ, longitudine florum, nervoſæ. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, pallide viridulum, glabrum, 5-fidum: laciniis lanceolatis, acutis, patentibus. *COROLLA* alba.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* ſubſtypticus, amaricans. *Sicc.* conſimilis.

VIRTUS: adſtringens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. rubeſcit potus Theæ inſtar, amaricat & ſubſtypticum eſt; vitr. martis nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 8, inſtillatæ aquæ unciæ ß, addito vitr. martis, colorem pulchrum ſaturate viridem monſtrarunt.

232. STYRAX officinale. Linn. *Sp. pl.* 635. *Mat. m.* 227.

Sty-

Styrax folio mali cotonei. GARID. *Aix. t. 95.* DUHAM. *Arbr. 2. p. 287.*

Styrax. CAMER. *Epit. 38.* DALECHAMP. *Hist. 1. p. 115.* MILL. *Figur. t. 260.*

Pharm. STORAX VULGARIS.

Locus. Europa auſtralis, Oriens. *Arbor.*

FORMA. Gummi-reſina in maſſa brunnea, ſubrubicunda, mollis, fragilis: fracturis facie glebæ turfaceæ denſæ, undique repletis punctis albicantibus, micaceis, ſcintillantibus; inter digitos laxius fricata pulverulenta, digitis vero ſubacta in paſtam concreſcens.

PROPR. Odor fortis, fragrans, unctuoſus. *Sapor* conſimilis, reſinoſus, vix ſubamaricans; *maſticata* primum pulverulenta, deinde in paſtam ſubigitur, dentibus non adhærens, tandem in ſaliva ſolubilis: ſaliva lacteſcenti-rubeſcente. Accenſa flagrat: flamma albido-luteſcente, luminoſa, valde fuliginoſa, aromatica, atque conſumitur, relicta favilla cinerea. In igne clauſo non funditur, verum liqueſcit reſinoſa pars, exprimenda. Si Storax abſque additione deſtillatur, ſurgit, ut obſervavit cl. SCHEELE, 1. pauxillum humidi, cum nonnullis guttis olei lutei; 2. phlegma acidum, ſpiritui lignorum ſimile, & ſalis eſſentialis pauxillo junctum, quod, cum Lithargyrio digeſtum, ſolutionem facit dulcem; 3. oleum ſpiſſum, quod in frigore butyraceum fit, inſtar axungiæ; 4. carbo remanet in fundo retortæ. Si oleum hoc butyraceum cum aqua coquitur, beneque repetitur elixiviatio, obtinetur *ſal eſſent.* luteſcens, quantitate ſcrup. 1 ex quavis uncia Storacis. Si Storax in aqua calida diutius maceratur, & dein deſtillatur, tranſcendit *aqua ſtillatitia* fragrans, opaleſcens, una cum pauxil-

xilla portione *olei ſtillat.*, fragrantis, ſaturate rubri, diaphani; hocce ſequitur aliud oleum fuſco-nigricans, ſpiſſius, ſatis copioſum, pariter fragrans. Storax ſolvitur maximam partem in ſpiritu vini, remanentibus ſordibus tantulaque portione gummoſi. In oleo expreſſo non ſolvitur, nec tingit oleum; neque etiam in oleo ſtillatitio ſolvitur, verum tingit oleum colore aureo.

VIRTUS: ſubanodyna, balſamica, digeſtiva, pectoralis.

USUS. Vulnera, Suffumigia.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. Storacis, in balneo paratum, luteſcens, fragrans, odore Storacis, ſapore debili conſimili, vix amaricante; ex ſolutione vitrioli in aqua deſtillata turbidum fit, præcipitatur.

OBS. 2. Storax vulgaris calefacta & ſacculo incluſa, preloque tam calido, ut ex aqua adſperſa fere fremat, ſubjecta, *reſinam* dat *expreſſam*, puram, fuſcam, fragrantem, Storacis odore, ſc. reſinæ unc. 2 ß ex Storacis libr. 1. Hæc reſina ſub expreſſione liquefacta provenit, aqua vero frigida excepta mox ſolideſcit, & in frigore fragilis evadit; in temperie vero caloris ultra gradum 16. in thermom. ſvecico ſponte molleſcit, confluit in formam picis liquidæ ſpiſſioris, plaſtica fit & tenax; ubi vero duriuſcula eſt, & inter digitos tractata emollitur, adglutinatur, in fila ductilis. Reſina hæc, in aqua pura lota, gummoſi quid immixti non præbet; etenim aqua lavacri immutata perſiſtit, ſapore debili Storacis, odore empyreumatico, & alcohole vini non præcipitatur. Solvitur reſina hæc in ſpiritu vini: tinctura luteſcente, odore & ſapore ſtoracis debili, aqua pura diluta opaleſcente.

OBS. 3. *Sal eſſentiale* dat Storax, eodem modo ac G. Benzoë, ſed in triplo minore quantitate. Extrahitur eadem encheireſi ac de Benzoë ſuo loco dicetur, ſcilicet ſublimatione, elixiviatione cum aqua pura, & decoctione cum aqua calcis. Hoc ſal, ex aqua calcis *præcipitatum*, viridi-cinereum eſt, inſtar Talci viridis pulverati, particulis micaceis ſplendens, odore Storacis debiliore, ſapore calidiuſculo, ſubacuto, acidulo, aromate Storacis debiliore, in aqua ſolubile; hujus enim ſalis gr. 5 in aquæ frigidæ unc. 1 ß optime ſolvebantur. Sal vero ſtoracis, *per ſublimationem* paratum, albidius erat, magis ſplendens, facie amalgamatis ſpeculorum, ad tactum molle & pingviuſculum, fere ut Talcum.

ORDO
DIGYNIA.

233. SAXIFRAGA granulata. LINN. *Sp. pl. 576. Mat. m. 215.*

Saxifraga alba. BLACKW. *Herb. t. 56.* DODON. *Pempt. 313.*

Saxifraga alba chelidonides. LOBEL. *Hiſt 335.*

Saxifraga IV. CAMER. *Epit. 719.*

Pharm. SAXIFRAGÆ ALBÆ Radix, Herba, Flores.

Locus. Europa, in apricis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix ſubrotunda, magnitudine circiter fructus Ceraſi, bulboſa, radici annotinæ emortuæ impoſita, conſtans *bulbis* aggregatis, ſubrotundis, inæqualibus, albicantibus, apice lanatis, magnitudine ſeminis cannabini, quandoque etiam Piſi; ſingulo bulbo veſtito vaginis 5 vel 6, membranaceis, imbricatis, quarum intimæ tenuis-

nuiſſimæ, & conflato ex bulbulis circiter 10, hemiſphæricis, conniventibus, lævibus, nitidis, incarnatis, margine ciliatis, extimis paullo majoribus, *parencymate* farinaceo-ſucculento, molli. *Fibræ* radicis ſetaceæ, ſparſæ, inter bulbos deſcendentes. *Caulis* ſpithamæus, erectus, teres, parce ramoſus ſive ſubdiviſus, piloſus. *Rami* alterni, ſimplices, cauli conformes. *Folia* alterna, ſubcarnoſa, pubeſcentia; radicalia & inferiora caulis longius petiolata, reniformia, obtuſa, inciſo-lobata; caulina ſuperiora cuneiformia, lobata; ramea linearia, integerrima, obtuſiuſcula. *Petioli* teretes, piloſi, ſupra ſulcati, baſi vaginati: vagina plana, margine undique tenui, ciliato-lanato. *Panicula* terminalis, piloſa. *Flores* pedunculati, albi. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, turbinatum, piloſo-viſcidum, viride, 5-fidum: laciniis lanceolatis, obtuſis, erectis. *COR.* alba. *Petala* 5, cuneiformia, obtuſa, erecto-patentia, ſeſſilia, calyce duplo longiora, alba, baſi ſtriis tribus luteis, trinervia: nervis exterioribus bifidis. *STAM. Fil.* 10, ſubulata, albida, corolla breviora, inæqualia tempore. *Anth.* ovatæ, didymæ, obtuſæ, erectæ, latere utrinque dehiſcentes, unde fine antheſeos tetragonæ apparent. *PIST. Germen* inferum, roſtro ſupero luteſcente, deſinente in *Stylos* 2, craſſos, extus convexos, latere interiore canaliculatos, glabros, longitudine ſtaminum. *Stigm.* pateriformia, obtuſa, conniventia.

PROPR. Radix ſicc. maſticata friabilis, primum inſipida, deinde amaricans; *recens* ſtyptico-amara; *herbæ* rec. *odor* nullus; *ſapor* herbaceus, obſcure acidiuſculus; *maſticatur* ſaliva virideſcente.

VIRTUS:

USUS.

OBS.

OBS. *Infusum radicis* aquos. rubicundum, primo subdulcescens, dein amarum; cum vitriolo martis fuscescit. *Decoctum* radicis rubrum, intense amarum; vitr. martis valde fuscescit. *Infus. comæ florum* luteum velut potus Theæ, sapore herbaceo, amaricante; cum vitr. martis subito nigrescit; hujus infusi guttæ 20, aquæ puræ unciæ ß instillatæ, addito vitr. martis, colorem rubrum exhibuerunt.

234. SAPONARIA officinalis. LINN. *Sp. pl.* 584. *Mat. m.* 214. OEDER *Icon. t.* 543.

Lychnis, quæ Saponaria vulgo. ZANNICH. *Venez. t.* 285.

Saponaria vulgaris. BLACKW. *Herb. t.* 113. CAMER. *Epit.* 152. DOD. *Pempt.* 179. LOB. *Hist.* 170.

Pharm. SAPONARIÆ Radix, Herba.

Locus. Europa media, Virginia. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, longissime descendens, bi-vel tripedalis, crassitie pennæ cygneæ, sæpe digiti minoris, geniculata, superne ramosa: ramis ad genicula brachiatim oppositis; fibris filiformibus prope ramos. *Gemmæ* vivaces ad genicula inferiora, quæ tandem in ramos excrescunt. Tota radix *cortice* tecta est extus rubicundo, crassiusculo, facile separabili, latere interiore albido. *Parencyma* album, firmum, masticatum fibrosum, post sectionem transversalem centro medullari orbiculato, cincto annulo albido, substriato. *Caulis* pedalis vel ultra, teres, erectus, geniculatus, internodiis inferioribus utrinque compressis; superioribus rotundato-tetragonis; scabridus, simplex, superne ramosus. *Rami* brachiatim oppositi, simplices, patentes, pubescenti-scabridi. *Folia* ad genicula brachiatim opposita, brevius petiolata, ovato-lanceolata, a-

cuta, glabra, trinervia, parcius venoſo-lineata, margine ſcabrida, patentia. *Petioli* breviuſculi, lati, trinervii, connati. *Stipulæ* nullæ; verum margo e petiolis connatis utrinque ad genicula, minutim ciliatus. *Corymbus* florum terminalis, folioſus, ramis oppoſitis, breviter trichotomus. *Pedunculi* breves. *Bracteæ* lanceolatæ ſ. lineares, acutæ, ad pedunculos, oppoſitæ. *Flores* cernui, intermedii priores. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, tubulatum, pallidum, pubeſcenti-ſcabridum, baſi infima intruſa, apice 5-fidum: laciniis lanceolatis, acutis, erectis. *COR.* alba. *Petala* 5, cuneiformia, obtuſo-rotundata, patentia; ungvibus quadrangularibus, dilute virideſcentibus, longitudine calycis. *Nectarium:* mucrones gemini, parvi, albi, ad baſin laminæ petali. *STAM. Fil.* 10, ſubulata, alba, ungvibus corollæ paullo longiora, erecta. *Anth.* trigonæ, incumbentes. *PIST. Germen* cylindricum, glabrum. *Styli* 2, ſubulati, albi, ſtaminibus paullo longiores. *Stigm.* truncata.

PROPR. Radic. rec. odor debilis; *ſicc.* nullus. *Sapor* leniter amaricans; *maſticata* ſubglutinoſa ſentitur. *Herbæ* recent. *odor* debilis; *ſapor* amaricans.

VIRTUS: ſaponacea, detergens.

USUS. Rheumatiſmus, Arthritis, Icterus.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. *herbæ* ſicc. infuſi Theæ colorem refert, ſapore herbaceo; cum vitr. martis ſubito nigro-virideſcens. Infuſ. aquoſ. *Radicis* ſicc. pallidum, turbidiuſculum, odore decocti Hordei, ſapore primum hordeaceo-dulceſcente, dein amaricante; a vitriolo martis non demutatur. *Decoctum herbæ* ſiccatæ amaricans, non bene ſpumeſcens; recentis vero, ſcilicet e caulibus & foliis conciſis, ſatis bene ſpumeſcens.

De-

Decoct. radicis sicc. seu rec. turbidiusculum, subbrunneum, odore & sapore infusi. Hoc decoctum, virgulæ ope agitatum, maxime spumescit, exacte ut solutio Saponis veri: spuma alba, persistente, non tamen lubrica, uti e sapone, sed rigidiuscula.

OBS. 2. Experimentum cum decocto Saponariæ institui, lintea eodem, loco Saponis, lavando & dealbando; quod quidem bene successit; namque solvit & detergit hoc lavacrum sordittiem pingvem, uti lintea insudata, maculas oleosas, butyraceas, seu ex animali pingvedine ortas; vascula insuper, oleo expresso s. stillatitio contaminata, brevi hoc decocto mundavi. At colores non delet; quare nec lintea, maculis pulicum conspurcata, bene cum Saponaria dealbantur. Perinde erit, sive radix recens seu siccata decoquatur; decoctum enim æque spumescens & detergens fit. Perinde etiam erit, quænam aquæ species sumatur, putealis, lacustris, seu fontana. Nec facultatem spumescendi tollunt salia media, acetum vini, alcalina adjecta. Spuma tamen citius extingvitur ex addito Sale Tartari.

OBS. 3. Ex dictis patet, radicem Saponariæ verum esse Saponem, quod imprimis evincitur ex decocto spumescente, & facultate detergente maculas pingves. Sed sapo hic vegetabilis est, & ab artificiali longe diversus; etenim alcalinus non est, verum acidus. Acidis non destruitur, uti Sapones alcalini, & serico eundem crepitum imponit Saponaria, si in ejus decocto coquitur, ac omnia acida præstant. Ex hac facultate saponacea virtus medica radicis elucet; hinc Radix Saponariæ præstantissimum diluens in ptisanis; hinc in arthritide, cura mercuriali &c. nullum aptiorem potum novi.

OBS. 4. Quandoquidem radix profunde in terram descendit, geniculaque inferiora gemmas vivaces protrudunt, quæ ex imo surgere possunt, non mirandum est, hanc plantam, semel in hortos introductam, diffi-

cillime exſtirpari poſſe, atque adeo hortis magis, quam vel Triticum repens, moleſtam eſſe.

235. DIANTHUS Caryophyllus. LINN. *Sp. pl. 587. Mat. m. 213.*

Caryophyllus. LOBEL. *Hiſt. 241.* MERIAN. *Eruc. ort. p. 17. t. 50.*

Caryophyllus ruber. BLACKW. *Herb. t. 85.*

Pharm. *TUNICÆ* Flores.

Locus. Colitur ubique in hortis. *Perennis.*

FORMA. rec. Flores terminales, ſubcorymboſi, pedunculati. *Bracteæ* oppoſitæ, ovatæ, acutæ, marginibus inferne conniventibus, calyci ſubjectæ. *CAL. Perianth.* cylindricum, longum, pollicare, utrinque ſtriatum, glabrum, baſi cinctum *ſquamis* 4, ſubæqualibus, ovatis, acutis, margine tenuioribus, oppoſitis, arcte imbricatis; apice 5-fidum: laciniis ovato-acutis, concaviuſculis, erectis. *COR.* rubra, pentapetala: ungvibus albis, longitudine calycis, obverſe enſiformibus; carina latere interiore ſulcata; Limbo plano: laminis obovatis, obtuſo-rotundatis, groſſe ſerratis. *STAM.* alba. *Filam.* 10, ſubulata, longitudine ungvium, apice purpureæ. *Anth.* cordato-ſagittatæ, obtuſæ, erectæ. *PIST. Germen* ſuperum, ovato-oblongum, inferne pallidum, ſubangulatum, ſuperne viride, quadriſulcatum, obtuſum. *Styli* 2, ſubulati, purpurei, latere interiore ſulcati, corolla paullo longiores. *Stigm.* obtuſa, longitudinaliter pubeſcentia, revoluta.

PROPR. rec. Odor gratus, caryophyllæus; *ſicc.* nullus. *Sapor* ungvium recent. dulcis; laminarum vero amaricans, leniter ſtypticus.

VIR-

VIRTUS: leniter adſtringens.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum petalorum recent. fragrans, colore diluto; ſiccatorum vero pulchre rubro-purpureum, odore debili, ſapore amaricante; Vitr. martis addito ſtatim nigreſcit; infuſi hujus guttæ 20, aquæ puræ unc. ß. inſtillatæ, adjecto vitr. martis, colorem viridem effecerunt. Cum Spiritu vitrioli color ſangvineus fit. Flores recentes, caute deſtillati, *aquam* dant *ſtillat.* ſvaveolentem, ſed, ut obſervat cl. Lewis, nullum oleum ſtillat., quamvis in magna copia deſtillati fuerint. *Extractum* aquoſum odorem leviſſimum, reſinoſum, gratiſſimum ſpirat; Lewis.

ORDO
PENTAGYNIA.

236. SEDUM Telephium. Linn. *Sp. pl. 616. Mat. m. 217.*

Telephium primum. Dod. *Pempt. 130.*

Pharm. *TELEPHII* Herba virens.

Locus. Europæ colles ſicci. *Perenne.*

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, ſpithamæi, inferne ſubprocumbentes, teretes, glabri, rubro-purpuraſcentes, adſperſi punctis elevatis, ſimplices, rarius ramoſi: ramis alternis. *Folia* frequentia, carnoſa, ſeſſilia, oppoſita, plana, ovata, obtuſa, inæqualiter ſerrata, pollicaria, utrinque glabra. *Corymbus* terminalis, compoſitus, ſeſſilis, ſubfolioſus, erectus. *Bracteæ* ovato-lanceolatæ, acutæ, ad diviſiones pedunculorum ſolitariæ, longitudine pedicellorum. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, 5-partitum: laciniis lanceolatis, acutis, erectis. *COR.* ſordide albida, calyce duplo longior. *Petala* 5, ſeſſilia,

ovato-lanceolata, concava, inferne in tubum convergentia, ſuperne patentia, apice calloſo-obtuſa. *STAM. Fil.* 10, ſubulata, longitudine corollæ, albida, erecta; 5 receptaculo, 5 vero petalis inſerta. *Anth.* cordatæ, obtuſæ, ſubdidymæ, glabræ. *PIST. Germ.* 5, albida, glabra, oblonga, ſubtriquetra, dorſo convexo-gibboſa, utrinque attenuata. *Styli* ſubulati, longitudine ſtaminum. *Stigm.* ſimplicia.

PROPR. rec. Odor debilis; *Sapor* nullus; planta pæne inſipida. *Maſticata* folia tenerrima, ſubſuccoſa, lubrica ſentiuntur, ſaliva virideſcente.

VIRTUS: refrigerans, antiſcorbutica.

USUS. Clavus pedis.

OBS. 1. *Infuſum* folior. recent. aquoſ. acidulatum, limpidum, aqueum, ſubluteſcens; ex vitr. martis debilius fuſco-virideſcens.

OBS. 2. Folia recentia leniter contuſa, atque aceto vini immiſſa, tum clavis applicata, dumque ſiccaverint renovata, multum levaminis afferunt. Sub hac applicatione albeſcit clavus, inſenſibilis fit, ſæpeque diſparet.

237. SEDUM Anacampſeros. Linn. *Sp. pl. 616.*
Telephium VI. Cepæa Pancii. Clus. *Hiſt. 2. p. 67.*
Telephium tertium. Dod. *Pempt. 130.*
Telephium minus ſempervirens. Lob. *Hiſt. 212.*
Tripmadame *vulgo.*
Culinis. ANACAMPSEROTIS Herba virens.
Locus. Colitur in hortis. *Perenne.*

FORMA. rec. Caules plures ex una radice, procumbentes, teretes, virideſcentes, glabri, dodrantales, folioſi, ſimpliciſſimi. *Folia* frequentia,

tia, ſparſa, carnoſa, ſeſſilia, adnata: ſquama obtuſa, libera; ovato-oblonga, ſubcuneiformia, obtuſa, vix pollicaria. *Corymbus* terminalis, compoſitus, faſtigiatus, glaber, rore glauco, convexus, ſubtus folioſus: foliis cuneiformibus, minutim ſerrulatis, in ramis & ramulis corymbi, ſolitariis, corymbo brevioribus. *Bracteæ* ſubulatæ ſ. ſetaceæ, ad pedunculos. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, glabrum, glaucum, 5-partitum: laciniis lanceolatis, acutis, convexis, erectis. *COR. Petala* 5, ovato-oblonga, acutiuſcula, ſeſſilia, calyci concolora, glauca, erecto-patentia. *STAM. Fil.* 10, ſubulata, longitudine corollæ; quorum 5 petalis inſerta, erecta. *Anth.* ovatæ, obtuſæ, didymæ. *PIST. Germ.* 5, viridia, ſubtrigona, dorſo gibba, ſcabra, utrinque acuminata, in orbem diſpoſita. *Styli* ſubulati, longitudine ſtaminum. *Stigm.* acuta, incurvata.

PROPR. rec. Odor rancidus; *ſapor* aquoſo-acidulus.

VIRTUS: refrigerans, antiſcorbutica.

USUS: culinaris.

OBS. Folia recentia cruda eſitantur, in ſatura herbaria, Lactucæ immixta.

238. SEDUM acre. LINN. *Sp. pl. 619. Mat. m. 218.*
Sedum minimum. BLACKW. *Herb. t. 232.*
Illecebra, ſive Sempervivum tertium. DOD. *Pempt. 129.*
Pharm. SEDI MINORIS Herba.
Locus. Europæ campi & montes ſicciſſimi. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix filiformis, deſcendens, breviuſcula. *Caulis* filiformis, vix digitalis, baſi repens, ramoſus, dein erectus, teres, glaber,

 pal-

pallidus, ſucculentus, undique imbricatus: *Foliis* ovatis, obtuſis, carnoſis, ſupra planiuſculis, ſubtus convexo-gibbis, ſeſſilibus, erectis, ſubpunctatis, minutim ſubrugoſis; inferioribus emarcidis. *Cyma* parva, terminalis, 5-flora, floribus ſeſſilibus & pedunculatis. *Pedunculi* folioſi. *CAL. Perianth.* pentaphyllum: foliolis caulinis ſimilibus. *COR.* ſtellata, lutea: *petalis* 5, lanceolatis, acutis, patentibus, ſubtus carinatis, ſupra concaviuſculis. *STAM. Fil.* 10, ſubulata, longitudine vix corollæ, patentia. *Anth.* reniformes, compreſſiuſculæ. *PIST.* lutea. *Germ.* 5, glabra, conica, divergentia. *Styli* ſubulati, longitudine fere ſtaminum. *Stigm.* ſimplicia.

PROPR. rec. Odor debilis; *ſapor* herbaceus, acris; planta *maſticata* mordet in faucibus.

VIRTUS: rec. emetica, purgans, diuretica, depurans, antiſcorbutica; *ſicc.* longe mitior, fere effœta.

USUS. Scorbutus frigidus.

OBS. *Succus* expreſſus emeticus & fere draſticus eſt; agit violenter, ſi cochlear unum alterumve detur. *Infuſum* aquoſ. luteum, a potu Theæ non abludens, odore nullo, ſapore acriuſculo, nauſeoſo; vitriolo martis adjecto color nil mutatur.

239. OXALIS Acetoſella. LINN. *Sp. pl. 620. Mat. m. 216.*

Trifolium acetoſum. DOD. *Pempt. 568.*

Lujula. BLACKW. *Herb. t. 308.*

Alleluja. FRANC. *Acetoſ. p. 24. t. 1.*

Pharm. ACETOSELLÆ Herba recens; Sal eſſentiale.

Locus. Europa borealis, in ſylvis. *Perennis.*

FOR-

FORMA. rec. Radix horizontalis, albida, repens, filiformis, ramoſa, inſtructa *bulbulis* alternis, remotis, carnoſis, ovato-gibbis, concaviuſculis, glabris; apice terminata propaginibus, bulbulis conſimilibus, imbricatis, viridibus, ciliatis. *Folia* 3 vel 4, radicalia, petiolata, ternata: foliolis obcordatis: ſinu ſubtus recurvo; patentibus ſ. reflexis, glabriuſculis, ſed pube ſparſa notatis, ciliatis, luteo-virideſcentibus. *Petioli* ſemidigitales, teretes, minutim pubeſcentes, nudi, erecti, pallidi. *Pedunculus* unus vel alter, radicalis, teres, pubeſcens, foliis longior, erectus, nudus, uniflorus, in medio geniculatus. *Bracteæ:* ſquama univalvis, concava, amplexicaulis, biangulata, obtuſa, villoſa, ad geniculum pedunculi, altero latere hians. *Flos* nutans. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, pubeſcens, 5-partitum: laciniis ovato-oblongis, obtuſis, ciliatis, erectis. *COR. Petala* 5, tenera, cuneiformia, retuſa, alba venis purpureis, calyce duplo longiora, erecto-patentia, baſi macula luteſcente, ungvibus minutis. *STAM. Fil.* 10, ſubulata, alba, erecta, corolla breviora; quorum 5 longiora; 5 exteriora duplo breviora. *Anth.* ſubrotundæ, trigonæ. *PIST. Germ.* ſuperum, ſubrotundum, angulatum. *Styli* 5, ſubulati, erecti, albi, longitudine ſtaminum. *Stigm.* incraſſata, obtuſa.

PROPRIET. rec. herbæ: *Odor* nullus; *ſapor* grate dulceſcenti-acidus; *maſticata* dentes ſenſibiles facit. *Sicc.* debiliſſime acidulata. Radix recens dulceſcenti-ſtyptica eſt.

VIRTUS: refrigerans.

USUS. Febres phlogiſticæ, bilioſæ, putridæ.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. herbæ ſiccatæ coloratum ut potus Theæ, grate & leniter acidulatum; cum vi-

triolo martis rubro-purpurascens. *Succus expressus* grate acidus, defæcatus & lege artis tractatus dat *Salis essentialis* unc. 3 vel 4 ex herbæ recentis libris 20. Residuum post crystallisationem salis adhuc acidum est, licet crystallos non deponat.

OBS. 2. *Sal* Acetosellæ intensius acidum, fusco-viridescens est, crystallis aggregatis, utrinque planis, cuneatis, obtusis, parallelis; si vero l. a. purificetur, albido-cinerascens fit: crystallis aggregatis, acinaciformibus, dorso incrassato, acie tenuiore, convexiusculo. Sic variant crystalli hujus salis pro diversa puritate; variant etiam inter se forma lamellari, rhombea, apice truncato vel obliquo. Hoc Sal Acetosellæ, pari modo ac Cremor Tartari, sal alcalinum fixum vegetabile continet; hinc salis medii species est, sed acido suprasaturati. Solvitur in aqua pura, paullo largiori quantitate, quam cremor Tartari. Sed quando in aqua vulgari solvitur, solutio communiter deponit terram quandam ad fundum vasis, quæ originem debet terræ calcareæ ipsius aquæ, hoc acido saturatæ, unde selenitidis species nascitur, in aqua difficillime solubilis. Sal Acetosellæ, quod ab exteris ad nos fertur, sæpe adulteratum deprehenditur. Occurrit quoddam Sal Acetosellæ in officinis nostris crystallis parviusculis, valde acidis, quod in aqua facile solvitur & lintea corrodit. Hujus salis quantitatem congruam destillavit cl. SCHEELE, ex retorta vitrea, valido igne; quo facto verum spiritum vitrioli adscendisse observavit, invenitque residuum in retorta verum esse Tartarum vitriolatum (*). Inde sequitur, falsum hoc Sal Acetosellæ nihil aliud fuisse, quam Tartarum vitriolatum, cum acido vitrioli suprasaturatum. Ceterum SCHEELE deinde solvi fecit Tartarum vitriolatum vulgarem in Spiritu Vi-

(*) C. W. SCHEELE in *Litteris.*

Vitrioli, hancque ſolutionem cryſtalliſari, unde cryſtallos obtinuit intenſe acidas, facile in aqua ſolubiles, & ſali acetoſellæ ſuppoſititio exacte ſimiles. Itaque expedit probare ſal acetoſellæ, quando largior ejus quantitas coëmenda eſt. Probatur vero pari modo ac ſal eſſentiale Tartari, affundendo nimirum acetum Lithargyrii, unde albeſcet ſolutio genuini ſalis aquoſa, tum etiam addendo Spiritum Nitri, unde debet mox clareſcere. Porro debet Sal Acetoſellæ verum, ſpathulæ ferreæ candenti immiſſum, fundi, ebullire, odorem vix ſenſibilem ſpargere, ſed relinquere in ſpathula ſal alcalinum fixum, albicans, in quo nulla veſtigia Tartari vitriolati appareant.

OBS. 3. De hac planta ſatis bene ſcripſit Jo. FRANCUS (*). Deſcribit febrem malignam petechialem, a. 1702 Ulmæ graſſantem, cum ejus decurſu. Svadet emetica, alexipharmaca, potum frigidum cum Spiritu vitrioli acidulatum, herbam Acetoſellæ, & abſtinentiam a venæſectione; quæ omnia plurimis caſibus clinicis illuſtrat. Adhibet Acetoſellam in conſerva, decocto, aqua ſtillatitia & ſyrupo. Ex allatis caſibus concludit, Acetoſellam appetitum reſtaurare, vomitum conſopire, alvum ſtringere, ſitim ſedare, oris amaritiem tollere, cordis vires reparare, anginamque abigere. Idem liber prodiit etiam ſub alio titulo (**).

CLAS-

(*) *De vera herba antiquorum Acetoſella, ejusdemque virtute contra febres malignas, petechiales & ipſam peſtem.* Aug. Vindel. 1717.

(**) *Herba Allelujá botanice conſiderata &c.* Ulmæ 1709.

CLASSIS XI.

DODECANDRIA.

ORDO

MONOGYNIA.

240. ASARUM europaeum. LINN. *Sp. pl. 633. Mat. m. 219.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 9.* OEDER *Icon. t. 633.*

Asarum. MILL. *Figur. t. 53. f. 1.* BLACKW. *Herb. 383.* LOBEL. *Hist. 328.* CAMER. *Epit. 19.* DOD. *Pempt. 354.*

Pharm. ASARI Radix, Folia.

Locus. Europa, in nemoribus. *Perenne.*

FORMA. Radix repens, filiformis, tetragona, geniculata, brunneo-cinerea. *Vaginae* radicales obovatae, concavae, obtusae, minutim ciliatae, imbricatae. *Folia* radicalia, longius petiolata, reniformia, obtuso-rotundata, vix pollicaria, venosa, utrique pubescentia, praecipue venis, erecta.

PROPRIET. sicc. radic. Odor fortis, fere Valerianae, sed magis nauseosus; *sapor* aromatico-gravis, acris, in Ipecacuanham incidens, sed magis aromaticus, minus amaricans; *masticata* in lingva & faucibus leniter mordet, subnauseosa. *Herbae odor* nullus; *sapor* subaromaticus, nauseosus, acriusculus; *masticata* leniter mordet in faucibus; *recentia* folia acriora.

VIR-

VIRTUS: emetica, purgans (doſi a ſcrup. 1 ad drachm. ß), errhina, diaphoretica, diuretica, emmenagoga.

USUS. Febres intermittentes, bilioſæ, Hydrops.

OBS. 1. *Infuſum radicis* aquoſ. rubicundum, debiliter fragrans, nauſeoſum, ſubaromaticum; vitriolo martis fuſceſcit; *Herbæ* ſaturate rubrum, ſapore ſubacriuſculo; vitriolo martis nigro-fuſceſcit.

OBS. 2. Radix Aſari emeticum fuit Medicorum ante inventam Ipecacuanham. Hæc radix in forma pulveris emetica eſt; decoctione vis emetica vel mitigatur, vel perit, uti in Ipecacuanha; hinc pulvis præſtabilior decocto vel extracto. Radix itemque folia inter pulverandum ſternutationem movent.

241. WINTERANIA Canella. LINN. *Sp. pl. 636. Mat. m. 196.*

Canella foliis oblongis obtuſis nitidis, racemis terminalibus. BROWN. *Jam. 275. t. 27. f. 3.*

Caſſia lignea Jamaicenſis, Laureolæ foliis ſubcinereis, cortice Piperis modo acri. PLUK. *Almag. 89. t. 81. f. 1.*

Arbor baccifera laurifolia aromatica, fructu viridi calyculato racemoſo. CATESB. *Carol. 2. p. 50. t. 50.*

Laurus Winterania. TREW. *Nov. act. ph. med. A. N. C. v. 2. p. 391.**

Vinterani cortex. CLUS. *Exot. 75.*

Pharm. WINTERANI (Canellæ albæ) Cortex.

Locus. Jamaica, inſulæ Bahamenſes, Florida. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Cortex undique albidus, in cylindrum convolutus, craſſitie lineæ, fragilis, late-

tere interiore glabriuſculo, exteriore ſublutefcente, ſubrugoſo.

PROPR. Odor fragrans, aromaticus; *ſapor* calidus, aromaticus, acriuſculus, amaricans; *maſticatus* ſubfriabilis inter dentes, fauces & lingvam calefaciens.

VIRTUS: calefaciens, ſtomachica.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. luteſcens, aromaticum, ſapore aromatico, amaricante; vitriolo martis color nil demutatur. *Decoctum* cereviſiam tenuiorem referens, amarum, minus aromaticum; vitriolo martis pariter immutatum. *Aqua ſtill.* fragrans. *Oleum ſtillat.*, ut refert cl. LEWIS, ſpiſſum, obſcure luteum, odore ſubgrato.

OBS. 2. Plurimi Auctores corticem Winteranum a Canella alba diſtingvunt; mihi vero alius cortex winteranus, quam hic, ig notus eſt.

242. PORTULACA oleracea. LINN. *Sp. pl. 638. Mat. m. 260.*

Portulaca domeſtica. LOB. *Icon. 388. Hiſt. 210.*
Portulaca ſativa. DOD. *Pempt. 650.*
Portulaca indica. RUMPH. *Amb. 5. p. 268.*
Portulaca. BLACKW. *Herb. t. 287.*
Kara-tſjira. RHEED. *Malab. 10. p. 71. t. 36.*
Culinis PORTULACÆ Herba virens.
Locus: India, Noveboracum, inſula Aſcenſionis, Japonia. Conſeritur ubique in Europa. *Annua.*

FORMA. rec. Radix fibroſa. *Caulis* erectus, teres, glaber, lævis, nitidiuſculus, inferne ſangvineus, ſuperne virideſcens, utrinque brachiatim compreſſus, ſtriis parallelis, ramoſus, diffuſus. *Rami* brachiatim oppoſiti, cauli conformes; in-

inferiores procumbentes, ſuperiores patuli, ramulis ſuboppoſitis, ſæpe alternis, erectis. *Folia* pollicaria, oppoſita, ſubſeſſilia, carnoſa, cuneiformia, integerrima, erecta, utrinque glabra, nitidiuſcula, ſupra viridia, ſubtus micantia, glaciei ſimilia, inſtructa punctulis approximatis, excavatis, coſta micante, baſi elevata, verſus apicem folii evaneſcente. *Flores* plures terminales, congeſti, ſeſſiles, inaperti, virides, cincti foliis quaternis, rameis ſimilibus. *Bracteæ* diphyllæ, membranaceæ, teneræ, ovato-acutæ, concavæ, oppoſitæ, ſubæquales, calyci ſubjectæ, illoque breviores. *CAL. Perianth.* ſuperum, diphyllum: foliolis navicularibus, carinatis, ſubæqualibus, ſe invicem excipientibus. *COR. Petala* 5, tenera, virideſcentia, ſeſſilia, ovalia, retuſa cum mucrone reflexo, erecta, conniventia, intra calycem incluſa. *STAM.* lutea. *Fil.* plurima, circiter 20, ſubulata, corolla breviora. *Anth.* cordato-didymæ, erectæ. *PIST. Germen* inferum: *Styl.* cylindricus, ſtaminibus paullo brevior. *Stigm.* 5, ſubulata, minutim pubeſcentia, longitudine ſtyli, ſubconvoluta. *Capſula* ovato-oblonga, acutiuſcula, viridis, circumſciſſa, unilocularis. *Semina* plurima, intra capſulam pedicellata, reniformi-ſuborbiculata, nigricantia, compreſſiuſcula, ſtriis & punctulis elevatis rugoſa.

PROPR. rec. Odor nullus; *ſapor* herbaceo-aqueus; *maſticata* folia cruda tenera, vix acidula, ſaliva virideſcente; *cocta* tenera, ſubacidulata; ſed caules cocti magis aciduli.

VIRTUS: refrigerans, antiſcorbutica.

USUS: culinaris; Ardor viſcerum.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. herbæ recentis purpuraſcens; odore debili, ſapore Portulacæ; vitr. martis nequicquam demutatur.

OBS. 2.

OBS. 2. Folia recentia cum ſummitatibus caulium Portulacæ in culinis fervide infunduntur aquæ; tum per cribellum ab aqua bene liberata, frixantur & macerantur in butyro, dum penitus molleſcant, addito Saccharo, & vino, ſi placeat; tandem parantur cum cremore lactis ſ. vitellis ovorum. Condiuntur etiam caules crudi cum aceto, ſale, pipere & foliis lauri, atque ita per hiemem ſervantur.

243. LYTHRUM Salicaria. LINN. *Sp. pl. 640.* SCHWENCK. *Gewaſſ. 143.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 5.*

Pſeudolyſimachium purpureum alterum. DODON. *Pempt. 86.*

Salicaria vulgaris purpurea. ZANNICH. *Venez. t. 158.*

Pharm. SALICARIÆ Herba.

Locus. Europa, ad ripas fluviorum. *Perenne.*

FORMA. rec. Caulis bipedalis, erectus, inferne glaber, tetragonus, ſuperne pubeſcens, pentagonus: angulis acutis, membranaceis, ſcabris; ramoſus. *Rami* ſuperiores ſparſi; inferiores oppoſiti, tetragoni, ſcabri, minutim pubeſcentes, erecti, breviuſculi, frequentes. *Folia* ſeſſilia, amplexicaulia, lanceolata, acuta, tripollicaria, ſupra glabra, ſubtus minutim pubeſcentia, ſcabriuſcula, venoſa, margine ſcabra, patentia; inferiora oppoſita, ſuperiora ſparſa; ramea oppoſita. *Spicæ* terminales, ſeſſiles, cylindricæ, e glomeribus florum compoſitæ: conglomeribus ſparſis, remotiuſculis, circiter octofloris, bractea fulcitis; terminalis ſpica duplo major, prior. *Bracteæ* glomerum ſolitariæ, ovatæ, longius acutæ, ſubtus villoſæ, calycibus longiores, ſubpurpureæ; *florum* lineari-ſubulatæ, parviuſculæ. *CAL. Per.* tu-

tubulatum, turbinato-cylindricum, ſtriatum, hirſutum: ore truncato, 12-fido: laciniis purpuraſcentibus; quarum 6 alternæ ſubulatæ, hirſutæ, erectæ; 6 aliæ alternæ parvæ, ovato-acutiuſculæ, inflexæ, concavæ, apice minutim barbatæ. *COR.* purpurea. *Petala* 6, cuneiformi-oblonga, obtuſo-rotundata, erecta, calyce longiora, margini calycis intra lacinias calycis longiores inſerta, patentia. Petala ante eruptionem calycis tubo intruſa ſunt & recondita; hinc poſtmodum erumpunt, & quaſi e calyce extrahuntur. *STAM. Fil.* 12, ſubulata, albida, calycis parieti intra tubum inſerta; quorum 6 longiora, tubo calycis paullo longiora; 6 breviora, intra tubum recondita. *Anth.* ovatæ, luteæ, incumbentes. *PIST. Germen* ſuperum, ovatum, acutum, utrinque ſulcatum, glabrum, virideſcens. *Stylus* cylindricus, albus, corolla vix longior. *Stigma* capitatum, exſertum. Antheſis incidit ſub prima eruptione petalorum.

PROPR. rec. Odor nullus. *Sapor* herbaceus; *maſticata* folia recentia lubrica ſentiuntur.

VIRTUS: adſtringens.

USUS. Diarrhœa.

OBS. Salicariam laudat cl. De Haen (*) in diarrhœis & dyſenteriis, a laxitate ortis, annoſis & protractis; quod confirmat cl. B. R. Hast (**). Agit ut ſtypticum mite; quamobrem, ubi tale indicatur, bona eſſe poteſt.

(*) *Rat. medendi, part. 4. p. 195.*

(**) *Berättelſe om Medicin. verkets tilſtånd, 1769. p. 282.*

ORDO
DIGYNIA.

244. AGRIMONIA Eupatoria. LINN. *Sp. pl. 643. Mat. m. 221.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 5.*
Aigremoine. BULLIARD *Flor. parif. t. 1.*
Agrimonia officinarum. ZANNICH. *Venez. t. 254.* BLACKW. *Herb. t. 21.*
Agrimonia five Eupatorium. DOD. *Pempt. 28.*
Eupatorium. CAMER. *Epit. 756.*
Pharm. AGRIMONIÆ Herba.
Locus. Europa, Virginia, in pratis apricis, Japonia. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix fubcylindrica, ramofa, defcendens, rubra, fquamis nigricantibus obfeffa. *Caulis* pedalis vel ultra, erectus, teres, fimplex vel fubramofus, hirfutus. *Folia* alterna, petiolata, cum impari pinnata, 4-vel 5-juga: pinnis oppofitis, plano-patentibus, feffilibus, ovali-oblongis, acutiufculis, pollicaribus, fupra viridibus, lineatis, adfperfis atomis elevatis, pubefcentibus, fubtus cinereis, hirfutis, venis fuboppofitis, margine incifo-ferratis: ferraturis ciliatis, fuberectis. Pinnæ aliæ parvæ, pariter ciliatæ, inter fingulum par pinnarum majorum, feffiles, inæquales; quarum majores fuboppofitæ, ovatæ, incifo-ferratæ; minores parvæ, ovatæ, integerrimæ, alternæ. *Petioli* fubtus convexi, fupra concavo-canaliculati; quorum inferiores longiores, bafi vaginati. *Stipulæ* 2, oppofitæ, ciliatæ, hirtæ; inferiorum petiolorum integræ, lanceolatæ, acutæ; fuperiorum vero majufculæ, amplexicaules, patentes, undique incifæ. *Spica* terminalis, cylindrica, elongata, hirfuta, floribus breviter pedicellatis. *Bracteæ* parviufculæ,

læ, hirſutæ, palmato-trifidæ, in ſingulo pedicello tres, quarum inferior major, ſuperiores 2 oppoſitæ, paullo minores. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, tubo ovato-turbinato, hirſuto; apice undique armatum ariſtis ſubulatis, viridibus, erectis, uncinatis; 5-fidum: laciniis ovato-acutis, concavis, trinerviis, patentibus, virideſcentibus. *COR. Pet.* 5, lutea, ſeſſilia, obovalia, obtuſa, venoſa, calyce triplo longiora, plano-patentia. *STAM. Fil.* 11, ſubulata, luteſcentia, corolla paullo breviora, patenti-erecta, germini ſupra calycem inſerta. *Anth.* ovatæ, margine utrinque dehiſcente. *PIST. Germ.* inferum, intra tubum calycis; ſupra calycem vero convexum. *Styli* 2, ſubulati, erecti, ſtaminibus paullo breviores. *Stigm.* obtuſo-marginata. *Capſ.* turbinata, ſtriato-angulata, ſuperne cincta ariſtis uncinatis, apice coronata calycis laciniis conniventibus; unilocularis. *Sem.* 2, ſubrotunda, glabra.

PROPR. rec. Odor debilius aromaticus; *ſapor* ſubaromaticus, herbaceus. *Sicc. odor* vix ullus, *ſapor* ſubaromaticus, leviter ſtypticus.

VIRTUS : adſtringens, tonica, vulneraria.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſum luteſcens, potum Theæ referens, herbaceo-ſtypticum; vitr. martis ſubito nigreſcit. Deſtillatione, ut tradit LEWIS, *oleum ſtillat.* dat, odore herbæ.

ORDO

TRIGYNIA.

245. RESEDA Luteola. LINN. *Sp. pl. 643.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 5.*

Luteola. BLACKW. *Herb. t. 283.* LOBEL. *Hist. 190.*

Lutum herba. DOD. *Pempt. 81.*

Pharm. LUTEOLÆ Herba.

Locus. Europa, ad vias & pagos. *Biennis.* Conseritur solo arenoso in Europa calidiore; in frigidioribus regionibus raro adeo rite maturescit, ut tinctoribus satisfiat.

[*FORMA. Caulis* erectus, teres, striato-angulatus, glaber, pedalis vel ultra, inferne ramosus. *Rami* sparsi, erecti, simplices, virgati. *Folia* frequentia, sparsa, glabra, lineari-lanceolata, acuta, integra, inferne attenuata, sessilia: marginibus in caulem decurrentibus; infima petiolata. *Racemi* florum terminales, cylindrici, elongati, graciles, nudi, erecti. *Flores* breviter pedicellati, viridescentes. *Bracteæ* solitariæ ad pedicellos, ovatæ, terminatæ apice subulato, elongato. *Pistilla* 3.

PROPR. Odor & *sapor* nauseosi.

VIRTUS.

USUS: tinctorius.

OBS. *Infusum* aquosum luteum, clarum, odore & sapore herbæ; vitriolo martis nigrescit.

246. EUPHORBIA officinarum. LINN. *Sp. pl. 647. Mat. m. 154.*

Euphorbium Cerei effigie, caulibus crassioribus, spinis validioribus armatum. COMMEL. *Hort. 1. p. 21. t. 11.* SEB. *Thes. 1. p. 29. t. 19. f. 2.*

Pharm. EUPHORBII Gummi.

Locus. Africa. *Perennis, perennans, suffruticosa, arborescens.*

FOR-

FORMA. Gummi-resina in lachrymis s. frustulis subrotundis vel oblongiusculis, sæpe subramosis, perforatis, sordide citrino-rufescens, facie fere ceræ flavæ, non splendens, leviuscula, magnitudine circiter seminis Pisi vel supra, fragilis, friabilis.

PROPR. Odor debilis, vix ullus. *Sapor* primum nullus, deinde valde punctorius, calidus, nauseosus, inhærens; *masticata* hæc G. resina inter dentes friabilis, solvitur in ore, lingvam & fauces pungit uti mille acus, fere ut radix Ari, sed fervida insimul sentitur, & diutissime inhæret, quamvis fauces aqua frigida sæpius eluantur. Ignis flammæ admota, accenditur, flagrat: flamma lucida, fumante, fuliginosa. Sub deflagratione vix destillat, & accensa flagrat pertinaciter. Solvitur partim in aqua, partim in spiritu vini; pars gummosa fere æqualis est resinosæ. *Tinctura* spirituosa acerrima; aquosa vero longe mitior.

VIRTUS: purgans, drastica, inflammans, sternutatoria, errhina.

USUS. Caries ossium, Equorum scabies s. vulnera.

OBS. 1. Ob vim summe corrosivam & inflammantem, nunquam interne tuto datur.

OBS. 2. Planta hæc aphylla, spinosa, succo lacteo turgida est, quæ, lacerata, *lac* fundit, quod in Gummi Euphorbii concrescit. Hæc gummi-resina communiter circum spinas plantæ se figit & adhæret, unde lachrymæ ex deciduis spinis perforatæ; & cum spinæ plantæ geminæ sint, communissime biperforatæ sunt.

OBS. 3. Inter pulverandum hæcce Gummi-resina irritat in naso & sternutationem movet.

247. EUPHORBIA Lathyris. LINN. *Sp. pl. 655. Mat. m. 256.*

Lathyris. CAMER. *Epit. 968.* DOD. *Pempt. 371.*
Pharm. CATAPUTIÆ MINORIS Semina.
Locus. Europa auſtralis. *Biennis.*

FORMA. Capſula ſubrotundo-triquetra, undique rugoſa, fuſco-cineraſcens, ſexvalvis, trilocularis. *Semina* tria, ovata, utrinque obtuſa, undique rugoſa, magnitudine ſemin. cannabis; latere altero longitudinaliter ſulcata, altera extremitate truncata cum acumine, cui inſidet orbiculus niveus, convexiuſculus, margine crenatus. *Parencyma* eſt nucleus albus, oleoſus, intra teſtam tenuem, fragilem.

PROPR. Odor nullus. *Sapor* vix ullus; *maſticati* ſeminum nuclei teneri ſunt, poſtea acres, lingvam & fauces rodunt, inhærent.

VIRTUS: purgans, draſtica.

USUS.

248. EUPHORBIA helioſcopia. LINN. *Sp. pl. 658.*

Tithymalus helioſcopius. PARK. *Theatr. 189.* BAUH. *Hiſt. 3. p. 663.* LOB. *Hiſt. 192.*
Pharm. ESULÆ Herba.
Locus. Europa, ubique in cultis. *Annua.*

FORMA. rec. Radix filiformis, deſcendens, ſimplex, flexuoſa. *Caulis* ſpithamæus, erectus, teres, glaber, lævis, baſi ramoſus: ramis oppoſitis, patentibus. *Folia* alterna, cuneiformia, retuſa, inferne anguſtata, ſubſeſſilia, utrinque glabra, ſerrata, ſubpollicaria, patentia. *Umbella* terminalis, glabra, compoſita; *univerſalis* 5-fida, patens, floſculo centrali ſolitario, ſubſeſſili, poſteriore; *partialis* 3-fida, piloſa, floſculo centrali

li ſolitario, ſubſeſſili, priore; *propria* triflora, intermedio priore. *Involucr. univ.* 5-phyllum, ſeſſile, plano-patens: foliis obovatis, obtuſo-rotundatis, retuſis, ſerratis, æqualibus, caulinis majoribus; *partiale* triphyllum: foliolis ovalibus, obtuſo-rotundatis, ſerratis; binis æqualibus, tertio duplo minore; *proprium* pariter 3-phyllum, partiali conforme, paullo minus. *CAL. Perianth.* turbinatum, glabrum, truncatum. *COR. Petala* 4, parva, peltata, ovalia, plana, rubicunda, pedicellata, margini calycis inſerta, erecta, æqualia. *STAM. Filam.* plurima ſubulata, intra calycem, calyce longiora. *Anth.* ſubrotundæ, luteæ, didymæ, utrinque ſulcatæ, exſertæ. *PIST. Germen* pedunculatum, nutans, glabrum, virideſcens, ovatum, trigonum: angulis rotundatis, ſulcatis. *Styl.* tripartitus, laciniis cylindricis, bifidis. *Stigm.* 6, ſimplicia.

PROPR. rec. Odor debilis, herbaceus. *Sapor* acris. Tota planta lacteſcens: *lacte* albo, e corticali parte.

VIRTUS: purgans, draſtica, rubefaciens.

USUS: Tinea, Verrucæ.

OBS. Perinde fere fuerit, quænam ſpecies Euphorbiæ excitetur. Apud nos in Svecia Helioſcopia vulgatiſſima, quare Pharmacopæi illam quærunt; alii ſumunt Euphorbiam paluſtrem, alii aliam ſpeciem vulgarem. Omnes Euphorbiæ in eo conveniunt, ut ſint valde acres; hinc caute cum illis agendum, ſi interne propinare velis; etenim ſæpe purgant violentiſſime, ſurſum & deorſum, atque identidem inteſtina inflammant.

ORDO
DODECAGYNIA.

249. SEMPERVIVUM tectorum. LINN. *Sp. pl.* *664. Mat. m. 222.* OED. *Icon. t. 601.*

Sempervivum majus alterum ſ. Jovis barba. DOD. *Pempt. 127.*

Pharm. SEMPERVIVI Herba virens.

Locus. Europa, in tectis, *Perenne.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, deſcendens, apice ramoſa, ſurſum incraſſato-clavata. *Folia* omnia radicalia, in formam Roſæ plenæ diſpoſita, ſeſſilia, cuneiformia, plusquam pollicaria, carnoſa, craſſa, ſupra plana, ſubtus convexiuſcula, utrinque glabra, diluteırideſcentia, inferne albida, margine ciliata, ſuperne fuſca, acuminata, erecta; exteriora majora, interiora ſenſim minora. *Propagines* longius petiolatæ, globoſæ, magnitudine ovi columbini vel ultra, ſtrobiliformes, imbricatæ foliis erectis. *Petioli* propaginum cylindrici, teretes, ferruginei, lanuginoſi, longius exporrecti, nudi, e baſi radicis, prope folia, exeuntes.

PROPR. rec. Odor debilis; *ſapor* ſubſalſus; *maſticata* folia recentia valde ſuccoſa, ſubſalſa, leniter ſtyptica.

VIRTUS: refrigerans, detergens,

USUS. Aphthæ, Ambuſta, Ulcera ſerpentia, Clavus pedis.

OBS. 1. Folia recentia inciſa *Succum expreſſum* copioſum dant, aqueum, albidum, opaleſcentem, ſapore ſtyptico, ſubſalſo, vitr. martis ſubito nigreſcentem.

OBS. 2. Ad clavos pedis eodem modo adhibentur folia recentia, ac de Sedo Telephio dictum eſt. Agunt etiam modo conſimili.

CLAS-

CLASSIS XII.
ICOSANDRIA.
ORDO
MONOGYNIA.

250. PHILADELPHUS coronarius. LINN. *Sp. pl.* 671. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 5.

Frutex coronarius. CLUS. *Hist.* 1. *p.* 55.

Pharm. PHILADELPHI Flores.

Locus. Colitur ubique in hortis. *Frutex.*

FORMA. rec. Racemi florum in ramulis terminales, pedunculati, 5-vel 6-flori, erecti, nudi, parcius pubescentes, secundi. *Foliola* 2 tenella, ad basin racemi, opposita. *Pedunc.* breves, oppositi, albidi. *Bracteæ* lineari-subulatæ, oppositæ, ad pedunculos, ciliatæ, longit. pedunc. *CAL. Per.* 1-phyllum, turbinatum, album, glabrum, 4-fidum: laciniis ovatis, acutis, venosis, erectis, vix ciliatis. *COR.* alba, magnitudine floris cerasi: *Petalis* 4, ovatis, obtusis, sessilibus, calyce duplo longioribus, erectis, obsolete venosis. *STAM. Fil.* plurima, subulata, alba, erecta, corolla breviora. *Anth.* luteæ, subtrigonæ, obtusæ, erectæ. *PIST. Germen* inferum. *Stylus* cylindricus, albus, 4-fidus, erectus, longitudine fere staminum. *Stigm.* 4, planiuscula, oblonga, patentia.

PROPR. rec. Odor fragrantissimus, gratus, in odorem fructus Fragariæ incidens. *Sapor* dulcescens, fructum Cucumeris melonis referens, gratus. *Siccati* flores fere inodori.

VIRTUS.

USUS.

OBS. Flores Philadelphi neque in officinas, nec culinas, adhuc introducti sunt. Meretur sane experiri, annon odor svavis, perinde ac cum floribus Jasmini fit, captari posset. Sola infusione florum in oleo expresso res non procedit; nullum enim odorem oleo communicant, sive loco frigido, seu in sole collocati fuerint. Mucorem facile contrahit in superficie, & oleum rancidum evadit, unde fœtor turpis. Id vero infusum oleosum, quod cum oleo calido paratum fuit, odorem florum obscure retulit, non tamen gratum.

251. MYRTUS communis. LINN. *Sp. pl.* 673. *Mat. m.* 224.

Myrtus vulgaris minor. DUHAM. *Arbr. p.* 44. *t.* 11.

Pharm. *MYRTI* Folia, Baccæ.

Locus. Europa australis. *Arbor.*

FORMA. rec. Folia ovato-lanceolata, petiolata, acuta, sempervirentia, utrinque glabra, minutim rugosa, venis alternis, subpollicaribus. *Baccæ* magnitudine seminis Pisi, ovales, rugosæ, primum virides, demum nigrescentes, terminatæ umbilico quadrifido: laciniis ovato-acutis, inflexis; triloculares. *Semina* auricularia, in singulo loculamento solitaria.

PROPR. folior. sicc. Odor debilis; *sapor* gratus, aromaticus, debilior; *rec. odor* fragrans; svaveolens; *sapor* aromaticus, gratus, substypticus, tandem amaricans. *Baccar. odor* fragrans; *sapor* aromaticus, calidus, leviter stypticus, gratus.

VIRTUS: adstringens, tonica, corroborans.

USUS.

OBS. 1. *Infusum* foliorum Myrti rubro-lutescens, odore debiliore, sapore aromatico; vitriolo martis ni-

grescit; hujus infusi guttæ 8, instillatæ aquæ puræ unc. ß, addito vitr. martis, colorem pulchre violaceum stiterunt. *Decoctum* aquosum rubro-lutescens, aromaticum, amaricans. *Aqua still.* foliorum fragrans, gratissima, in Gallia sub nomine *Eau d' ange* cognita, cum qua manus lavant mulieres lautiores; GEOFFROY. *Oleum stillat.* foliorum leviter viridescens, gratum. Ex folior. libris 10 olei still. drachm. 1 accepit cl. BAUMÉ.

OBS. 2. *Baccæ* veteribus culinares fuerunt, ante cognitum Piper, pro condimento cibi; PLINIUS. Postea vero, quamvis Piper in culinas Romanas introductum fuerit, culinares tamen remanserunt hæ baccæ, uti patet ex APICIO COELIO. *Folia* incolæ Illyriæ in usum coriarium adhibent; BELLONIUS.

252. MYRTUS Caryophyllata. LINN. *Sp. pl. 675. Mat. m. 226.* JACQU. *Observ. 2. p. 1.* *
Caryophyllus aromaticus Ind. occid., foliis & fructu rotundis. PLUK. *Almag. t. 155. f. 3.*
Pharm. CASSIÆ CARYOPHYLLATÆ Cortex.
Locus. Cuba, Gviana. *Arbor.*

FORMA. Cortex in segmentis linearibus, pollicaribus, concavis vel convolutis, lineæ dimidiæ crassitie, fragilis, extus cinereus, intus fusco-purpureus.

PROPR. Odor fragrans, caryophyllæus; *masticatus* lingvam & fauces calefacit aromate suo.

VIRTUS: calefaciens, stomachica, tonica, stimulans.

USUS: culinaris.

OBS. *Infusum* aquos. pulchre rubicundum, odore & sapore corticis; vitr. martis nigro-fuscescit. *Aqua stillat.* fragrans. *Oleum stillat.* parcum, simile oleo stil-

ſtillatitiò Caryophyllorum; LEWIS; ſed CARTHEUSER ex integra libra corticis parum vel nihil olei accepit. *Tinctura* ſpirituoſa magis odorata & ſapore magis acuto, quam infuſum aquoſum. *Extractum* ſpirituoſ. acre; aquoſ. vero fere iners, non aromaticum.

253. MYRTUS Pimenta. LINN. *Sp. pl. 676. Mat. med. 225.*

Myrtus arborea aromatica, foliis Laurinis. SLOAN. *Hiſt. 2. p. 76. t. 191. f. 1.*

Bay berry tree. HUGH. *Barbad. p. 145. t. 10.**

Piper Jamaicenſe. BLACKW. *Herb. t. 355.*

Caryophyllus aromaticus americanus Lauri acuminatis foliis, fructu orbiculari. PLUK. *Alm. 88. t. 155. f. 4.*

Pharm. & Culinis PIPER JAMAICENSE.

Locus. Jamaica. *Arbor.*

FORMA. ſicc. Baccæ magnitudine ſem. Piſi, inæquales magnitudine, ſubrotundæ, minutim rugoſæ, cinereæ, fuſceſcentes, umbilico prominente, quadrifido, ſæpius obſoleto, biloculares. *Semina* in ſingulo loculamento ſolitaria, ſubrotunda, compreſſiuſcula, rugoſa, fuſca, lucidiuſcula.

PROPR. Odor aromaticus, fragrans, gratus. *Sapor* gratus, leniter ſtypticus, aromaticus, calidus, Pipere mitior.

VIRTUS: calefaciens, ſtomachica.

USUS: culinaris.

OBS. 1. *Infuſum* aquoſ. rubicundum, aromaticum odore & ſapore; vitriolo martis derepente nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 20, inſtillatæ aquæ puræ unciæ ß, addito vitr. martis, colorem virideſcentem exhibuerunt. *Aqua ſtill.* fragrans, aromatica, grata. *Oleum ſtillat.* rubro-brunneum, odore fragrante, ſapore acer-

cerrimo Piperis jamaicensis, in aqua subsidens. Ex Piperis Jamaic. libris 2 olei still drachmam 1 obtinuit cl. FRED. ZIERVOGEL. *Extractum* aquos. penitus iners est; spirituosum vero aromaticum.

OBS. 2. Barbari americani hoc Pipere abuti videntur, nihil fere comedentes, nisi Pipere hoc sit conditum (*). In nostris culinis jamdiu increbuit hæc condimenti species. Ubi aromaticum quoddam indicatur, medici hocce Piper frequenter præscribunt.

254. PUNICA Granatum. LINN. *Sp. pl.* 676. *Mat. m.* 223. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 2. TREW. *Ehret. t.* 71 & 72. MILL. *Figur. t.* 213. *f.* 1. 2.

Punica quæ malum Granatum fert. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 194. *t.* 44.

Granata Punica mala. BLACKW. *Herb. t.* 97. & 145.

Malus Granata. LUDW. *Ectyp. p.* 7. *t.* 13.

Granaat boom. CAUSE *Hoven.* 10. *t.* 8.

Punica malus. DALECH. *Hist.* 1. *p.* 303. BAUH. *Hist.* 1. *p.* 76. CAMER. *Epit.* 130. 131. DOD. *Pempt.* 782.

Malum punicum. JOS. PUTII *Comm. Bonon. vol.* 3. *p.* 39. *t.* 1-5.

Pharm. GRANATI Malum (*Malicorii*) Cortex, Semina.

—— *BALAUSTIORUM* flores.

Locus. Europa australis, Florida, Oriens. *Arbor.*

FORMA. Flores pleni: CAL. Perianth. monophyllum, campanulatum, glabrum, coriaceum, 5-fidum: laciniis lanceolatis, acutis. *COR.* ru-

---

(*) *Histoire nat. du Cacao & du Sucre p.* 135.

rubra, polypetala, ſemierupta. *Pomum* magnitudine fere pugni, ſubgloboſum, ab apice ad baſin usque compreſſiuſculum, apice umbilicatum: umbilico prominente, tuboloſo, intus veſtito ſtaminibus emarcidis; undique obductum *Cortice* coriaceo, firmo, rigido, craſſitie lineæ unius, olivaceo, ſubrugoſo, lucidiuſculo; 9-loculare: loculamentis ſubbilocularibus, refertis *ſeminibus* plurimis, oblongis, albidis, acutis, hinc convexiuſculis, inde angulatis, gibbis, arillatis: arillo craſſo, angulato, ſuccoſo: ſucco rubro.

PROPR. Corticis: odor vix ullus; *ſapor* intenſius ſtypticus. *Pulpæ* ſeminum: *odor* debilis, ſubvinoſus; *ſapor* gratus, acidulus, leniter ſtypticus; *maſticata* hæc pulpa ſuccoſa, inter dentes ſubſtridula. *Florum* ſiccat. *odor* vix ullus; *ſapor* ſtypticus; *maſticati* ſalivam rubro-violaceo tingunt.

VIRTUS corticis: validius adſtringens, coriaria; *florum:* paullo mitior; *pulpæ* refrigerans, reſtringens.

USUS: cort. externus, Laxitas uvulæ, Procidentia inteſtini.

OBS. 1. *Infuſum corticis* aquoſ. ſaturate rubrum, ſpiſſum, glutinoſum, ſapore vitriolico, ſtyptico; cum alcohole vini in gelatinam pulchre rubram coagulatur; cum vitr. martis ſubito nigreſcit & valde glutinoſum fit. Hujus infuſi gutta unica, aquæ puræ unc. ß inſtillata, addito vitr. martis, colorem ſtitit ſaturate cæruleum, pulchrum; guttæ vero binæ colorem in atramentum dilutius verterunt. *Petalorum* infuſum, absque calycibus, rubro-kermeſinum, ſtypticum; cum vitr. martis nigreſcit; hujus infuſi gutta una, cum vitriolo martis & aquæ unc. ß, colorem pulchre cæruleum ſapphirinum exhibuerunt; guttæ vero binæ colorem ſaturatum fecerunt. *Seminum* infuſum aquoſ. luteum, ſub-

ſubamaricans; vitr. martis fuſceſcit. *Succus* pomi ruber ex addito vitr. martis nigreſcit, ſi vero cum aqua pura diluitur, violacea fit mixtura.

OBS. 2. De Malo punica egit J. C. Weissius (*).

255. PRUNUS Lauroceraſus. Linn. *Sp. pl.* 678. *Mat. m.* 228.

Lauroceraſus. Clus. *Hiſt.* 1. *p.* 4. Duham. *Arbr.* 1. *p.* 346. *t.* 133.

Pharm. *LAUROCERASI* Folia.

Locus. Trapezunt; colitur ubique in Europa. *Arbor.*

FORMA. rec. Folia alterna, breviter petiolata, coriacea, ſempervirentia, ovali-oblonga, ſpithamæa, apice acuta, margine acute ſerrata, utrinque glabra, ſupra lucida, nervis obliquis, ſuboppoſitis. *Petioli* teretes, ſuperne ſulcati.

PROPR. rec. Odor vix ullus. *Sapor* validus, ſubſtypticus, amaricans, amygdalarum amararum, verum fortior.

VIRTUS: narcotica, majori doſi venenata (præſertim feris); antiſpasmodica, diuretica.

USUS.

OBS 1. Aroma ſapidum in foliis Lauroceraſi collocavit natura, quod in aliis ſpeciebus hujus ordinis naturalis in nucleis fructus communiter deprehenditur. Infuſione ſ. deſtillatione extrahitur, & cum aqua, & cum ſpiritu vini. Si ſæpius cohobetur, fortiſſimum fit & venenatum hominibus atque brutis. *Olei ſtillat.* tantulum dant hæc folia. *Aqua ſtillat.* foliorum recentium ſapore foliorum, leviter opaleſcens, ſed probe colata limpidiſſima fit, uti aqua pura. *Infuſum* fol. rec. luteſcens, vitr. martis nigreſcit.

OBS. 2.

(*) *Diſſert. academ.* quæ in Valentini *Hiſtoria Simplic. p.* 652. recuſa invenitur.

OBS. 2. Vis feris deleteria aquæ hujus ſtillatitiæ experimentis cl. virorum extra dubium poſita eſt. Etenim canes enecat, doſi drachm. 2, unc. ß vel unc. 1, ſive ore deglutita, ſive in anum vel ventriculum perforatum, ope ſyringæ, injecta fuerit, & quidem agit emeſi, diureſi, & purgatione alvi, excitans convulſiones epilepticas cum ſubſequente morte. Etiam hominibus aliisque animalibus funeſta, doſi majori. Aquæ ſtill. libr. 1, equo data, illum non movit, ſed libr. 3, ſimul & ſemel propinatæ, illum enecarunt. Agit in nervos præcipue, occidit absque inflammatione vel excoriatione partium, venas omnes, præſertim abdominales, ſangvine turgidas faciens, arterias vero vacuas; F MADDEN & MORTIMER (*); BR. LANGRISH (**). Plures inſuper noxiam & deleteriam vim Lauroceraſi probarunt, ut VATERUS, STENZELIUS, DUHAMEL. Sed doſi parca non videtur nocere; quod confirmat quotidiana experientia in culinis Gallicis, ubi folia Lauroceraſi ſaporis gratia cibis absque noxa immiſcentur. Neque feris inſalubris ipſa aqua ſtill. doſi reſtricta; guttas enim paucas aquæ Lauroceraſi cani cuidam per tempus aliquod quotidie dedit cel. DUHAMEL, unde appetitus melior, & canis cœpit pingveſcere. Sed dum LANGRISH a parca doſi incepit aquam Lauroceraſi cani cuidam dare, dilutam cum aqua pura vel lacte, ſenſimque adſcendit usque ad unc. 4 vel 5, canis tandem emaciatus fuit; verumtamen priſtinam ſanitatem recuperavit, relicta aqua Lauroceraſi. Folia Lauroceraſi deglutita mitius agunt, quam aqua ſtill., & non necarunt, quamvis a drachma 2 ad unc. 3 cani quotidie data fuerint; illum ſolummodo emaciarunt. Ex hiſce mos coquorum, folia Lauroceraſi cibis immiſcere, explicari poteſt. Cum lacte cocta folia ſaporem amyg-

---

(*) *Philoſ. transact. N:o 418. p. 84, & N:o 420. p. 163.*
(**) *Experiences de medicine ſur des animaux, p. 54. ſeq.*

amararum

mygdalarum dulcium illis impertiunt. In medicinam Laurocerasum inferre cœpit *Anonymus* (*). Dedit aquæ Laurocerasi guttas 30-60 ter quaterve de die, & potentissimam ei adscripsit vim ad viscidum tenax resolvendum. Infusum foliorum in obstructione hepatis egregios effectus præstitisse dicit, & cataplasma e foliis & farina in tumoribus scirrhosis utile deprehendit.

256. PRUNUS Padus. LINN. *Sp. pl.* 677. OEDER *Icon. t.* 205.

Culinis PADI Baccæ.

Locus. Europa. *Arbor.*

FORMA. rec. Drupa pedunculata, parviuscula, magnitudine seminis Pisi, nigra, undique glabra, nitida, apice instructa puncto parvo, vix elevato, umbilici loco, basi impressa, pedunculi apice explanato, ciliato, parviusculo, drupæ adpresso, impressioni drupæ respondente. *Parencyma* pulposo-succulentum, nigro-fuscum. *Nux* ovata, majuscula respectu drupæ, utrinque grossius rugoso-reticulata; *nucleo* ovato, acuminato, amygdalino.

PROPR. rec. Odor nullus. *Sapor* acidulo-substypticus. Drupæ *masticatæ* salivam fusco tingunt. *Nuclei* sapore Laurocerasi sunt.

VIRTUS: refrigerans.

USUS: culinaris.

OBS. 1. Baccæ, recentes seu siccatæ, cum nucleis contunduntur, atque vino albo frigide infunduntur, unde præstantissimum fit vinum, Cerasorum vino sapidius. Baccæ, l. a. fermentatæ, spiritum ardentem, pariter ut omnes fructus maturi, largiuntur. E bacc. ma-

(*) *Practical essays on medical subjects*, Lond. 1773.

tur. congiis 12 ſpiritus ardentis cong. 1 & libr. 1 accepit cl. FR. J. VON AKEN.

OBS. 2. *Cortex* ramorum nondum in officinis receptus, ſed videtur odor ejus fragrans, in Ribes nigrum incidens, & ſapor amarus, ſubſtypticus, amygdalas amaras referens, aliquid polliceri, quod tempus monſtrabit. *Decoctum* corticis, hieme collecti, rubrum, odore corticis & ſapore intenſius amaro; vitr. martis ſubito nigreſcit. Hujus decocti guttæ 12, inſtillatæ aquæ puræ unciæ ß, addito vitr. martis, colorem reddiderunt fuſco-viridem. Hinc liquet, corticem hunc vi quadam adſtringente operari.

257. PRUNUS Ceraſus. LINN. *Sp. pl. 679. Mat. m. 233.*

Karſſeboom. CAUSE *Hoven. 13. t. 6.*

α). Ceraſus vulgaris fructu rotundo. DUHAM. *Fruit. 1. p. 172.*

Ceraſus ſativa fructu rotundo rubro & acido. DUHAM. *Arbr. 1. p. 148. t. 56.*

Ceraſus fructu acido ſerotino ſucci ſangvinei. TOURNEF. *Inſtit. 625.*

Ceraſus acidiſſima ſangvineo ſucco. BAUH. *Pin. 450.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 5.*

Pharm. CERASORUM RUBRORUM Fructus, Nuclei, Gummi.

β). Ceraſus ſativus fructu ſubrotundo, magno, e rubro nigricante, acido. DUHAM. *Arb. 1. p. 192. t. 14.*

Pharm. CERASORUM NIGRORUM Folia, Fructus.

γ). Ceraſus vulgaris fructu rotundo parvo, atro-rubente, ſubacri & ſubamaro, ſerotino. DUHAM. *Fruit. 1. p. 189.*

Cu-

Culinis CERASORUM AUTUMNALIUM Fructus.

Locus. Colitur ubique in hortis, locis elevatis. *Arbor.*

FORMA. rec. (ceraſ. nigr.) *Folia* alterna, in ramulo anni currentis, petiolata, ovata, terminata apice attenuato, obtuſiuſculo, bipollicaria, margine ſerrata: ſerraturis inæqualibus, obtuſis cum tuberculo parvo, fuſco; 2 inferioribus oppoſitis, glanduloſis; utrinque minutim rugoſa, venuloſa, glabra, nitidiuſcula, ſupra obſcure viridia, ſubtus pallidiora, nervoſa: nervis a rachi obliquis, alternis. *Petioli* foliis breviores, teretes, ſuperne canaliculati. *Pedunculi* pollice longiores, teretes, glabri, ſuperne incraſſati, apice terminati margine truncato, plano, drupæ adpreſſo; ſolitarii, ſæpe gemini, e gemma ramuli annotini. *Drupæ* pendulæ, ſubrotundæ, pondere circiter drachmæ 1, apice obtuſo-rotundato, depreſſiuſculo hilo puſillo notatæ, baſi concavæ, undique læves, nitidæ, atomis adſperſæ, nigræ; *parencymate* carnoſo-ſucculento, venoſo, tenerrimo, ſucco ſangvineo. *Nux* ſubrotunda, vix rugoſa, oſſea, altero margine acuto, altero vero incraſſato, gibbo, angulis tribus obſoletis, baſi cicatriſata. *Nucleus* albus, amygdalinus, ovatus, acutus, ſtriatus. Variant fructus Ceraſi diverſe, colore nimirum, ſapore, magnitudine, &c.

PROPR. rec. Folior. odor debilis; *ſapor* herbaceo-ceraſinus, vix amaricans; *maſticata* glutinoſa, lubrica, ſaliva virideſcente. *Fructuum: odor* nullus; *ſapor* magis vel minus acidulus, pro ingenio cujusque varietatis; ex his Ceraſi autumnales ſubamari, ſubſtyptici ſentiuntur. *Nucleor.* proprietas fere amygdalarum amararum.

VIRTUS: Fruct. refrigerans; *Nucleor.* diuretica.
USUS: culinaris, Diæta antifebrilis.

OBS. 1. *Infusum* aquos. foliorum potus Theæ colore, odore & sapore cerasino; vitr. martis subito nigrescit. Hujus infusi guttæ 100, instillatæ aquæ puræ unciæ ß, addito vitr. martis, colorem viridem exhibuerunt. *Aqua* still. fruct. Cerasorum, quæ in officinis prostat, prægnans est sapore amygdalarum amararum, & cum aqua Laurocerasi virtute convenit, si cohobata fuerit; hinc infantibus teneris, quibus sæpe præscribi solet, minus secure datur, sæpe etiam funestos effectus edidit, ut testantur observatores.

OBS. 2. Drupæ Cerasor. nigr. *succum* dant *expressum* acidulum, nigro-rubrum, spissiusculum. E drup. rec. unc. 6 obtinentur Succi expr. unciæ 3 & drachmæ 2. Ad plenariam saturationem Salis tartari scrup. I requirebantur hujus succi drachmæ 11 & scrup. 1; unde obtinui mixturam salinam colore fusco, sapore satis grato; quæ, in posterum diem servata, sponte paullulum spissescebat. Hicce succus expressus, ex addito Spiritu vitr., diluitur colore sangvineo; ex solutione aluminis diluitur colore kermesino; ex oleo. tart p. d. primum cærulescit, deinde ex cæruleo nigrescit; ex vitr. martis nigrescit; Succi guttæ 3, instillatæ aquæ puræ unc ß, addito vitr. martis, colorem stiterunt eleganter cæruleum.

OBS. 3. Cerasi fructus recentes s. siccati in culinis notissimi sunt. Condiuntur Saccharo, incoquuntur jusculis, & gratum atque refrigerantem cibum constituunt. Si hi fructus recentes beneque maturi contunduntur, addita aqua frigida, fermentatione enascitur *vinum* sapidum, acidulum, rubrum. Sumunt nostrates fruct. rec. circiter libr. 30 vel paullo plus ad doliolum congior. 7, Sacch. Thomæi libr. 5, & aquæ fontanæ q. s. Sponte quidem fermentat absque alia additione ulla, sed si saccharum addatur, magis spirituosum fit.

OBS. 4

OBS. 4. *Gummi* rubefcens f. pallidum, pro diverfitate ætatis, diaphanum, ex trunco fauciato exftillat, figuraque hemifphærica trunco affixum hæret. Ufui medico infervire poteft, tanquam aliæ gummi fpecies, fi modo purum.

258. PRUNUS domeftica. LINN. *Sp. pl. 680. Mat. m. 232.*

Pruimboom. CAUSE *Hoven. p. 13. t. 7.*

α). Prunus fructu magno ovato dilute violaceo. DUHAM. *Fruit. 2. p. 98. t. 15.*

Pharm. PRUNA DAMASCENA.

β). Prunus fructu parvo, ovoidali, e viridi albido, maculis rubris ad folem diftincto. DUHAM. *Fruit. 2. p. 84. t. 8.*

Culinis PRUNA BRIGNOLENSIA (Pruneolæ).

γ). Prunus fructu medio, oblongo, cereo. DUHAM. *Fruit. 2. p. 109. t. 19.*

Culinis PRUNA CATHARINÆ.

δ). Prunus fructu parvo undique compreffo faturatius violaceo. DUHAM. *Fruit. 2. p. 14. t. 20. f. 3.*

Pharm. PRUNA GALLICA.

Locus. Colitur in hortis. *Arbor.*

FORMA. rec. Drupa ovalis, utrinque obtufa, apice puncto parvo, fubrotundo, vix elevato, undique tecta epidermide tenera, glabra, nitidiufcula, rore hyalino tincta; diverfo modo varians colore, fapore, magnitudine. *Parencyma* carnofo-molle, fuccofum; transverfaliter fectum æquale, venofum. *Nux* offea, fcabriufcula, ovata, utrinque compreffa, margine altero acutiufculo; altero incraffato, fulcato; unilocularis. *Nucleus* oblongus, amygdalinus.

PROPR. rec. Odor debilis. *Sapor* acidulo-dulcescens. *Masticata* succosa; solvitur fere, corticali parte remanente, subamaricanti-acidula, comminuenda. *Nuclei* sapor cum amygdalis amaris conveniens.

VIRTUS: nutriens, refrigerans, eccoprotica.

USUS. Diæta febrilis, Obstructio alvi.

OBS. 1. *Pruneolæ* in Gallia parantur communiter e Prunis Brignolensibus, enucleatis & compressis.

OBS. 2. *Decoctum* Prunorum Catharinæ pallidum est, spissiusculum, sapore dulci, leniter acidulato, grato; cum vitriolo martis vix fuscescit.

OBS. 3. Error popularis est, quod Pruna reliquique fructus horæi dysenteriam efficient. Id non fit, si bene maturi, nec deliquescentes sint. Grata sua aciditate bilis fervorem temperant, ejusque putrescentiæ resistunt; hinc potius prophylaxis bona pariter ac medela dysenteriæ sunt. Cl. DEGNER (*) refert, dysentericum a dysenteria curatum ex bacc. Ribium rubr. libris 3, intra bihorium comestis. Sed immaturi fructus noxam revera inferunt, si crudi eduntur. Dum pueri rusticani fructus immaturos copiosius ingurgitant, tumet tandem abdomen, sæpe infarciuntur viscera, glandulæ indurantur, & supervenit species quædam scabiei, in corpore efflorescens (**). Longe aliud est, dum fructus immaturi elixantur; coctio enim maturationis succedaneum est.

OBS. 4. Truncus arboris sauciatus stillat *Gummi* lutescens, diaphanum, purum, ponderosum, in forma subrotunda trunco affixum. Usui medico inservire potest æque bene ac Gummi arabicum.

259.

(*) *De Dysenteria &c. p.* 250.

(**) cfr. VAN SWIETEN *l. c. T.* 3. *p.* 335.

259. PRUNUS armeniaca. LINN. *Sp. pl. 679.*
Armeniaca vulgaris, fructu majori. DUHAM. *Fruit. 1. p. 135. t. 148.*
Malus armeniaca. DOD. *Pempt. 797.*
Abricotier *vulgo.*
Culinis ARMENIACÆ Fructus.
Locus. Colitur in hortis. *Arbor.*

FORMA. rec. Drupa magnitudine Pruni fructus, lutefcenti-rubella, minutim tomentofa, fubglobofa, apice depreffo-planiufcula, inftructa puncto fufcefcente, fcabriufculo, vix elevato, umbilici loco, bafi fovea depreffà, fulco longitudinali laterali inter umbilicum & foveam bafeos. *Parencyma* dilute fulvum, fucculento-carnofum, venofum. *Nux* fufca, ovata, utrinque compresfiufcula, convexa, rugofa, utrinque obtufa, dorfo bifulcata, crifta convexo-acuta inter fulcos, antice acie obtufa. *Nucleus* albus, obvelatus tunica firma, extus dilute cinerea, venofa, intus alba, intra teftam offeam.

PROPR. rec. drupæ: Odor nullus; *fapor* dulcefcenti-acidulus; *mafticata* fubfirmiufcula, folvitur fere, at cortex comminuendus. *Nuclei: odor* vix ullus; *fapor* fere amygdalarum amararum, fubamaricans.

VIRTUS: eadem quæ in præcedente.

USUS: culinaris.

OBS. Communiter crudi eduntur hi fructus maturi, fapidi parencymate fuccofo.

260. PRUNUS fpinofa. LINN. *Sp. pl. 681. Mat. m. 231.*
Prunus filveftris fructu parvo ferotino. DUHAM. *Arbr. 2. p. 184. t. 40.*
Prunus filveftris. BLACKW. *Herb. t. 494.*
Acacia germanica. MERIAN. *Eruc. ort. p. 12. t. 34.*

Pharm. ACACIÆ NOSTRATIS Cortex, Flores, Fructus.

Locus. Europa, Penſylvania, in collibus. *Frutex.*

FORMA. rec. Cortex ſectus in ſegmentis longitudinalibus, luteſcens, tenax, tenuior, epidermide cinereo. *Flores* ſolitarii ad ramulos tenellos, nuper eruptos, oppoſiti, propria gemma, in ipſo ramo ſiti, pedunculati. *Pedunculi* filiformes, teretes, nudi, uniflori, longitudine vix foliorum, patentes. *CAL. Perianth.* inferum, turbinatum, angulatum, glabrum, 5-fidum: laciniis ovato-oblongis, obtuſis, concaviuſculis, patentibus. *COR.* nivea. *Petala* 5, ovata, obtuſa, patentia, calyce duplo longiora, eique inſerta; ungvibus minutis. *STAM. Filam.* plura, erecta, calyci inſerta, alba, longitudine corollæ. *Anth.* ovatæ, didymæ, incumbentes. *PIST.* viride. *Germen* ſuperum, ovatum, parviuſculum, glabrum. *Stylus* cylindricus, longitudine ſtaminum. *Stigma* incraſſato-truncatum, orbiculatum, emarginatum. *Drupa* ſubrotunda, glabra, nigra, magnitudine Ceraſi minoris; *Nuce* ovata, compreſſiuſcula, rugoſa; *Nucleo* amygdalino.

PROPR. Cortic. Odor nullus. *Sapor* ſtypticus, amaricans. *Florum* rec. *odor* gratus; *ſapor* amaricans, in Amygdalas amaras incidens. *Fruct.* rec. *odor* nullus; *ſapor* acidus, acerbus. *Nucl.* amygd. amar. æmuli.

VIRTUS: Cort. adſtringens; *Florum* eccoprotica; *Fruct. immatur.* adſtringens; *matur.* refrigerans; *Nucl.* diuretica.

USUS. Calculus renalis.

OBS. 1. *Infuſum corticis* aquoſ. luteſcens, ſtypticum, amaricans; cum vitr. martis nigreſcit. Hujus in-

infusi guttæ 8, aquæ puræ unciæ ß instillatæ, addito vitr. martis, colorem fusco-ferrugineum, viridescentem, effecerunt. Infus. *florum* cum calycibus colore Theæ est, limpidum, odore debili, amarum; cum vitr. martis fuscescit. *Fructuum* infusum purpureum, sapore acido; a vitr. martis non mutatur.

OBS. 2. In culinis vino Gallico infundunt fructum hunc maturum, cum nucleis contusum, unde sapidum fit vinum.

OBS. 3. Fructus hujus Pruni sero autumno, post inceptum frigus nocturnum, rite maturescunt. Si æstas calida antecessit, satis sapidi fiunt.

261. AMYGDALUS communis. LINN. *Sp. pl. 677. Mat. m. 229.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 6.* BLACKW. *Herbal t. 105.* MILL. *Figur. t. 28. f. 1.*

Amandelboom. CAUS. *Hoven. 16. t. 8.*

α). Amygdalus dulcis putamine molliore. DUHAM. *Fruit. 1. p. 120. t. 1.*

Amygdalus sativus fructu majori. DUHAM. *Arbr. 1. p. 48. t. 17.*

Amygdalus dulcis. BAUH. *Hist. 1. p. 174.* DOD. *Pempt. 786.*

Pharm. & Culinis AMYGDALÆ DULCIS Nux, Nucleus, Oleum expressum.

Locus. Colitur in Europa australi, Oriente, Barbaria. *Arbor.*

FORMA. Nux pollicaris, ossea, tenerior, fragilis, ovato-acinaciformis, obtusa s. acutiuscula, latere utrinque compressa, læviuscula, poris plurimis pertusa, dorso rotundato, antice margine prominulo, secante; testa bilamellari: diploë sulcato-rugosa, instructa rete fibrillari, in sulcis lamellarum depresso. *Nucleus* ovatus, utrin-

trinque compreſſus, acutiuſculus, tectus epidermide rubro-brunnea, pulverulenta, ſcabriuſcula, ſulcato-ſtriata, nervoſa; *parencymate* cotyledoneo, niveo, æquali, firmo, bipartibili.

PROPR. Odor debilis. *Sapor* dulceſcens, mitis; *maſticatæ* comminuuntur, ſaliva emulſiva.

VIRTUS: Amygd. nutriens, obtundens; *Olei expreſſ.* relaxans, obtundens.

USUS. Amygd. emulſivus, culinaris; *olei:* Tuſſis, Pleuritis, Enteritis, Colica calculoſa & pictonum, Tormina infantum, Acre ingeſtum, Strictura inteſtinorum.

β. Amygdalus amara. TOURNEF. *Inſtit.* 627. DUHAM. *Fruit.* 1. *p.* 123.

Pharm. & *Culinis AMYGDALÆ AMARÆ* Nucleus.

Locus. Barbaria. *Arbor.*

FORMA. Præcedentis, verum minor.

PROPR. Odor debilis; *Sapor* amaricans, Laurocераſi.

VIRTUS: anodyna, diuretica, feris venenata.

USUS: culinaris; Febres intermittentes.

OBS. 1. Amygdalæ dulces, etſi ſiccæ ſentiuntur, admodum tamen pingves ſunt. Ignis flammæ admotæ, accenduntur, flagrant: flamma vivida, non fuliginoſa, absque fumo; ſed flamma nuper extincta fumant: fumo graviuſculo. Aquæ calidæ infuſæ, ab epidermide facili negotio ſeparantur. Si in aqua elixantur, extrahitur pingvedo alba, decocto refrigerato innatans; amygdalæ emolleſcunt, ſed non fatiſcunt, & fit *decoctum* turbidum, opaleſcens, ſapore amygdalino, quod vitriolo martis non mutatur. Per deſtillationem ex amygdalis elicitur *oleum* liquidum, empyreumaticum; per expreſſionem autem largiter, h. e. fere ad dimidium pon-

ponderis, obtinetur oleum optimum, limpidiusculum, dulcescens, mite, facile rancescens, sive amygdalæ dulces, seu amaræ sumtæ sint. Hoc oleum in frigore cogitur gradu 12. vel 13. in therm. svecic. sub puncto congelationis. Si expressio in prelo calido fit, plus olei exprimitur, quam in frigido, verum subrancidum, & non æque mite. Si amygdalæ ante expressionem decorticantur, submersione in aqua calida, pariter paullulum rancescit oleum; quamobrem præstat amygdalas integras sumere, ope solum lintei rudis detersas, ut pulvis adhærens tollatur, qui alias oleum tingeret. Sic obtinetur oleum præstantissimum, sed in parca quantitate, vix olei unc. 2 ex amygd. libr. 1. Si vero amygdalæ prius in aqua frigida emolliuntur, plus obtinetur olei. Coctione in aqua oleum pariter secernitur, prout supra monitum est. Trituratione cum aqua frigida sive calida, partes oleosæ, mediante mucilaginoso amygdalarum, cum aqua intimius commiscentur, & abeunt in liquorem *emulsivum*, album, lactescentem, analogum lacti animalium phytophagorum. Cum amygdalæ in emulsionem rediguntur, solvuntur quinque octo partes ponderis amygdalarum, & cum aqua miscentur; tres vero octo partes remanent in filtro, quæ exsiccatæ referunt pulverem grossiusculum, cinerascentem, sapore amygdalarum, verum debiliore. Amygdalæ, cum resinis tritæ, illas uniunt cum aqua. Furfur amygdalinum, in manuum lavacro, sordes eluit quemadmodum sapo. Amygdalæ fermentationem difficulter subeunt spirituosam, & absque additione vix unquam. Miscui amygd. dulc. libr. 1 cum Tartari cerevis. cochl. 6, & aquæ pur. cong. 2; mixturam collocavi in loco tepido, per 3 dies, ubi leniter fermentavit; sed ad promovendam fermentationem, in loco calidiori eam posui, & per noctem stare feci; unde factum, ut proximo die vappida fuerit, superinduta pellicula, sensim

in-

increſcente. Deſtillationi ſubjecta hac mixtura, libras 3 abſtraxi aquæ ſtill. limpidæ, ſubopaleſcentis, ſubſpirituoſæ, odore & ſapore amygdalarum, grato. Fortiorem excitavi fermentationem ex amygd. dulc. libr. 1, alumin. cr. unc. ß, & G. arabic. unc. 1, addita aqua pura; quæ mixtura poſt biduum apta fuit deſtillationi, deditque aquam ſtill. primariam, odoris grati, ſaporis vero nullius. Pari modo efferveſcentiam ſubiit mixtura ex amygd. dulc. libr. ß, G. arab. unc. ß & aqua pura; ex qua aquam ſtill. obtinui odore & ſapore amygdalarum.

OBS. 2. In emulſione amygdalarum dulcium, ſi ſupra lenem ignem inſpiſſatur, oleum non ſecedit, verum ſuperinduitur primum emulſio tenui cremoris pellicula, & redigitur tandem in maſſam cineraſcentem, molliſſimam, ad tactum pingvem, in aqua ſolubilem: ſolutione lacteſcente; quæ, virgula conquaſſata, ſpumeſcit: ſpuma ſatis cito extincta. Si cum aqua calida ſolutio fit, ſuperficies aquæ atomis oleoſis ſuperinduitur; cum frigida vero minus. Emulſio amygdalarum, quieti relicta, in ſuperficie obvelatur cremore albo, tanquam lac animale; ætate aceſcit; cum acidis præcipitatur, ſed non cogitur in coagulum ſpiſſum & viſcoſum, ut animalium lac. In praxi medica frequentiſſime præſcribuntur emulſiones, quæ ſint obtundentes, refrigerantes, & guſtui gratæ.

OBS. 3. *Amygdalæ amaræ* oleum æque mite dant, atque dulces; ſed duplo minus, ſolummodo quartam partem ponderis. Si cum aqua vel ſpiritu vini deſtillantur, vel etiam ſimpliciter infunduntur, ſaporem ſuum hiſce menſtruis communicant. Spiritus vel aqua ſtill. amygd. amar. cohobata, perinde venenata eſt ac ipſa aqua Laurocераſi, præcipue ſi majori doſi ſumatur, & fere quævis animalia enecat; Geoffroy; Lewis. Amygdalas amaras bono ſatis cum ſucceſſu præſcripſi ægris, febribus intermittentibus afflictis. Illas com-

communiter exhibui ſub forma emulſiva. Concinnavi formulam, Emulſioni ſalinæ *Pharm. Svec.* (*) reſpondentem, ea lege, ut amygdalæ amaræ, dulcium loco, ſumerentur. Hæc emulſio amara, ſub tempore apyrexiæ ad libram unam vel alteram quotidie propinata, paroxyſmum ſæpe mox ſuſpendit. Attamen interdum febres adeo contumaces fuerunt, ut ad Chinchinam confugere neceſſe fuerit. Et vero tunc decoctum corticis commiſcui cum emulſione amara. Sed vidi ſubinde febres protractas, multis recidivis moleſtas, & quæ Chinchinam penitus eluſerant, ſola tandem emulſione amara curatas.

262. AMYGDALUS Perſica. LINN. *Sp. pl. 676. Mat. m. 230.*

Perſicæ varietates. DUHAM. *Fruit. 2. p. 5. ſeq. t. 1.-32.*

Malus Perſica. DALECH. *Hiſt. 295.* DOD. *Pempt. 784.* BLACKW. *Herb. t. 101.*

Perſikboom. CAUSE *Hovenier 17. t. 6.*

Perſica molli carne & vulgaris viridis & alba. DUHAM. *Arbr. 2. p. 106. t. 22.*

Culinis PERSICÆ Fructus.

Pharm. ——— Flores, Nuclei.

Locus. Colitur in hortis. *Arbor.*

FORMA. Flores in ramulis annotinis, alterni, ſeſſiles, gemmacei, erupti e gemma, imbricata: ſquamis obtuſis, tomentoſis. *CAL. Perianth.* monophyllum, ovato-turbinatum, glabrum, purpuraſcens, 5-fidum: laciniis ovato-obtuſis, apice villoſis, patentibus. *COR.* alba. *Petala* 5, ovata, obtuſo-rotundata, inferne in ungves breves anguſtata, venis picta, patentia, calyci inſer-

(*) *p. 107.*

ſerta, illoque duplo longiora. *STAM. Filam.* plurima, ſubulata, calyci inſerta, erecta, corolla breviora. *Antheræ* ovatæ, incumbentes. *PIST. Germen* ſuperum, ſubrotundum. *Stylus* cylindricus, longitudine ſtaminum. *Stigma* capitatum. *Drupa* ovalis, utrinque obtuſo-rotundata, magnitudine Pomi, pondere unc. 3, undique villoſa, colore ſtramineo, altero latere nebuloſo-rubello, baſi concava, apice puncto parvo, umbilici loco, ſulco laterali, longitudinali, inter umbilicum & foveam baſeos. *Parencyma* carnoſo-pulpoſum, ſuccoſum, pallidum, fibris albicantibus nuci adhærens. *Nux* ovata, acutiuſcula, rubeſcens, undique lacunuloſa. *Nucleus* ovatus, acutus, utrinque compreſſus, ſubſtriatus, rubicundus, pulverulentus, ungvicularis, intra teſtam oſſeam, craſſam; parencymate albo, cotyledoneo, bipartibili.

PROPR. rec. Flor. odor gratus, in amygdalas amaras incidens. *Fructus*: *odor* gratus; *ſapor* dulceſcenti-acidulus, gratus, cum odore conveniens. Drupa maſticata ſolvitur fere in ore, remanente corticali parte, firmiuſcula, comminuenda. *Nuclei odor* nullús; *ſapor* amygdalarum amararum.

VIRTUS: Flor. eccoprotica; *Nucleor.* eadem quæ in amygdalis amaris.

USUS. Nucl. culinaris.

OBS. *Infuſum* aquoſ. nucleorum Perſic. lacteſcens, fragrans, odore & ſapore amygd. amar.; vitr. martis magis lacteſcit.

OR-

ORDO
TRIGYNIA.

263. SORBUS aucuparia. LINN. *Sp. pl. 683. Mat. m. 235.* DUHAM. *Arbr. 2. p. 272. t. 73.* CRANTZ *Auſtr. faſcic. 2. p. 49. t. 1. f. 4.*
Sorbus ſylveſtris. CAMER. *Epit. 161.* DALECH. *Hiſt. 1. p. 332.* LOBEL. *Icon. 107.*

Pharm. SORBI AUCUPARIÆ Baccæ.

Locus. Europa frigidior, Canada. *Arbor.*

FORMA. rec. Cymæ in ramulis terminales, pendulæ, inferne folioſæ: foliis pinnatis, cymis longioribus. *Pedicelli* biglanduloſi. *Baccæ* ſubrotundæ, magnitudine ſeminis Piſi, coccineæ, nitidæ, utrinque obtuſo-rotundatæ, apice umbilicatæ: umbilico depreſſo, villoſo, notato laciniis 5, rotundatis, adpreſſis, ſtaminibusque parvis emarcidis. *Parencyma* carnoſo-ſuccoſum, coccineum, triſpermum. *Semina* ovato oblonga, rubeſcentia, apice incurva.

PROPR. rec. Odor debilis. *Sapor* acidus, acerbus, ingratus.

VIRTUS: diuretica, purgans.

USUS.

OBS. 1. *Infuſum* baccarum rec. colore aqueo rubicundo, odore debili baccarum, ſapore acido; vitr. martis fuſceſcens.

OBS. 2. Baccæ, l. a. fermentatæ, uti alii fructus maturi, cujuscunque generis ſint, ſpiritum dant ardentem, ſatis larga quantitate; hinc utiliſſime huic uſui inſervirent, quæ nunc in arboribus communiter relinqui ſolent aviculis. E baccar. matur. frigori non expoſitar. tonna 1 Spiritus ardentis ſolummodo cong. 2 accepit

cl,

cl. F. J. VON AKEN; ſed ex pari quantitate baccarum, frigori expoſitarum, cong. circiter 6 obtinuit.

OBS. 3. Sunt qui 10 vel plures baccas pro calculo renali ſemel vel bis de die deglutiunt, certe cum euphoria, quod ſæpius vidi. Baccæ colligi debent ante frigus inceptum, & bene ſiccari. Rob e baccis Sorbi opem tulit juveni, Stranguria afflicto, poſt plurima incaſſum propinata; HENNICKE (*).

264. SORBUS domeſtica. LINN. *Sp. pl.* 684. LOB. *Hiſt.* 544. CRANTZ. *Auſtr. faſcic.* 2. *p.* 49 *t.* 2. *f.* 3.

Sorbus ſativa. BLACKW. *Herb.* 1. *t.* 174.

The apple-ſervice. EDWARDS *Birds*, *vol.* 5. *p.* 1. *t.* 211.

Sorbus. DALECH. *Hiſt.* 1. *p.* 330. DOD. *Pempt.* 791.

Sorbus legitima. CLUS. *Hiſt* 1. *p.* 10.

Culinis SORBI DOMESTICÆ Baccæ.

Locus. Europa calidior. *Arbor.*

FORMA. rec. Bacca ſubrotunda vel turbinata, pro diverſa varietate, magnitudine pomi minoris vel pyri, pondere circiter unciæ unius, hinc viridi-luteſcens, inde rubra, punctis elevatis undique adſperſa, apice umbilicata; *parencymate* carnoſo, luteſcente, pentaſpermo.

PROPR. Bacca immatura auſtera; probe matura ſapida: ſapore ſubvinoſo, adſtrictivo.

VIRTUS: immaturæ baccæ adſtringens; *maturæ* eſculenta.

USUS. diæteticus.

OR-

(*) *Nov. act. phyſ. med. A. N. C. vol.* 2. *p.* 215.

ORDO
PENTAGYNIA.

265. MESPILUS germanica. LINN. *Sp. pl. 684. Mat. m. 236.*

Meſpilus germanica folio Laurino non ſerrato. DUHAM. *Arbr. 2. p. 14. t. 4. Fruit. 1. p. 327. t. 2.*

Meſpilus. BLACKW. *Herb. t. 154.* DALECH. *Hiſt. 334.* DOD. *Pempt. 789.*

Miſpelboom. CAUS. *Hoven. 18. t. 7.*

Meſpilus vulgaris. BAUH. *Hiſt. 1. p. 69.*

Culinis. MESPILI Fructus.

Locus. Europa auſtralis. Colitur in hortis. *Arbor.*

FORMA. rec. Bacca matura turbinato-ſubrotunda, pollicaris, rubicunda, rubiginoſa, ſubvilloſa, apice truncata, inſtructa umbilico maximo, depreſſo, tomentoſo: laciniis 5, lineari-lanceolatis, erectis; *parencymate* carnoſo, albido, pentaſpermo.

PROPR. Fructus *immaturus* ſumme auſterus, ſtypticus, firmus; *maturus* vero emollitus, gratus, ſapore dulci-aceſcente, ſubvinoſo, leniter adſtrictivo.

VIRTUS: fruct. *immatur.* adſtringens; *maturus* eſculentus, refrigerans.

USUS culinaris.

OBS. Fructus, quamdiu arboribus inſidet, ſemper immaturus eſt, quare decerptus collocatur ſuper ſtramenta ad maturandum.

266. PYRUS Malus. LINN. *Sp. pl. 686.*

Malus. DALECHAMP. *Hiſt. 1. p. 288.* BLACKW. *Herb. t. 142.* DODON. *Pempt. 777.*

α). Malus pomis redolentibus Bordorpherianis dictis. LINN. *Mat. m.* 237.

Mala acido dulcia. SCHWENCKF. *Silef. p.* 303.

Pharm. POMUM BORSDORFIANUM.

β). Malus fructu magno, acido-dulci, ferotino. DUHAM. *Fruit.* 1. *p.* 300. *t.* 14.

Pharm. POMUM RENETIUM (Reinette Franche).

Locus. Colitur in hortis; α. in Germania, β. in Gallia. *Arbor.*

FORMA. rec. Pomum ovali-fubrotundum, majufculum, utrinque obtufum; β. viride, fuperne epidermide fubrugofa, lutefcente; α. hinc pallide luteum, inde rubicundum, glabrum, bafi cavum, apice umbilico depreffo notatum; parencymate carnofo, α. albido, β. fublutefcente, 5-loculari, transverfaliter fecto notato punctis 10 fubrotundis, circum loculamenta feminum in orbem difpofitis. *Semina* plerumque bina in fingulo loculamento, ovata, fubgibba, acutiufcula, fufca, glabra.

PROPR. Odor debilis. *Sapor* acidulo-dulcis, gratus, α. fubrofaceus, β. fubvinofus.

VIRTUS: nutriens, refrigerans, fubeccoprotica.

USUS. Diæta febrilis, Tuffis.

OBS. 1. In infinitum fere variant Poma per Europam, qualitate, fapore, colore, tempore. In culinis vulgaria funt poma omnium varietatum, & efitantur partim cocta vel affata, partim etiam cruda. Poma illa pellucida, vulgo *Aftracanenfia* dicta, (quorum duæ funt varietates, fc. lutefcens & rubra), præftantiffima funt, ubi rite maturuerunt, non enim ullum pomum fapidius, nec falubrius ullum; & vero videtur quafi in ipfa arbore virtute folis cocta effent.

OBS. 2.

OBS. 2. *Gelatina* paratur e pomis decorticatis & probe enucleatis, coctione cum aqua pura in pulpam redactis, tum expressione succi, addita Sacchari anatica portione. *Syrupus* pomorum Borsdorfianorum gratus est, & in tussi commendatur.

OBS. 3. Poma, non minus quam reliqui fructus horæi, leniter nutriunt, principio suo saccharato s. melligineo, quod, l. a. præparatum, in vinum s. Spiritum abit. E pomis maxime austeris, modo matura sint, Spiritum extrahere norunt œconomi, pariter atque Vini speciem parare, quam *Pomaceum* vel *Cidre* vocant, sc. liquorem vinosum, spumescentem, inebriantem; quamvis non dubitem, quin præstantior longe e pomis dulcioribus obtineatur; prius tamen diu se servat, dum posterius brevi corrumpitur. E Pomor. maturat. tonna 1 Spiritus ardentis cong. 6 ß accepit FR. J. VON AEKN.

OBS. 4. Poma cruda, sub sera vespera comesta, multum ad euphoriam conferunt, quod variis exemplis edoctus novi. Facillime digeruntur, concoctioni ciborum opitulantur, alvum leniter laxant, resistunt scorbuto, &, ut ajunt quidam, a calculo præservant.

267. PYRUS communis. LINN. *Sp. pl. 686.*
Pyrus. BLACKW. *Herb. t. 453.* DALECH. *Hist. 308.* DODON. *Pempt. 788.* MERIAN. *Eruc. ort. p. 19. t. 54.*
Pyri varietates. DUHAM. *Fruit. 2. p. 117. seq. t. 1. - 58.*
Pereboom. CAUSE *Hoven. p. 3. t. 5.*
Culinis PYRI Fructus.
Locus. Colitur ubique in hortis, locis elevatis. *Arbor.*

FORMA. rec. Pomum turbinatum, apice obtuso-rotundatum, umbilicatum: umbilico parviu-

ſculo, prominente, concavo, margine 5-dentato, ore cincto ſtaminibus emarcidis, laciniis umbilici brevioribus; undique glabrum, adſperſum punctis parvis, vix elevatis, hinc luteſcens, inde rubicundum, diverſe varians, magnitudine, colore, ſapore, mollitie. *Parencyma* album, carnoſo-ſucculentum, 5-loculare; poſt ſectionem transverſalem notatum annulo obducente loculamenta ſeminalia, conſiſtente ex punctis ſubrotundis, ſubconniventibus, duris, fere arenoſis. *Semina* bina in ſingulo loculamento, ovato-oblonga, acuta, nigricantia.

PROPR. rec. Odor vix ullus. *Sapor* ſubdulceſcens.

VIRTUS: nutriens, refrigerans.

USUS: diæteticus.

OBS. 1. *Infuſum* ſ. *decoctum* Pyri recentis dulceſcenti-acidulum; ex vitriolo martis color ſibi conſtat.

OBS. 2. Eſitantur Pyri fructus maturi, crudi ſ. cocti. Dum nuper ex arbore decerpuntur, ſalubres ſunt; ſi diu ſervati, non item; ſponte enim nimium emolliuntur, ſ. ſubfarinacei fiunt, ſtomacho tunc difficiles.

OBS. 3. De arboribus fructiferis ſcripſerunt ſexcenti, inter quos eminent DUHAMEL (*), PHIL. MILLER (**), LIGER (***) & Societas oeconomica Bernenſis (†).

268.

(*) *Traité des arbres fruitiers, &c.* Paris 1768. vol. 2.

(**) *Gardeners Dictionary &c.* 1759. Hujus plures ſunt editiones.

(***) *Nouveau theatre d' Agriculture & menage des champs.* Paris 1723.

(†) *Traité des arbres fruitiers, extrait des meilleurs auteurs par la Societé œconomique de Berne; traduit de l'allemand.* Yverdon 1768. T. 1 & 2.

268. PYRUS Cydonia. *Sp. pl. 687. Mat. m. 238.*
Cydonia. DALECH. *Hist. 291.* BLACKW. *Herb. t. 137.*
Cydonia fructu oblongo læviori. DUHAM. *Arb. 1. p. 202. t. 83.* MILL. *Figur. t. 116.*
Cydonia latifolia lusitanica. DUHAM. *Fruit. 1. p. 201. t. 1.*
Malus cotonea major. DOD. *Pempt. 783.*
Pharm. CYDONIÆ Fructus, Semina.
Locus. Colitur in hortis, locis subdepressis. *Arbor.*

FORMA. rec. Pomum subrotundum vel turbinatum, magnitudine pomi vulgaris, cortice tomentoso, luteo, apice umbilicatum: umbilico depressiusculo, 5-fido; *parencymate* firmo, lutescente, 5-loculari. *Semina* plerumque bina in singulo loculamento, ovata, acutiuscula, hinc plana, inde convexa, sæpe subtriquetra, ferruginea.

PROPR. pomi: Odor maturorum fragrans, subcephalalgicus. *Sapor immaturor.* austerus; *maturorum* vero adstringens, acidulus, vinosus. *Seminum* mucilaginosa.

VIRTUS Pomi: refrigerans, restringens, antiputredinosa. *Semin.* obtundens.

USUS pomi: Morbi bilioso-putridi, Saburra rancida. *Semin.* Ophthalmia, Tenesmus, Aphthæ.

OBS. *Infus.* aquos. *pomor.* siccat. rubrum, acidum; cum vitr. martis nil variat. Infus. *seminum* mucilaginosum, absque odore & colore, insipidum; vitriolo martis non demutatur; ex alcohole vini coagulatur. Semin. drachma 1, aquæ fervidæ unciis 6 infusa, infusum dat non spumescens, facie albuminis ovi, limpidum instar aquæ, in fila ductile. *Gelatina* s. miva e succo, uti e pomis vulgaribus, paratur.

269. SPIRÆA Filipendula. LINN. *Sp. pl.* 702. *Mat. m.* 239. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 3. OEDER *Icon. t.* 635.

Filipendula vulgaris. BLACKW. *Herb. t.* 467. ZANNICH. *Venez. t.* 223. CAMER. *Epit.* 608.

Pharm. FILIPENDULÆ (*Saxifragæ rubræ*) Radix, Herba.

Locus. Europa, in pratis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, filiformi-ramosa, descendens, tuberosa: *Tuberibus* longius petiolatis, turbinatis s. ovalibus, rectis s. inflexiusculis, magnitudine inæquali, sæpe pollicaribus, sæpe etiam digitalibus, fuscis, apice terminatis fibra solitaria, fibrillata, descendente; *parencymate* niveo, carnoso-firmo, sicciusculo; post sectionem transversalem disco æquali. *Caulis* simplicissimus, erectus, flexuosus, teres, subangulatus, glaber, pedalis. *Folia* alterna, pinnata: pinnis oppositis, sessilibus, subamplexicaulibus, transversalibus, linearibus, obtusis, glabris, venulosis, supra saturate viridibus, subtus glaucis, pinnatifidis: laciniis oppositis, obtusis, incisis; *radicalia* petiolata, elongata, spithamæa, procumbentia, terræ adpressa; *caulina* sessilia, erecta. *Petiolus* communis supra canaliculatus. *Stipulæ* communes ad basin petiolorum, subovatæ, venulosæ, plano-concavæ, amplexicaules, margine undique acute serratæ, superne bifidæ, incisæ; *partiales* in petiolo communi, intra singulum pinnarum par, parviusculæ, ovatæ, incisæ, sessiles, oppositæ, a pinnis remotæ; inferiores in petiolo nudæ, pinnis exclusis, sensim minores, subimbricatæ. *Cyma* terminalis, pedunculata, concava, subdichotoma, nuda, glabra. *Bracteæ* nullæ; sæpe foliolum ad cymam. *Flores* albi, pedunculati, secun-

cundi; omnes introrſum ſpectantes. *CAL. Perianth.* monophyllum, turbinatum, ſtriis elevatis ſtriatum, ſexfidum: laciniis oblongis, obtuſis, baſi intus tomentoſis, reflexis. *COR. Petala* 6 vel 7, ovalia, obtuſa, alba, brevius ungviculata, patentia, calyce longiora. *STAM. Filam.* plurima, ſetacea, alba, calyci inſerta, longitudine corollæ, inæqualia, patentia. *Antheræ* luteæ, ovatæ, obtuſæ, didymæ. *PIST. Germina* plurima, conniventia in hemiſphærium truncatum; ſingula ſubacinaciformia, piloſa. *Styli* albi, reflexi, in orbem digeſti, ſuperne incraſſati. *Stigmata* capitata, truncata, compreſſa, ſulco longitudinali.

PROPR. rec. tuberum, ſero autumno effoſſorum: *Odor* gratus, in flores Aurantiorum incidens; *ſapor* ſubdulceſcens, gratus, niſi nimis aroma florum aurantiorum ſaperent; *maſticata* firma, velut nuces avellanæ, fragilia, ſapida grata amaritie; æſtate vero effoſſa tubera magis amara ſunt, minus fragrantia, magis ſicca, & non ſapida. Tubera *ſiccata* dura; *maſticata* inter dentes duriuſcula, friabilia, emolliuntur, ſapore grato, odore nullo. *Herbæ* rec. *ſapor* amaricans, quaſi mixtus ex amygdalis amaris & floribus Naphæ; *odor* contuſæ herbæ conſimilis. *Florum* rec. odor & ſapor conſimiles.

VIRTUS tuber. nutriens, leniter adſtringens.

USUS.

OBS. 1. *Infuſ.* aquoſ. tuber. ſicc. ſaturate rubrum, dulceſcenti-ſubamaricans, ſapore in amygdalas amaras incidente; cum vitr. martis nigreſcit. Tubera recentia *cocta* referunt tubera Lathyri tuberoſi, forma, colore, cute nigra & detractili, conſiſtentia fir-

ma, farinosa; recedunt vero ab illis amaritie sapida; *Decoctum* fit fusco-rubrum, subinsipidum.

OBS. 2. Si tubera recentia, tempore autumnali, raduntur, atque aqua frigida bene eluuntur, Tincturam dant opacam, rubescentem, fragrantem, quæ mora & quiete deponit *Amylum* album, friabile, decoctione gelatinescens, bene glutinans. Tinctura supernatans rubra est, pellucida, odore fragrante; quæ, evaporata, fragrantiam perdit, atque Extractum dat fuscum.

OBS. 3. Si Flores recentes in lacte elixantur, grato sapore lac imbuunt.

270. SPIRÆA Ulmaria. LINN. *Sp. pl.* 702. *Mat. m.* 241. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 1. OEDER *Icon. t.* 547.

Ulmaria. BLACKW. *Herb. t.* 465. BAUH. *Hist.* 3 *p.* 488. CLUS. *Hist. p.* 198. LUDW. *Ectyp. p.* 11. *t.* 23.

Barbicapra & ulmaria vulgi. LOB. *Icon.* 711.

Regina prati. DODON. *Pempt.* 57.

Pharm. *ULMARIÆ* Radix, Herba, Flores.

Locus. Europa, in pascuis & pratis humidis, umbrosis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix subcylindrica, 2-vel 3-pollicaris, extus nigra, squamosa, undique obsessa fibris plurimis, filiformibus, nigris, subspithamæis, fibrillosis, descendentibus. *Parencyma* subcarnosum, post sectionem transversalem centro medullari amplissimo, æquali, albido, atomis rufescentibus sæpe adsperso, circumdato annulo ferrugineo, punctato, intra corticalem partem sito. *Caulis* simplex, bipedalis vel ultra, angulatus, glaber, pallide viridescens, inferne purpurascens. *Folia* alterna, petiolata, pinnata, 3-vel 5-juga: foliolis oppositis, sessilibus, ovato-oblongis

gis, ſupra viridibus, glabris, lucidiuſculis, lineatis, minutim venuloſis, rugoſis, ſubtus nervoſis, minutim tomentoſis, cinereis, margine inciſo-dentatis, undique ſerratis, minutim ciliatis; terminali foliolo majore, cordato, trifido-palmato. *Petioli* ſubtus convexi, ſupra concavi; radicales triplo longiores. *Stipulæ* acutæ, rotundato-falcatæ, amplexicaules, margine undique ſerratæ, minutim ciliatæ, patenti-planæ; *partiales* in petiolo communi, intra ſingulum par pinnarum, per paria 3 diſpoſitæ, ſuboppoſitæ, parvæ, inæquales magnitudine, ovatæ, dentato-ſerratæ, patentes, pariter ſubtus tomentoſæ. *Corymbus* terminalis, erectus, minutim pubeſcens, pedunculatus, nudus, compoſitus e *cymis* 5, inæqualibus, ſecundis; 3 pedunculatis; intermedia ſeſſili. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, campanulatum, pallidum, minutim pubeſcens, 5-fidum: laciniis ovatis, obtuſis, concavis, reflexis. *COR.* alba. *Petala* 5, alba, obovata, obtuſo-rotundata, ungviculata, calyce duplo longiora, plano-concaviuſcula, patentia. *STAM. Fil.* plurima, ſetacea, longitudine corollæ, calyci inſerta, erecto-patentia. *Anth.* ovatæ, obtuſæ, didymæ, incumbenti-erectæ. *PIST. Germina* 8, obovata, obtuſa, compreſſa, glabra. *Styli* ſuperne incraſſati, germinis margini interiori ſinguli inſerti, ſuper germen reflexi, in orbem digeſti. *Stigm.* capitata, pendula. *Obs.* In quibusdam floribus quinta pars partium fructificationis deeſt.

PROPR. rec. radic. Odor debilis; *ſapor* ſtypticus; *Florum odor* gratus, ſapori congruens; *ſapor* ſubſtypticus, amaricans, in aroma florum aurantiorum incidens. *Herbæ odor* debilior, gratus; *ſapor* ſubſtypticus, vix amaricans, ſubaromaticus, non ingratus.

 VIR-

VIRTUS: adſtringens.

USUS.

OBS. *Infuſ.* aquoſ. *radicis* ſicc. rubrum, odore graviuſculo, ſapore ſtyptico, vitr. martis ſubito nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 6, aquæ puræ unciæ ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem pulcherrimum violaceo-virideſcentem monſtrarunt. Infuſum herbæ ſicc. luteſcens haud aliter ac Theæ potus, ſapore vix amaricante; vitr. martis nigreſcit. Infuſ. *florum* eundem colorem exhibet, odorem florum, ſaporem conſimilem amarum; vitriolo martis ſubito nigreſcit. *Aqua ſtill.* fragrans.

ORDO
POLYGYNIA.

271. ROSA centifolia. LINN. *Sp. pl.* 704. *Mat. med.* 241. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 1.

Roſa centifolia batavica. CLUS. *Hiſt.* 1. *p.* 113.

Roſa damaſcena. LOBEL. *Icon.* 206. BLACKW. *Herb. t.* 82.

Pharm. ROSÆ DAMASCENÆ Flores.

Locus. Europa. Colitur in hortis. *Frutex.*

FORMA. rec. Flores in ramulis terminales. *Pedunculi* teretes, hiſpidi: aculeolis & pilis brevibus capitulatis. *CAL. Perianth.* 1-phyllum: *tubo* ovato-oblongo, inferne hiſpido aculeolis, ſuperne ſingulo glabro, collo coarctato; *limbo* 5-fido: laciniis reflexis, integris, ſubtus hiſpidis, ovato-acutis, deſinentibus in apicem linearem, carinatum. *COR.* plena, dilute rubro-violacea, calyce longior: *petalis* obovatis, retuſis, patentibus. *STAM. Fil.* plurima, calyci inſerta, erecta. *Anth.* cordatæ, obtuſæ. *PIST. Germ.* plurima intra tubum calycis, ſubcylindrica, lanata. *Styli* ſubulati, piloſi, collo calycis paullo longiores. *Stigm.* digeſta in hemiſphærium planiuſculum, laxum; ſin-

ſingula turbinata, truncata, emarginata. *Recept.* germinum hirſutum.

PROPR. rec. Petalorum: Odor gratus, fragrans; *Sapor* ſubacidulus, debiliter roſaceus; *maſticata* ſubſtyptica, ſaliva violacea.

VIRTUS: leniter adſtringens, tonica, laxans.

USUS. Leucorhœa.

OBS. *Infuſ.* aquoſ. petalorum *ſicc.* dilute rubicundum, veluti potus Theæ, odore roſaceo, ſapore conſimili, leniter ſubſtyptico ſ. amaricante; cum vitr. martis ſtatim nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 16, aquæ puræ unciæ ℥ inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem fuſco-virideſcentem ſtiterunt. Cum Spiritu vitrioli pulchre ſangvineo tingitur infuſum hoc. Principium odoriferum omnibus Roſæ ſpeciebus ſatis bene inhæret. Communiter condiuntur ſale culinari flores recenter ſiccati, unde odor permanet; ſed ſi ſimpliciter ſiccentur, videtur quaſi odor penitus diſpareret; at vero ſi aquæ tepidæ infundantur, odor ſubito prominet, unde infuſum ſvaveolens fit. Fragrantia florum hujus generis extrahitur menſtruo ſpirituoſo, ſed perfectius aquoſo, ſimplici infuſione vel deſtillatione. Flor. rec. libræ 6, cum aqua deſtillatæ, dant cong. 1, vel paullo ſupra, *aquæ ſtillatit.* fragrantis & gratæ. Sub deſtillatione ſimul adſcendit pauxillum *olei ſtill.* fragrantis, in calore liquidi, luteſcentis, in frigore butyracei, albi, ſed tam parum, ut non appareat, niſi quantitas major florum ſimul deſtilletur. Ex florum libr. 100 vix olei ſtill. unc. ℥ obtinebis, ut docuerunt Hoffmannus & Lewis. Principium colorans extrahitur etiam perfectius cum aqua, quam cum ſpiritu vini. *Tinctura* aquoſa e Roſis rubris eleganter rubra eſt; ſpirituoſa vero longe dilutior. Exaltatur autem color ſubito, pulchro experimento, ſi pauxillum ſpiritus vitrioli inſtilletur tincturæ ſpirituoſæ Roſar. rubr., quamvis

vis adeo debilis parata fuerit, ut limpidiſſima & aquei coloris ſit; derepente inde-rubeſcit.

OBS. 2. De Roſa ſcripſit JOH. CAR. ROSENBERGIUS (*), philologice, botanice & medice. Laudat imprimis Roſas in febribus & hectica.

272. ROSA gallica. LINN. *Sp. pl.* 704. *Mat. m.* 241.
Roſa rubra multiplex. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 222. *t.* 53.
Roſa rubra flore ſemipleno. BAUH. *Hiſt.* 2. *p.* 34.
Roſa rubra. BLACKW. *Herb. t.* 78.
Pharm. ROSÆ RUBRÆ Flores.

Locus. Europa. Colitur in hortis. *Frutex.*

FORMA. rec. Flores terminales, ſolitarii vel gemini, longius pedunculati. *Pedunculi* teretes, bipollicares, pube capitata hirſuti, uniflori. *CAL. Per.* 1-phyllum: *tubo* ovato, inferne hirſuto, ſuperne glabro, collo coarctato; *limbo* 10-fido, revoluto-patenti, extus hirſuto, intus minutim villoſo: laciniis 5, alternis parvis, linearibus, acutis, ciliatis, reflexis; alternis multo majoribus, ovatis, ſupra concavis, apice mucrone molli ſubulato terminatis, margine pube albida ciliatis, æqualibus; alternis integris, alternis utrinque inſtructis dentibus 2, marginalibus, linearibus, acutis, concaviuſculis, pilis capitatis ciliatis. *COR.* ſemiplena, calyce duplo longior, rubro-purpurea; petalis ſeſſilibus, obcordatis, baſi nervoſis: nervis evaneſcentibus. *STAM. Fil.* plurima, luteſcentia, ſubulata, longitudine calycis, erecta, minutim pubeſcentia, calyci inſerta. *Anth.* lineares, incurvæ, utrinque obtuſæ, ſupra ſulcatæ, ſub fine antheſeos contortæ. *PIST. Germina*

(*) *Rhodologia ſ. generoſæ Roſæ deſcriptio.* Francof. 1631.

na plurima, ovata, glabrida, ſuperne barbata. *Styli* filiformes, hirſuti, tubo calycis longiores, in cylindrum conniventes. *Stigmata* virideſcentia, capitata, truncata, plana, in capitulum conniventia. *Receptac.* ſeminum hirſutum.

PROPR. rec. Odor roſaceus, gratus, ſed paullo debilior; *ſapor* ſtypticus, amaricans, vix roſaceus. Petala *maſticata* ſalivam violaceo tingunt. *Siccatione* petala penitus rubeſcunt.

VIRTUS: adſtringens, tonica.

USUS: Leucorhœa, Hæmoptyſis.

OBS. *Infuſ.* aquoſ. petalorum recent. inſtar potus Theæ debiliter rubrum, odore debili, ſapore leniter ſtyptico; cum Spiritu vitrioli pulchre ſangvineum; cum oleo tartari p. d. ferrugineum, clarum; cum ſolut. aluminis pulchre purpuraſcens; cum vitr. martis color ſubito nigreſcit. Sub infuſione petala decolorantur penitus & albeſcunt. Infuſum petalorum ſiccat. pulchre rubrum, odore roſaceo, ſapore roſaceo, amaricante. Hujus infuſi guttæ 6, aquæ pur. unciæ ß inſtillatæ, addito vitriolo martis, colorem fuſco-virideſcentem effecerunt. *Aqua ſtillatitia* ſvaveolens.

273. ROSA canina. LINN. *Sp. pl. 704. Mat. m. 241.*

Roſa ſylveſtris. DOD. *Pempt. 186.*

Pharm. ROSÆ SYLVESTRIS Flores.
BEDEGUAR fungus.

Culinis CYNOSBATI fructus.

Locus. Europa, Virginia, Japonia, in nemoribus, locis apricis. *Frutex.*

FORMA. rec. Flores 2 vel 3 congeſti, axillares, brevius pedunculati. *Bracteæ* oppoſitæ, lanceolatæ, ſeſſiles, acutæ, pubeſcentes, ciliatæ, lon-

longitudine pedunculi, erectæ. *CAL. Perianth.* 1-phyllum: tubo ovato, lævi, collo coarctato; limbo 5-partito: laciniis reflexis, ovatis, supra minutim tomentosis, subtus dorso glabris, notatis punctis elevatis, margine dentatis: laciniis parvis, linearibus, suboppositis, remotis, erectis, utrinque communiter 2; terminali elongata, lineari, acuta, concaviuscula, subintegerrima. *COR.* incarnata. *Petala* 5, sessilia, obcordata, patentia, calyce longiora, basi albida. *STAM.* lutea. *Fil.* plurima, setacea, decumbenti-patentia, corolla breviora. *Anth.* incumbentes, ovatæ, utrinque retusæ, concavæ, utrinque bimarginatæ. *PIST. Germ.* plurima intra tubum calycis, oblonga, lanata. *Styli* filiformes, collo calycis paullo longiores, pilosi. *Stigm.* plurima, arcte conniventia in capitulum, collum calycis coronans; singula turbinata, subbarbata, truncata, concaviuscula. *Receptac.* seminum hirsutum. *Baccæ* (Cynosbati fructus) ovales, inferne angustatæ, apice obtusæ, coronatæ margine e calycis laciniis deciduis, staminibusque emarcidis barbatæ, magnitudine glandis quercinæ vel ultra, undique læves, nitidæ, coccineæ; intus cavæ, uniloculares: cavo undique obsesso *seminibus* pallidis, subovatis, oblongiusculis, dorso convexis, lanatis, apice barbatis; quorum inferiora pedicellata, superiora subsessilia, *Parencyma* baccæ carnosum, firmum, coccineum. *Galla* (fungus Bedeguar) magnitudine nucis avellanæ, sæpe ovi columbini vel supra, subrotunda, rubra, spongiosa, constans fibris rectis subintortis, pilosis, dentato-subulatis.

PROPR. rec. florum: Odor gratus, debilior; *sapor* debilis, subacescens; *Baccæ* acidulæ; *masticatæ* firmæ comminuuntur, saliva coccinea; *coctæ* te-

teneriores, solvuntur secundum partem, tingunt aquam, sapore magis acido instruuntur. *Gallæ* odor nullus; sapor recent. & sicc. acescenti-stypticus.

VIRTUS: Florum: sublaxans. *baccar.* nutriens, refrigerans, sublaxans; *gallæ* adstringens.

USUS. Bacc. culinaris, Diæta febrilis.

OBS. 1. *Infus.* aquos. fungi Bedeguar spissum & turbidum, rubrum, acescenti-stypticum, cum vitr. martis subito nigrescit. Hujus infusi gutta 1, aquæ puræ unciæ ℥ instillata, addito vitr. martis, colorem cæruleum facit; guttæ vero 2 obscure cæruleum, opacum; alcohol vini, infuso additum, mucilaginosum præcipitat.

OBS. 2. Baccæ bene maturæ, siccatæ & probe exacinatæ, in culinis frequenter adhibentur. Parant decoctum aquosum, saturatum, additis passulis, pruneolis & saccharo, quod, per colum trajectum, mensæ imponunt.

OBS. 3. De Rosa canina bene scripsit E. HAGENDORNIUS (*). Anatomiam tradit seminis, radicis & trunci, cum vegetationis legibus. Spongiam fruticis hujus insecti nidum declarat, tabulaque annexa depingit muscam exclusam.

274 ROSA alba. LINN. *Sp. pl. 705. Mat. m. 241.* BLACKW. *Herb. t. 73.*

Rosa alba flore pleno. BESL. *Eyst. vern. 6. t. 3. f. 1.*

Pharm. ROSÆ ALBÆ Flores.

Locus. Europa, colitur. *Frutex.*

FORMA. rec. Flores circiter 3, in ramis terminales, pedunculati, nutantes. *Pedunculi* teretes,

(*) *Cynosbatologia.* Jenæ 1681.

tes, hispidi: pilis rigidis, capitulatis. *CAL. Per.* monophyllum: tubo ovato, glabro, collo coarctato; limbo utrinque minutim tomentoso, subtus scabrido: pilis rigidis, subalbidis, brevibus, subulatis, fusco-capitulatis; 5-partito: foliolis lanceolatis, pinnatis: pinnis foliaceis, inæqualibus, ciliatis, linearibus s. lanceolatis, subintegris; terminali longe majore, elongata, ovali-oblonga, dentato-pinnatifida. *COR.* nivea, calyce longior, plena: *petalis* numerosis, obovatis, venosis, calyce brevioribus; ungvibus parvis, lutescentibus. *STAM.* lutea. *Filam.* plurima, subulata, corolla longe breviora, calyci inserta. *Anth.* ovales, supra concavæ, subtus convexiusculæ, utrinque emarginatæ, incumbentes. *PIST. Germ.* numerosa, intra tubum calycis, subcylindrica, lanata. *Styli* subulati, pilosi. *Stigm.* conniventia in hemisphærium planiusculum, supra collum calycis paullo elevatum, laxum; singula turbinata, truncata, vix echinata.

PROPR. rec. Odor fragrans Rosæ; *sapor* debilis, substypticus; *sicc.* amarus, rosaceus.

VIRTUS: tonica, sublaxans.

USUS.

OBS. *Infus.* petalorum luteum tanquam Theæ potus, odore debili rosaceo, sapore consimili, amaro; cum vitr. martis nigrescit. Infusum, quod ex petalis recent. parabam, ex spiritu vitrioli non rubescebat.

275. RUBUS idæus. LINN. *Sp. pl.* 706. *Mat. m.* 242. DODON. *Pempt* 731.

Rubus idæus spinosus. DALECH. *Hist.* 1. *p.* 123. DUHAM. *Arbr.* 2. *p.* 232. *t.* 56. *Fruit.* 2. *p.* 255. *t.* 1.

Pharm. RUBI IDÆI Baccæ.

Locus. Europa, in collibus saxosis. *Suffrutex.*

FOR-

FORMA. rec. Baccæ rubræ, magnitudine fere fructus Cerasi, minutim lanuginosæ, hemisphæricæ, basi cavæ: receptaculo clavato, albo, villoso, carnoso, echinato, cavo baccæ intruso; facile decerpendæ, absque laceratione; conflatæ e *Drupulis* subrotundis, obtusis, magnitudine seminis Cannabini, confluentibus, dispositis serie quadruplici annulari; singula drupula succulenta, monosperma, apice instructa stylo setaceo, ferrugineo, persistente, longitudine drupulæ, erecto, stigmate capitulato; *parencymate* succoso: succo rubro. *Nuculæ* parvæ, subreniformes, rugosæ, obductæ mucilagine succosa; *testa* fragiliuscula, *nucleo* oleoso.

PROPR. rec. Odor fragrans, svaveolens, gratissimus. *Sapor* grate acidulus, odori congruens. *Masticatæ* baccæ succulentæ, sapidissimæ; extrahitur succus, remanent semina & corticalis pars, comminuenda; saliva tingitur colore dilute purpurascente. Sæpius vermiculis scatent baccæ.

VIRTUS: refrigerans, analeptica.

USUS: Febrium æstus.

OBS. 1. Extrahitur fragrantia baccarum aqua, vino, aceto vini, spiritu vini, infusione vel destillatione. *Aqua still.*, e baccis recentibus caute parata, *syrupus*que fragrantes sunt. Mediante saccharo bene retinetur aroma.

OBS. 2. *Succum* copiose fundunt hæ baccæ, kermesinum, aqua spissiorem, odore gratissimo atque sapore acidulo. Salis Tartari drachma ß ad sui saturationem requirit hujus succi unc. 2 & drachm 6. Sub saturatione odor exsurgit gratus, baccarum odori congruens, & fit mixtura salina fusco-nigricans, subdulcescens, odore baccarum, spissiuscula, quæ, per noctem servata, loco frigidiusculo, concrescit in gelatinam

 mol-

mollem, agitatione deliquescentem. Succus filtratus non clarescit, mora sponte paullulum spissescit; cum Spiritu vitrioli & solut. Aluminis non mutatur; cum oleo Tart. p. d. primum cærulescit, dein obscure violaceus fit; cum vitr. martis nigrescit. In filtro post succum colatum remansit mucilaginosum quid, rubrum, quod, in pelliculam siccatum, odorem debilem postridie adhuc retinuit. Baccarum uncia 1 dedit succi expressi unc. ß & scrup. 2.

OBS. 3. In culinis hæ baccæ notissimæ sunt; paratur inde gelatina, itemque conditum sapidissimum. E bacc. rec. cong. 12 spiritus ardentis cong. 1 ß accepit cl. FR. J. VON AKEN.

276. RUBUS arcticus. LINN. *Sp. pl.* 708. *Mat. m.* 244.
Rubus caule unifloro foliis ternatis. LINN. *Flor. Lapp.* 207. *t.* 5. *f.* 2.
Pharm. *RUBI ARCTICI* Baccæ.
Locus. Norlandia Seciæ, Sibiria, Canada, in pascuis. *Perennis.* Colitur etiam in hortis, & maturantur baccæ, modo cumuletur nix super plantas, beneque tegatur sarmentis abietinis, ut arceatur vernalis sol. Ita clima Norlandicum arte imitaberis.

FORMA. rec. Baccæ rubro-purpurascentes, magnitudine baccarum Rubi idæi, hemisphæricæ, basi concavæ, vestitæ calyce persistente, monophyllo, pubescente, reflexo-concavo, cavo baccæ intruso, loco receptaculi, 5-fido: laciniis reflexis, obtusis, subtruncatis, emarginatis, bacca vix longioribus, staminibus persistentibus, latere interiore vestitis; conflatæ e *Drupulis* distinctis, parallelis, subconniventibus, crassis, subreniformibus, compressiusculis, utrinque obtusis, glabris, lucidiusculis, diaphanis, dorso rotun-

tundato convexis, basi receptaculo adnatis, serie triplici, subinæquali, a receptaculo non divellendis nisi dilaceratione; apice terminatis stylo persistente, breviusculo, erecto, apici oblique inserto. *Parencyma* succosum: succo rubro. *Nuculæ* parvæ, albidæ, reniformes, utrinque compressæ, subrugosæ, obductæ mucilagine succosa; *testa* coriacea, fragili, *Nucleo* albo, suboleoso.

PROPR. rec. Odor fragrans, svaveolens, vinosus, omnium gratissimus. *Sapor* acidulus, aromate odori congruente, at nonnihil acidiores hæ baccæ sunt quam baccæ Rubi idæi.

VIRTUS: refrigerans, analeptica.

USUS. Febrium æstus.

OBS. 1. Fragrantia harum baccarum ad menstrua pari modo se habet, ac baccæ Rubi idæi; at vix æque persistens deprehenditur.

OBS. 2. Saccharo vel melle condiuntur hæ baccæ, in mensis apud nos adhibendæ secundis, sed sic maximam partem præstantissimi aromatis perdunt.

277. RUBUS Chamæmorus. LINN. *Sp. pl. 708. Mat. m. 244.* OEDER *Icon. t. 1.* GUNNER. *Fl. norv. 6.*

Rubus caule bifolio unifloro, foliis simplicibus. LINN. *Fl. Lapp. 208. t. 5. f. 1.*

Pharm. CHAMÆMORI Baccæ.

Locus. Svecia, Norvegia, Russia, in paludibus turfosis. *Perennis.*

FORMA. rec. Baccæ lutescentes, hemisphæricæ, sæpe rubescentes, magnitudine fructus Cerasi, glabræ, basi cinctæ calyce persistente, 5-partito: laciniis ovato-oblongis, obtusis, ciliatis; conflatæ e *Drupulis* mollibus, magnitudine semi-

minis Pisi minoris, subtrigonis, obtusis, extus convexis, distinctis, conniventibus, basi infima receptaculo adnatis, vix inde separandis, nisi dilaceratione; serie duplici dispositæ, terminatæ *stylo* persistente, setaceo, *stigmate* truncato-capitulato; *Parencyma* pulposo-succosum: pulpa subgelatinosa, lutescente. *Nuculæ* majusculæ, magnitudine fere seminis cannabini, ovatæ, grosse reticulatæ; *testa* coriacea, fragiliuscula, *Nucleo* albido.

PROPR. rec. Odor vix ullus, nisi apud baccas supermaturatas, & tunc debilis, subingratus, minime aromaticus; *sapor* acidulus, simul incidens in lac bubulum coagulatum & vappidum.

VIRTUS: refrigerans, antiscorbutica.

USUS: culinaris; Febrium æstus.

OBS. 1. *Succus expressus* spissus instar melliginis, luteo-viridescens, chartam emporeticam non permeans, per linteum pressione colandus, unde limpidiusculus fit, spissior tamen. Hic succus, tempore æstivo, in loco calidiusculo, absque additione, quiete sponte spissescit in gelatinam; cui si additur Sacchari anatica pars, satis sapida fit, manet clara, & situm non ducit.

OBS. 2. In culinis apud nos notissimæ sunt baccæ Chamæmori conditæ, quæ mensis inter bellaria imponuntur. Condiunt nostrates baccas sequenti modo: colligunt baccas optime maturas, quas coquunt, ut inde brodium fiat, cui post immittunt baccas submaturas, absque ulteriore coctione.

278. FRAGARIA vesca. LINN. *Sp. pl. 708. Mat. m. 245.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 8.* BLACKW. *Herb. t. 77.*

Fragaria vulgaris fructu rubro. DUHAM. *Fruit. 1. p. 224. t. 1.*

Frai-

Fraiſier. BULLIARD *Fl. pariſin. t. 6.*
Fragaria & Fraga. DOD. *Pempt. 661.*
β. Fragaria hortenſis. DUHAM. *Fruit. 1. p. 229.*
γ. Fragaria minor ſemperflorens ac frugeſcens, alpina. DUHAM. *Fruit. 1. p. 231. t. 2.*

Pharm. FRAGARIÆ Radix, Herba; Baccæ.

Locus. Europa borealis, Canada, Virginia, in locis apricis, ſterilibus. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, horizontalis, ſuperne incraſſata, obſeſſa ſquamis oblongis, imbricatis, fuſcis, inter ſquamas inſtructa fibris filiformibus, deſcendentibus. *Caulis* herbaceus, erectus, teres, piloſo-pubeſcens, ſimpliciuſculus, palmaris. *Stolones* repentes, filiformes, nudi, pubeſcentes, fuſco-virideſcentes, ſpithamæi, apice folioſi, fibriculis tandem radicantes. *Folia* longius petiolata, ternata: foliolis ovatis, obtuſis, ſerrato-inciſis, ſupra glabris, lineatis, ſubtus glaucis, nervoſis, pubeſcentibus, præcipue nervis. *Petioli* teretes, pubeſcentes, ſupra canaliculati, baſi vaginati: vaginis membranaceis, albidis, concavis, deſinentibus in *Stipulas* 2, lanceolatas, acutas, ſubpubeſcentes. *Pedunculi* axillares, pubeſcentes, uniflori, nudi. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, planum, pubeſcens, 10-fidum: laciniis patentibus; 5 alternis ovatis, mucronatis; 5 aliis alternis paullo minoribus, lanceolatis, acutis, exterioribus. *COR.* alba. *Petala* 5, obovato-orbiculata, obtuſa, repanda, ſeſſilia, calyce paullo longiora, plano-patentia, calyci inſerta. *STAM.* lutea. *Fil.* plurima, ſubulata, breviuſcula, calyci inſerta. *Anth.* cordato-orbiculatæ, utrinque planæ, margine undique incraſſato, erecto. *PIST. Germ.* plurima, ovata, obtuſa, pallida, aggregata in receptaculo proprio, ſubrotundo. *Styli* craſſiuſculi, cylin-

drici, lutescentes, e latere germinum exeuntes, germinibus longiores. *Stigm.* truncata. *Baccæ* ovato-subrotundæ, obtusæ, e *Receptaculo* succulento natæ, magnitudine seminis Pisi majoris, nitidæ, hinc sangvineæ, inde albido-pallidæ, undique reticulatim foveolatæ, scabridæ: *Seminibus* sessilibus, rubris, nitidis, parviusculis, ovatis, utrinque compressiusculis, dorso minutim carinatis, acutiusculis, latere interiore stylo instructis persistente, subulato, truncato, subfusco, bacca vix longiore; singulis in singula foveola solitariis; prope basin inserto, gelatinoso, albo, baccæ intruso. *Parencyma* baccæ carnoso-succulentum, molle, albidum; transversaliter sectum æquale, in centro foveola vacua.

PROPR. rec. Radic. Odor nullus; *sapor* leviter stypticus, *sicc.* amaricans; *herbæ odor* nullus; *sapor* herbaceus, austeriusculus; *masticata* comminuitur, saliva dilute viridescente; *Baccæ odor* fragrans, svaveolens, gratissimus. *Sapor* leniter acidulus, odori congruens. *Seminum* sapor leniter stypticus. Baccæ recentes facile corrumpuntur, brevi, h. e. intra diem unum alterumve, mollescunt, fuscescunt, odorem deponunt gratissimum, mucorem contrahunt.

VIRTUS: radic. & herbæ: adstringens; *baccar.* refrigerans, eccoprotica.

USUS: bacc. culinaris; Diæta febrilis, Arthritis.

OBS. 1. *Infusum* aquos. *radicis* pulchre rubicundum, sapore leniter styptico; cum vitr. martis nigrescit. Hujus infusi guttæ 15, instillatæ aquæ puræ unc. ß, addito vitr. martis, colorem exhibuerunt violaceo-viridescentem. Infusum *herbæ* ß. rubrum instar potus Theæ, herbaceum, austeriusculum; vitr. martis pariter nigrescit. Hujus infusi guttæ 8, cum vitr. martis & aquæ

aquæ unc. ß. dilutæ, colorem fuſco-violaceum, viride-ſcentem ſtiterunt. E baccis integris, menſura cong. ß, non contuſis, ſuperaddito aquæ fontanæ congio 1, caute deſtillatis, fit *aqua ſtill.* fragrans, aromate baccarum. Si minus aquæ ſumitur, aqua ſtill. fragrantior fit. *Syrupus* Fragariæ e ſucco expreſſo parari poteſt, gratus, ſatis fragrans, addito ſaccharo albo, in conſiſtentiam tabulati cocto, unica duntaxat, eademque brevi, ebullitione. Si reſiduo poſt ſuccum expreſſum ſpiritus vini affunditur, idque per nonnullos dies frigide maceratur, aroma a ſpiritu vini intercipitur, unde *Tinctura* ſpirituoſa gratiſſima emergit.

OBS. 2. *Succus expreſſus* non colatus ſpiſſiuſculus, ruber, fragrans, mucilaginoſus, acidulus; per linteum vero colatus clarior, ruber, debilius fragrans, pariter acidulus. Si per chartam filtratur, pellucidus fit, rubro-luteſcens. In filtro remanet plurimum mucilaginis rubicundæ, fragrantis. Hic ſuccus filtratus cum ſpiritu vitrioli aureo-luteus fit; cum ſolut. vitrioli martis brunneus; cum ſucco citri congelato, pariter ac cum ſolut. aluminis, itidem aureo-luteus; cum oleo tartari p. d. remiſſius fermentat, rubro-fuſceſcit; ſed dum oleum tartari mucilagini, in filtro remanenti, affunditur, fortius fermentat; itaque aciditas baccarum maxime reſidet in mucilaginoſo. Salis Tartari alb. ſcrup. 1 requirit, ad ſui ſaturationem, ſucci Fragar. colat. drachm. 19 & gr. 18. Sub ſaturatione mixtura fuſceſcebat, & odorem baccarum retinebat, qui ſub efferveſcentia exaltatus ſentiebatur. Mixtura inde nata ſalina, fuſca fuit, ſapore gratiſſimo, Fragariæ aromate ſecundum odorem pariter ac ſaporem, non ſalſa, ſed ſubdulceſcens, ſapidiſſima. Baccar. Fragariæ unc. 1 ß dedit ſucci non colati drachmas 7.

OBS. 3. Hæ baccæ, fermentatæ, ſpiritum ardentem dant. E baccar. rec. cong. 12 Spiritus ardentis cong. 1 & libr. 3 accepit cl. VON AKEN.

OBS. 4. In regionibus ſeptentrionalibus bene provenit Fragaria, fructumque fert ſvaveolentem & gratum; ſed in calidis regionibus non item. Sic in Inſula Mauritii plantæ quidem Fragariæ bene proveniunt, & multiplicantur, ſed baccæ ſapidæ non fiunt, nec ſvaveolentes, neque multum fertiles plantæ. Idem etiam valet de Rubo idæo (*). Dum Fragaria in hortos introducitur & pingvi colitur ſolo, baccas grandiores profert, minus vero ſapidas, acidiores. Baccæ Fragariæ apud nos vulgatiſſimæ ſunt. Illarum periodus fere per menſem durat. Eduntur cum quales ſunt, tum vino lacteve commiſtæ. Largius comeſtæ alvum leniter ducunt. Grata ſua aciditate refrigerant, acres humores infringunt, & per emunctoria corporis expellunt. Sic arthriticos ſæpe levant. Sed diarrhœas ſtomacho langventibus inducunt. Recentes adhibendæ, cum intra biduum plerumque corrumpantur.

279. POTENTILLA Anſerina. LINN. *Sp. pl.* 710. *Mat. m.* 246. OED. *Icon. t.* 544.
Potentilla. CAMER. *Epit.* 758.
Argentina ſ. Potentilla. DODON. *Pempt.* 589. BLACKW. *Herb. t.* 6.

Pharm. *ANSERINÆ* Radix, Herba.

Locus. Europa, in paſcuis. *Perennis.*

FORMA. rec Radix cylindrica, ramoſa, extus nigro-fuſca, fibrilloſa, deſcendens. *Caulis* procumbens, teres, ſubgeniculatus, ſpithamæus, pubeſcens. *Folia* ſubtus villoſa, albido-cinerea, ſupra pubeſcentia, viridia, ſæpe etiam villoſa, cine-

(*) *Voyag. à l'Iſle de France, par un offic.* T. 1. p. 214.

nerea (ſc. ſolo argillaceo), petiolata, pinnata cum impari: foliolis ſeſſilibus, oppoſitis, ovalibus, inciſo-ſerratis; quorum inferiora ſenſim minora; radicalia longius petiolata, procumbentia. *Stipulæ* parviuſculæ, ovales, acutæ, in ipſo petiolo communi inter paria foliolorum ſuperne ſeſſiles, oppoſitæ, integerrimæ, ſubtus pariter villoſæ. *Petioli* teretes, villoſi, ſupra plani, baſi vaginati: vagina concava, membranacea, tenera, pubeſcente, in petiolum utrinque decurrente, ſuperne lanceolata, acutiuſcula. *Vaginæ* caulinæ, h. e. ſtipulæ, ad genicula caulis ſolitariæ, apice bifidæ, ſæpe multifidæ, ferentes foliolum oblongum, dentatum. *Flores* pedunculati, ex vaginis caulis ſtipulaceis ſolitarii. *Pedunculi* teretes, villoſi, vaginis duplo longiores, uniflori, erecti. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, villoſum, 10-fidum: laciniis ovatis, imbricatis, patenti-reflexis; quarum 5 interiores integræ, acutiuſculæ, baſi luteſcentes; exteriores 5 obtuſiuſculæ, inciſæ. *COR.* lutea. *Petala* 5, ovata, obtuſa, ſeſſilia, calyce duplo longiora, patentiſſima, calyci inſerta. *STAM. Filam.* plurima, ſubulata, lutea, calyci inſerta, erecta. *Anth.* cordatæ, obtuſæ, erectæ, utrinque planæ. *PIST. Germina* plurima, ovata, obtuſa, alba, villo receptaculi circumdata. *Styli* ſubulati, germinis lateri adnati, luteſcentes, ſtaminibus breviores. *Stigmata* truncata. *Receptac.* barbatum.

PROPR. rec. herbæ: *Odor* debilis; *ſapor* herbaceus; *maſticata* comminuitur, ſaliva virideſcente; *ſicc.* ſapor leviter ſtypticus.

VIRTUS: adſtringens, diuretica.

USUS. Empyema, Hæmoptyſis, Calculus renalis.

OBS. 1. *Infuſ.* aquoſ. herbæ luteſcens ad modum potus Theæ, ſapore herbaceo, ſubſalſo; cum vitr. martis nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 12, aquæ puræ unc. ℥ inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem obſcure viridem effecerunt.

OBS 2. Succum expreſſum, pariter ac infuſum herbæ ſicc., in Empyemate multum præſtaſſe vidi. Calculoſis, qui ſabulum ſ. calculos minores pariunt, infuſum prodeſt; pellit urinam & ſabulum; ſed per vices ſumendum, ne nimis pellat.

280. POTENTILLA reptans. LINN. *Sp. pl.* 714. *Mat. m.* 247.

Pentaphyllum. BLACKW. *Herb.* 454.

Quinquefolium majus. DOD *Pempt.* 116.

Pharm. PENTAPHYLLI Radix, Herba.

Locus. Europa, in apricis argilloſis. *Perennis.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, deſcendens, palmaris vel ultra, fibrilloſa, extus fuſca, læviuſcula, vel ſquamis præuſtis & emarcidis exaſperata; *parencymate* ſubcarnoſo; poſt ſectionem transverſalem centro medullari orbiculato, majuſculo, notato ſtella 5-radiata: radiis apice incraſſatis; obducto corticali parte rubra. *Caules* plures ex una radice, filiformes, repentes, ſuperne obſolete compreſſiuſculi, carinati, geniculati: geniculis remotis; pedales vel ultra, fuſco-virides, pubeſcentes. *Folia* petiolata, quinata: foliolis cuneiformibus, obtuſis, nervoſo-venuloſis, ſupra lineato-ſubrugoſis, ſubtus pubeſcentibus, margine ſerratis, inæqualibus; tribus exterioribus ſubæqualibus; 2 interioribus minoribus; *radicalia* plura congeſta; *caulina* alterna, ſæpe gemina, brevius petiolata. *Petioli* teretes, pubeſcentes, ſupra ſulcati. *Stipulæ* 2, oppoſitæ, ova-

ovali-oblongæ, acutæ, pubeſcentes. *Pedunculi* laterales, axillares, ſolitarii, foliis longiores, erecti, pubeſcentes, uniflori, nudi. *CAL. Perianth.* 1-phyllum, planum, 20-partitum: laciniis ovato-acutis, pubeſcentibus, plano-patentibus; quarum 5 exteriores virides; 5 interiores luteſcentes, glabriuſculæ, minutim ciliatæ, cum exterioribus alternantes. *COR.* lutea. *Petala* 5, obovata, calyce paullo longiora. *STAM. Filam.* plurima, ſubulata, lutea, erecta, calyce breviora, eique inſerta. *Anth.* cordatæ, obtuſæ, ſupra canaliculatæ, erectæ. *PIST. Germ.* plurima, receptaculo proprio in capitulum digeſta; ſingula ovata, glabra. *Styli* cylindrici, lateri germinis inſerti ſinguli. *Stigm.* truncata.

PROPR. rec. radicis: Odor debilis; *ſapor* ſtypticus; *herbæ:* odor nullus; ſapor herbaceus.

VIRTUS: adſtringens; radix fortior herba.

USUS.

OBS. *Infuſum* aquoſ. *radicis* ſicc. rubrum, ſpiſſiuſculum, ſtypticum; vitr. martis ſubito nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 4, inſtillatæ aquæ puræ unciæ ß, addito vitr. martis, colorem violaceo-virideſcentem exhibuerunt. Infuſum *herbæ* rubro-luteſcens, ad inſtar inf. Theæ, odore nullo, ſapore herbaceo; vitr. martis ſtatim nigreſcit. Infuſi hujus guttæ 16, in aquæ unc. ß, cum vitr. martis addito, colorem fuſco-virideſcentem fecerunt.

281. TORMENTILLA erecta. LINN. *Sp. pl. 716. Mat. m. 248.* KNIPH. *Bot. orig. cent. 6.* OEDER *Icon. t. 589.* GUNNER. *Fl. norv. 36.**

Tormentilla ſylveſtris. GARID. *Aix. t. 103.* ZANNICH. *Venez. t. 87.*

Pharm.

Pharm. *TORMENTILLÆ* Radix, Herba.

Locus. Europa, in pascuis. *Perennis.*

FORMA. *rec.* *Radix* subcylindrica, superne crassior, sæpe subrotunda, fibrillosa, crassitie digiti, 2-vel 3-pollicaris, extus fusca, superne squamata; *parencymate* firmo, rubicundo; post sectionem transversalem centro medullari subrotundo, cum punctis 5 in margine; peripheria striis concentricis & radiis ternis longitudinalibus, e singulo puncto centri ad corticem. *Caules* plures ex una radice, procumbentes, teretes, filiformes, pilosi, inferne simplices, superne dichotomi, spithamæi. *Folia* alterna, sessilia, amplexicauli-perfoliata, multifida, utrinque parce pubescentia, supra saturate viridia: laciniis obverse lanceolatis, obtusis, superne latioribus, incisis, patentibus; 3 exterioribus duplo longioribus. *Pedunculi* axillares, filiformes, elongati, uniflori, nudi, pilosi. *Flores* erecti. | *CAL. Per.* 1-phyllum, 8-partitum, pubescens: laciniis ovatis, acutis, patentibus; 4 alternis integris; 4 aliis alternis bifidis. *COR.* lutea: *petalis* 4, lato-subrotundis, retusis, sessilibus, calycis fere longitudine. *STAM. Filam.* plurima, capillaria, lutea, calyci inserta, corolla breviora. *Anth.* ovatæ, compressæ, didymæ, erectæ, emarginatæ. *PIST.* *Germina* plurima, glabra, subrotunda, obtusa, latere interiori recta. *Styli* subulati, lateri germinis inserti singuli, longitudine fere staminum. *Stigm.* obtusa. *Receptac.* villosum.

PROPR. rec. & sicc. *radicis: Odor* nullus; *sapor* stypticus; *Herbæ* odor debilis; sapor herbaceus.

VIRTUS: adstringens, tonica, coriaria.

USUS: Atonia, Scelotyrbe.

OBS. 1.

OBS. 1. *Infus.* aquos. *radicis* rubrum, stypticum; vitr. martis derepente nigrescit. Hujus infusi guttæ 4, aquæ puræ unc. ß instillatæ, addito vitr. martis, colorem violaceum protulerunt. Infus. herbæ rubrum, herbaceum, vitr. martis pariter nigrescit; cujus guttæ 8, aquæ unc. ß instillatæ, addito vitr. martis, colorem obscure viridem formarunt.

OBS. 2. Radix præstans est coriarium, quo incolæ insularum Færoënsium cum successu utuntur (*). In Hibernia experimenta cum hac radice instituta sunt, coriumque paratum, quod sutores approbarunt; observatum etiam, citius perfici corium radice Tormentillæ, quam vulgo fit cum cortice quercino (**).

282. GEUM urbanum. LINN. *Sp. pl.* 716. *Mat. m.* 249. KNIPH. *Bot. orig. cent.* 9.

Caryophyllata. BLACKW. *Herb. t.* 253. DOD. *Pempt.* 137.

Pharm. CARYOPHYLLATÆ Radix, Herba.

Locus. Europa, in umbrosis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix trunco oblongo, crassiusculo, bipollicari vel ultra, extus fusco, squamis emortuis obducto, undique, præcipue in apice, instructo fibris filiformibus, rubicundis, elongatis, glabris, parce fibrillosis, subhorizontalibus. *Parencyma* firmum; post sectionem transversalem centro medullari fusco, angulato, obducto peripheria fasciis concentricis nebulosa; in aëre relicta radix recens, transversaliter secta, sensim rubescit, linea concentrica alba, validiore, versus peripheriam existente. *Caules* plures ex una radice, bipedales, erecti, teretiusculi, angulati, villoso-sca-

(*) BARTHOLINI *Act. med. Hafn.* v. 1. p. 88. DEBES *l. c.* p. 112.

(**) *Mus. rustic.* vol. 2, n. 12. p. 51.

fcabridi, fimplices. *Folia* alterna, petiolata, ternato-quinata, pubefcenti-fcabridiufcula, lineato-fubrugofa; foliolis cuneiformibus, incifo-ferratis, ciliatis, fuperne fublobatis; lateralibus feffilibus; intermedio paullo majore, brevius petiolato; par unicum parvorum foliolorum fæpe reliquis fubjectum. *Petiolus* fupra canaliculatus. *Stipulæ* 2, majores, foliiformes, incifæ, ferratæ, ad bafin petioli feffiles, patentes. *Flores* 2 vel 3, terminales, pedunculati. *CAL. Per.* 1-phyllum, turbinatum, ftriatum: ftriis elevatis; pubefcens, 10-fidum: laciniis 5 alternis lanceolatis, apice incurvis; 5 aliis alternis minimis, lineari-fubulatis, erectis. *COR. Petala* 5, lutea, ovata, obtufa, concava, feffilia, calyce paullo breviora, erecta. *STAM. Filam.* plurima, fubulata, fere corollæ longitudine. *Anth.* fubrotundæ, trigonæ, obtufæ. *PIST. Germ.* plurima, difpofita in capitulum ovatum, receptaculo proprio; oblonga, pilofa. *Styli* cylindrici, e bafi germinis exeuntes, glabri, in medio flexuofi, adfcendentes. *Stigm.* fimplicia.

PROPR. rec. radicis: Odor caryophyllæus, (fcilicet radicis tempore verno, in folo ficco lectæ); *fapor* ftypticus. *Herbæ: odor* debilis; *fapor* herbaceus, amaricans.

VIRTUS: adftringens, tonica.

USUS. Laxitas fibræ.

OBS. *Infuf.* aquof. *radicis* rubrum, odore & fapore leni caryophyllæo, leviter ftyptico; cum vitr. martis illico nigrefcit. Hujus infufi guttæ 12, immiffæ in aquæ unc. ß, addito vitr. martis, colorem violaceum exhibuerunt. Infuf. *herbæ* rubicundum, fapore herbaceo; vitr. martis nigrefcit. *Aqua ftill.* radicis fatis fragrans; *oleum ftill.* parcum, butyraceum, album, fragrans;

LE-

Lewis. Extrahitur radix menſtruo aquoſo & ſpirituoſo; utrumque *Extractum* bonum eſt, ſed præſtabilius ſpirituoſum.

283. GEUM rivale. Linn. *Sp. pl.* 717. Schreb. *Mat. m.* 275. Kniph. *Bot. orig. cent. 1.*

Caryophyllata ſeptentrionalium. Lobel. *Icon.* 694.

Pharm. GEI RIVALIS Radix.

Locus. Europa, in pratis humidis. *Perenne.*

FORMA. rec. Radix cylindrica, horizontalis, craſſitie pennæ anſerinæ, undique fuſca, ſæpe ſuperne ramoſa: ramis alternis, caules proferentibus; palmaris vel ultra, obſeſſa ſquamis nigricantibus, ſubimbricatis, ſubtus inſtructa fibris filiformibus, frequentibus, digitalibus, fuſcis, deſcendentibus. *Parencyma* rubro-cinereum vel pallidum; poſt ſectionem transverſalem centro medullari orbiculato, undique cincto annulo tenui e punctis ſubcontiguis, obvelato corticali parte purpuraſcenti-fuſca, ſæpe crideſcente.

PROPR. rec. Odor debilis, muſcoſus. *Sapor* ſtypticus.

VIRTUS: adſtringens, tonica.

USUS.

OBS. 1. *Infuſ.* aquoſ. rubro fuſcum, auſterum, ſtypticum; vitr. martis mox nigreſcit. Hujus infuſi guttæ 2, aquæ puræ unc. ß inſtillatæ, addito vitr. martis, colorem ſtiterunt ſapphirinum. *Extractum* ſatis larga doſi dat hæc radix ſiccata; ſc. Rad. Gei unc. 1 dedit Extr. aquoſi drachm. 3 ß, & ſpirituoſi drachm. 2. Extractum aquoſum ſalſum eſt, auſterum, nigrum.

OBS. 2.

OBS. 2. Plurima experimenta practica, cum hac radice instituta, legi possunt in *actis Academ. Scient. Stockh.* (*), quæ docent, hanc radicem sæpe curasse febres intermittentes, etiam protractas, sæpe diarrhœas chronicas, sæpe quoque hæmorrhagias.

CLAS-

(*) *K. Vetensk. Acad. handl. vol. 18. p. 118. seq.*